Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19




Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

KW 447 F 19

DC.

484

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

447 F 19

JOANNIS DE RAEI,

Philoſophi olim Leidenſis Ordinarii, nunc Amſtelædamenſis Primarii

COGITATA DE INTERPRETATIONE

Quibus

NATURA HUMANI SERMONIS

Et illius rectus uſus, tum in communi vita & diſciplinis ad vitæ uſum ſpectantibus, tum in Philoſophia, ab hujus ſeculi errore & confuſione vindicantur.

Accedunt

Notæ recentes ad partem primam generalem; cum Appendice ex olim ſcriptis, propter cognationem.

AMSTELÆDAMI,
Apud HENRICUM WETSTENIUM.

cIↄ Iↄ CxCII.

KONINKL. BIBLIOTHEEK TE 'SHAGE.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

AD
BIBLIOTHECAM
PRINCIPALEM
ARAVSIO-NASSAVIENSEM
DILLENBVRGICAM.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

OMNI VIRTUTE
AC LAUDE
CONSPICUIS VIRIS,

JOANNI CORVERO,
NICOLAO OPMERIO,

CONSULARI, CONSULI,
VENERANDÆ ANTIQUITATIS
ET STUDIORUM
FAUTORIBUS,
ATHENÆI ILLUSTRIS
CURATORIBUS
DIGNISSIMIS,
MERITISSIMIS,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

HUNC QUALEMCUNQUE
SUI
IN ILLUSTRI ATHENÆO
LABORIS AC MUNERIS
FRUCTUM
QUANTA POTEST
VENERATIONE

OFFERT

JOANNES DE RAEI.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

PRÆFATIO.

QUi hac tandem forma in lucem prodit Commentarius de Natura & recto uſu humani Sermonis omniſque in eo veræ Interpretationis, non uno loco libera quoque cogitata comprehendit de remedio erroris, qui ab annis potiſſimum quinquaginta Eruditorum cœpit animos occupare, eorum præ cæteris qui ex parte ſunt, ex parte videri volunt Novi Philoſophi tum Carteſii [1] Galli, tum Hobbeſii Angli ſectatores. Hoc par male compoſitum, atque etiam ſectatores ſinguli ſuo modo ſeorſim, quia nimium tribuunt & confidunt ſuæ quam amant Philoſophiæ, ſuoque proprio ſermoni philoſophico; ad unius & alterius normam

[1] Renatus des Cartes ſua Methodo recte utendi ratione & veritatem inveſtigandi in ſcientiis Gallice primum edita 1637. videtur quidem errandi occaſionem nonnullis dediſſe, atque etiam errorem, qui omnino novus non erat, confirmaſſe: penitius tamen inſpicienti ſcripta Carteſii, atque cum attentione legenti in hac ipſa diſſertatione de Methodo, quas vias in quærenda veritate omnino diverſas fuerit ſequutus, quamque ſtudioſè omnem aliam cognitionem ab ea quam quærebat philoſophia diſtinxerit; manifeſtum fit, hunc philoſophum olim in ea opinione non fuiſſe in qua longo jam tempore fuerunt, qui in cæteris ſectantur ipſum. Id quod, quia alicujus momenti eſt, ob oculos poſuimus & latius deduximus in Diſputatione philoſophica quæ ſpecimen exhibet modeſtiæ & prudentiæ in philoſophando, ex ipſa illa Diſſertatione de Methodo: quia hæc ipſa Diſſertatio in ſe Remedium habet Erroris, cujus, per inſignem Methodi hujus abuſum, prima videtur cauſa fuiſſe. Extat vero Diſputatio iſta in Appendice ex olim ſcriptis verſus finem pag. 632. Atque vel unus in ea articulus decimus manifeſtum facit, quam ab horum temporum errore alienus hic philoſophus fuerit.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

mam omnes alias conantur artes componere. Ac ſi omnes & ſingulæ, cognitionem & dictionem quod attinet, non per ſua propria, uti Hippocrates in Medicina [2] olim monuit faciendum eſſe, verum per communia omnium unius philoſophiæ principia, primum inveniri & tum quoque doceri, exerceri, in multis emendari, quin perfici debeant poſſintque, & ſic tandem uno & communi contineri vinculo philoſophiæ, huc uſque, ut fingunt, promovendæ, nova ſine fine acceſſione ſive progreſſione. At acceſſio & progreſſio duplex eſſe poteſt, quæ diſtingui debet in artibus & diſciplinis, una in eodem genere cognitionis quæ proprie pertinet ad artem atque ante omnia laudabilis & in aliquibus neceſſaria eſt; altera in genere cognitionis diverſo ſive alieno, quæ, quia ad artem ita non pertinet, pariter laudabilis & neceſſaria non eſt. Quando ad aliarum artium cognitionem propriam, quæ natura ſua minus accurata eſt, accedit ſublimior & magis

gis

[2] Libro de Veteri Medicina, inter alia valde hic appoſita, leguntur ſequentia Hippocratis verba: In Medicina jam pridem omnia ſubſiſtunt, in eâque & principium & via inventa eſt per quam præclara multa longo tempore ſunt inventa & reliqua deinceps invenientur, ſi quis probe comparatus fuerit, ut ex inventorum cognitione ad ipſorum inveſtigationem feratur. Qui vero, his omnibus rejectis ac repudiatis, aliam inventionis viam aut modum aggreditur, & aliquid ſe inveniſſe jactitat, is fallitur & alios fallit. Neque enim iſtud fieri ullo pacto poteſt; quas autem ob cauſas fieri nequeat poſtea oſtendam, ubi Artem exiſtere dixero ac docuero. Ex quo etiam manifeſtum fiet, nihil omnino alia ratione poſſe inveniri.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

gis accurata, qualis inprimis philoſophica vel Mathematica poteſt eſſe ſubtilitas: hujus ſive acceſſio ſive permiſtio facile errorem parit. Ac ſi vel una & altera cognitio ejuſdem generis, ac pariter neceſſaria nova acceſſio ſit; vel novæ magisque accuratæ cognitionis pro veteri debeat facta ſubſtitutio intelligi. Iſta inquam ſubſtitutio confuſe juncta cum opinione, quod una & altera cognitio cenſeri debeat ejuſdem generis & connexa eſſe, multum fallit, atque cognitionem in artibus veram, propriam, unice neceſſariam, quantum poteſt, evertit, paritque confuſionem, ut & neglectum & contemptum ipſius tandem veræ atque artium propriæ cognitionis. Hoc ipſum dicere voluit Hippocrates, quando defendit veterem medicinam, quæ, uti tot ſæculis, ſine hac nova in diverſo genere cognitionis, potuit ſubſiſtere, progreſſione, ita debet natura ſua [ſive ſecundum naturam, & conditionem cognitionis humanæ communis] porro ſubſiſtere, falluntur que & fallunt Hippocratis judicio qui aliter hic ſentiunt, vocanturque Sophiſtæ. Medici, dicit divinus Senex, quidam & Sophiſtæ fieri non poſſe dicunt ut quis artem medicam cognoſcat, niſi idem noverit, quid ſit homo & quænam ejus prima generatio & compoſitio. Ac ſi horum quoque

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

que temporum Philoſophos & Medicos Sophiſtas deſcriberet in hoc ipſo errore hærentes. Iſta per philoſophiam in aliis artibus progreſſio, ſi eo quo plurimi vellent modo vel in una arte concedatur, atque ſpeciatim in arte Medica feliciter hactenus facta ſaltem ex parte credatur: Credulitas & nimis facilis conceſſio, ortaque ex eo non vera ſed ficta ſpecies facti, plurimos fallit, facitque ut putent ſimiliter philoſophandum in cæteris eſſe, etiam ſuo modo in juris civilis ſcientia ipſaque Theologia, ne artibus quidem mechanicis, quas illiberales vocant, exceptis. Id vero hoc ipſum eſt quod indubitata nos experientia docuit factum fuiſſe, olim quidem per annos bene multos tecte, & jam quoque annos plus quam viginti ſatis aperte. Ita error errorem trahit non uno modo, atque ignis inſtar primum latentis creſcit continuo. Quam ab hoc errore qui prorſus novus non eſt, olim alienus fuerit Ariſtoteles, artes atque diſciplinas, accommodate ad humanos uſus diſtinguere in ſchola Platonis edoctus, non uno loco oſtendimus paucis. Quia vero multo majoris, quam hoc tempore multi putant, momenti erat obſervatio iſta, latius eam deduximus in Notis ad partem primam generalem, quæ inter alia de diverſa tractat conſideratione, tum

humanæ

humanæ cognitionis tum humani ſermonis, quatenus ad cognitionem quæ diverſa eſt natura ſua, diverſus debet humani ſermonis intellectus accommodatus eſſe. Platonem atque Ariſtotelem videtur ſequutus fuiſſe Cicero, qui de perfecto diſputans oratore perſpicue docet, hujus artem propriam eſſe, quæ dici non debeat, vel ipſa philoſophiæ ineſſe, vel ſine philoſophia conſiſtere non poſſe. Ut orator philoſophus, atque pariter philoſophus orator eſſe poſſit, ſicut Empedocles phyſicus & poeta erat, & tamen in uno homine, qui ita plures perſonas [3] ſuſtinet, una & altera facultas diſtingui atque ut diſtincta doceri debeat. Attamen erroris ſive confuſionis hac in parte tantum periculum non fuit olim in Romanorum vel Græcorum Republica, quantum hoc noſtro tempore in Chriſtianorum Rebuspublicis deprehenditur, ſive ipſa religionis aut civitatis ſacra in Scholis & Academiis, quæ pro ſeminario habentur Reipublicæ, ſive alia ſuo modo profana ſtudia ſpectes. Quia enim hoc

[3] Quam ſit neceſſaria diſtinctio iſta perſonarum, in Appendice ex olim ſcriptis Capite de Libertate & ſervitute pagina 437. fuſius explicatur. Ipſa autem verba Ciceronis valde hic appoſita, exſtant verſus finem Appendicis, pagina 652. ubi modeſtia & prudentia philoſophi deſcripta erat ex Carteſii diſſertatione de Methodo, confirmaturque ex Cicerone adverſus ſui temporis philoſophos iſtos qui omnia ſua eſſe & à ſe poſſideri volunt: quibus ipſis verbis Cicero eos perſtringit Libro I. de Oratore.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

noſtrum ſeculum multo magis philoſophicum eſt, quando, ita ut fit, inconſiderata & nimis facili conceſſione nimium tribuitur philoſophiæ, fere in omni ſtudiorum genere, pariter periculum ab omni parte ex errore & confuſione majus conſequi neceſſe eſt; atque conſequutionem iſtam plus ſatis jam ab aliquot annis experientia probavit. Qua ratione una ex cauſis quæ me ad ſcribendum, meaque de tanti erroris juſto Remedio Cogitata publici tandem juris faciendum impulit, videri poteſt hæc ipſa erroris vis & magnitudo eſſe. Non tamen hæc una, non præcipua cauſa fuit. Genius meus à ſcriptis elenchticis & eriſticis jam olim abhorruit, & abhorrere debet inprimis hac ætate. Qua de cauſa lectorem philoſophum advertere velim, non tam contradicendi atque errorem impugnandi, quam veritatem, de qua omnino perſuaſus ſum, docendi ſtudium me primum ad ſcribendum excitaſſe. Ita factum fuit ut potior pars hujus commentarii dogmatica ſit. Quandoquidem à capite ad calcem veritatem nudam & ſimplicem confirmare atque in clara luce ponere conatus fui. Oppoſiti erroris detectio facta aliquando, iſtius ſolum veritatis conſequutio fuit. Nec diffiteor, conſequutionem, qua removeri falſum admoto

vero

vero intelligitur, me non uno loco expreſſiſſe, quando id ab una parte veritatis, ignorantia vel contemptus, ab altera erroris momentum poſtulabat, & hæc juxta ſe poſita magis eluceſcunt. Attamen plures quoque conſequutiones ſuppreſſi, & errores quoſdam, vel ut nefandos præterivi, vel paucis attigi & perſtrinxi leviter, in longe pluribus nudam per ſe veritatem urgere alacriter & aperte contentus. Putavi vero, mea & lectoris philoſophi intereſſe etiam initia & progreſſus mearum in his cogitationum diſtinctius, ob oculos ponere. Mea inquam hoc intereſt inprimis, ne videar à me ipſo diverſus ego ille qui conatus fui ſemper idem eſſe, iiſdem quæ ſentio ab initio bene poſita fuiſſe, innixus fundamentis ad hæc tempora uſque. Lectoris vero quem deſidero philoſophi intereſt, hæc initia atque hos progreſſus non omnino ignorare, ne hanc de me foveat opinionem,quod ego qui olim primus docui ſanam & ſobriam philoſophiam,quam hactenus profiteor, à me ipſo factus ſim diverſus, atque in oppoſitam partem deflectens. Ut fuerunt tempora diverſa, ita nonnihil diverſo utendum fuit ſermone, tum in dictis viva voce inter docendum, tum in ſcriptis. Ab annis plus quam viginti dixi & ſcripſi quidem nonnulla, quæ à dictis aut ſcriptis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

annorum præcedentium viginti in aliquibus diverſa ſunt, non tamen unquam olim dixi vel ſcripſi, non his temporibus dico vel ſcribo oppoſita. Dies diem docet, atque ut olim Solon [4] ſe quotidie addiſcentem ſenem fieri dicebat, ita hoc ipſum ego ab annis bene multis dicere de me potui. Veritatem, quæ his jam Cogitatis comprehenſa legitur, ſuo modo intellexi ſatis eo ipſo tempore quo primum in Academia Lugd. Batavâ cœpi philoſophiam docere & aliquo tempore Medicinam quoque, quam à philoſophia diſtinguebam ſicut diſtincta tot ſeculis fuit. Ad hæc initia nova continuo facta acceſſio fuit, non evertens, verum confirmans & illuſtrans ea quæ in ſuis fundamentis primum bene poſita fuerunt: ut cum tempore quidem magis diſtincta & latius deducta in particularibus, non magis vera, non priori oppoſita, non cum ea pugnans hinc orta cognitio ſit. Iſtius omnis, ſive acceſſionis ſive progreſſionis, qualecunque ſpecimen exhibemus, ſummatim ſive pauca ſumma capita quod attinet, verſus finem Appendicis, in Epiſtola familiari prima, quæ conjungi cum hac ipſa præfatione potuiſſet. Comprehendit vero initia & progreſſum totius operis plenius ipſa Appendix ſelecta

[4] Cicero de ſenectute ſive Cato major.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

lecta ex olim ſcriptis non uno tempore, quibus plurima, quæ in Cogitatis de interpretatione, vel ſupponimus, vel breviter attingimus, non uno modo fuſius explicantur aut confirmantur pag. 343. Ut dici poſſit Commentarius hic totus in duas diſtributus eſſe partes. Una & prior noviſſimas atque ultimas, altera poſterior, antecedentes magnam partem continet meditationes, quibus noviſſima de natura humani ſermonis Cogitata illuſtrantur & confirmantur in multis. Ita hoc unum omni tempore egi, ut ultima primis, prima ultimis reſpondeant, & cohæreant quantum poſſunt inter ſe, nitanturque omnia uno & communi fundamento. Atque, ut hactenus putavi & omnino perſuaſus ſum, in Oratione inaugurali una, de Cognitione Philoſophica & vulgari Lugd. Bat. 1651. & altera de ſapientia Veterum Amſtelædami 1669 habita, eorum omnium quæ docui & ſcripſi hoc unum & immobile qualecunque fundamentum poſitum fuit. Hoc me etiam ſepimento, hoc vallo tutum putabam temporibus iſtis, atque in principio ſic ſatis tuta videbatur Veritas adverſus Errorem, cujus initia præviſa minus mihi quam aliis nocuerunt. Viſa mihi fuit, non diffiteor, Veritas adeo plana & aperta poſſe ac debere ſe ipſam

tueri, tum inſigni uſu ſuo, & in Republica, & in Scholis [ut jam de Eccleſia ſive Religione non dicam] tum antiquitate, qua venerabilis eſt. Error levis videbatur, ita ſe ipſum evertens infinita, quam poſt ſe trahit, confuſione, ut conſiſtere non poſſit. Attamen fefellit me nonnihil olim, fateor, opinio, fefellit ſpes iſta, & fallit hactenus plurimos atque eos omnes, qui errorem quidem, non ita vero erroris vim & momentum agnoſcunt, forte quia non ſatis intelligunt momentum veritatis. Ego vero, ut Hi faciunt, cætera Boni, non perſiſto in opinione, vel ſpe, vel exſpectatione iſta ſine metu juſto, non perſtiti olim longo tempore. Ipſis principiis obſtandum olim judicavi, nec dici poſſum unquam ea in opinione fuiſſe, quod Error adeo levis, vel talis ſit natura ſua, ut ſe ipſum debeat evertere: ac ſi neceſſe non ſit de Remedio adeo ſolicitum eſſe. Sicut Error ante annos plures ſuo modo Levis erat, ita levi ac facili videbatur ſuperari poſſe Remedio: quod hac de cauſa adhibui accommodatum temporibus ſuis, unum & alterum, de quo dixi, non ſine ſucceſſu in principio. Nihilominus poſtea eventus docuit, quod erroris in principio vis præcipua, non tam aperta quam tacita fuerit, quando ita ſenſim & ſine ſenſu multo-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

torum cœpit animos occupare ; quodque in occulto potiſſimum peracta machinatio ſit, qua, partim Philoſophi, partim qui favent ipſis, non-Philoſophi, omnia ſua eſſe & à ſe poſſideri volunt, in hoc ſuo novo regno rationis: id quod adeo aperte auſi non fuerunt profiteri. His me primum occultis, & paulo poſt etiam apertis (diu enim latere non poterant) machinationibus cœpi opponere ab annis plus quam triginta, ut creſcebat Error indies ad hæc tempora uſque. Quid tandem præſtiterim in hoc opere noviſſimo ; cujus lineamenta & qualiacunque initia viſa ante plures annos fuerunt in diſputationibus de interpretatione, judicium penes lectorem erit, veritatis amantem, quod eſt boni viri & Philoſophi inprimis, atque etiam publicæ [5] pacis ſtudioſum, quod eſt boni civis.

[5] Qua ratione Error pugnans cum veritate quam defendimus, infinitæ diſſenſionis atque confuſionis cauſa eſſe, atque pacem publicam turbare debeat, dictum fuit in Notis pag. 338.

SUM-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

SUMMA & PRÆCIPUA CAPITA
IN COGITATIS
DE INTERPRETATIONE.

I. Parte prima generali continentur,

1. *Diverſa humani ſermonis Conſideratio, quæ ante omnia communis eſt communi conſenſione, & tum quoque poteſt eſſe veræ philoſophiæ propria: Quamque ſit neceſſaria diſtinctio iſta ad vitandam in artibus & diſciplinis confuſionem, diſtinctius explicatur ab initio.*
2. *Humani ſermonis, ut viva voce peragitur, definitio* pag. 24. §. XXI.
3. *Ratio ſigni in voce iſta diſtinguitur ab aliis ſignis.* pag. 28. §. XXV.
4. *Prima Vocis quæ ſignificat formatio, ut ratio ſigni intelligatur, latius deducitur.* pag. 38. §. XXXII. &c.

II. Pars altera ſpecialis primam & ſimpliciſſimam comprehendens vocabulorum ſignificationem, cujus bis quatuor, ſive octo ordines conſtituuntur. *pag.* 61.

1. *Vocibus non ſignificari res ut ſunt extra paſſionem & cogitationem.* §. I.
2. *Voces primi ordinis in Notis paſſionum inter loquendum, quas Interjectio ſignificat, ſecundum naturam prima & ſimpliciſſima pars Orationis.* pag. 64. §. IV.
3. *Voces quæ ut Nomina paſſionem in anima ſignificant ab interna cauſa, in ſecundo ordine.* pag. 66. §. V.
4. *Voces tertii ordinis paſſionem in anima ſignificant ab externa cauſa, & quam ſit in his ſignificatio, quæ translata ad rem intelligitur, errori obnoxia* pag. 75. §. XII.
5. *Voces Quarti ordinis ſecundum paſſionem ſive ſpeciem in ſenſu vere qualitatem corporis ſignificant.* pag. 93. §. XXV.
6. *Voces Quinti ordinis Notæ cogitationum inter loquendum in præpoſitione, adverbio, conjunctione.* pag. 109. §. XL.
7. *Sextus ordo in vocibus quæ ut nomina & verba internum in nobis animi actum ſive cogitationem ſignificant.* pag. 119. §. L.
8. *Voces ſeptimi & octavi ordinis in cogitationibus cum tertio & quarto in paſſionibus comparantur.* pag. 147. §. LXXII.

9. *Si-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

9. *Significatio ſeptimi ordinis quæ tranſlata ad rem vera non eſt, in verbo ſubſtantivo, quo affirmatio tantum exiſtentiæ intelligitur.* pag. 149. §. LXXIV.

10. *Summa eorum quæ dicenda ſuperſunt de Nominis & verbi ſignificatione in ſeptimo & octavo ordine.* pag. 159. §. LXXXII.

11. *Propria Nominis ſignificatio de Re quam eſſe ſupponimus, tres facit ordines ſecundum paſſionem, tres ſecundum cogitationem, partim vera, partim falſa ſignificatione.* pag. 160. §. LXXXIII.

12. *Omne nomen de Re intelligitur, quæ ſuo modo vere eſt. Ut rei omnino non exiſtentis non poſſit nomen eſſe.* pag. 163. §. LXXXV.

13. *Ita in verbo quidem [ſubſtantivo] ſimplex, in nomine compoſita ſive cum verbi ſignificatione tacite juncta ſignificatio eſt.* pag. 175. §. XCIII.

14. *Hinc tamen non ſequi, quod ſermo affirmans poſſit nominibus abſolvi: diſtinguiturque verbi intellectus expreſſus, ab affirmante intellectu ſuppreſſo in Nominibus.* pag. 175. §. XCIV. *&c.*

15. *Supreſſa ſive tacita affirmatio in ſuppoſitis ſubſtantivis ſeparatis quæ res ſubſiſtentes ſunt cum corpore vel ſine corpore.* pag. 180. §. XCVII.

16. *Suppreſſa affirmatio in ſuppoſitis ſubſtantivis non ita ſeparatis, verum conjunctis ſimplicibus, quæ per abſtractionem debent in cogitatis intelligi, & quam poſſit eſſe vera in extantibus ſignificatio iſta.* pag. 183. §. XCVIII.

17. *Simplex per abſtractionem ſignificatio, quæ non ſic in extantibus poteſt vera eſſe, ut ſuo modo vera eſt in cogitatis, latius deducitur,* pag. 190. §. CIII. *&c. atque illuſtre exemplum magni erroris ſpeciatim ob oculos ponitur, ab una parte in Ariſtotelis, ab altera in Carteſii Sectatoribus*, pag. 207. §. CXII. *&c.*

18. *Primum fundamentum & præcipua ratio omnis hujus abſtractionis, ſine qua ſimplicia non intelliguntur.* pag. 216. §. CXVI.

19. *Quam diverſa eſſe poſſint ſuppoſita adjectiva orta & compoſita ex ſubſtantivis, compoſitione tacita, aut expreſſa, in recto vel obliquo, latius deducitur, a* pagina 218. *ſive* §. CXVII. *ad* paginam 313. *ſive* §. CXXXV.

20. *Summa eorum quæ reſtare videntur & ſimiliter latius deduci poſſent; Breviſque totius operis Concluſio.* pag. 313. *ſive* §. CXXXV.

21. *Addenda ſive Notæ, quibus ea quæ in parte prima generali ſummatim dicta fuerunt, de diverſa humani ſermonis conſideratione, illuſtrantur & confirmantur.* pagina 322.

* * *

SUM-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

SUMMA CAPITA
Eorum quæ latius deducta extant
IN APPENDICE
EX OLIM SCRIPTIS
à Pag. 343. ad finem.

I. *DIſſertatio de cognitione vulgari & philoſophica recitata in Academia Lugduno Batava* 1651. XXV. *Martii*, *cum phyſica Ariſtotelis problemata explicaturus eſſet.* pag. 343.

II. *Diſſertatio de Sapientia Veterum*, *ut partim vera partim non vera philoſophia fuit*, *recitata in illuſtri Amſtelodamenſi Athenæo* 1669. 17. *Jan. quando primariam Philoſophiæ Profeſſionem auſpicabatur*, pag. 375.

III. *Brevis enarratio Veritatem & ordinem humanæ cognitionis*, *ut veræ philoſophiæ propria eſt*, *ſummatim exhibens*, *diſputata publice in Academia Lugd. Bat.* 1665. *menſe Martio.* pag. 408.

IV. *Libertas & Servitus univerſim atque etiam in Philoſophando* : *Lugd. Bat.* 1666. *publico examini propoſita*, *Amſtelædami vero repetita* 1684. 22. *Aprilis*, *hac nova editione verſus finem aucta per acceſſionem his temporibus accommodatam.* pag. 425.

V. *De Origine Erroris ſummatim Lugd. Bat.* 1666. *menſe Novembri*, pag. 438.

VI. *De Ariſtotele & Ariſtotelicis Amſtelādami* 1669. pag. 453.

VII. *Primus conatus in humano ſermone verum à falſo diſtinguendi comprehenſus quinque diſputationibus de Vero & Falſo*, *in Academia Lugd. Bat.* 1667. 1668. pagina 490.

VIII. *Specimen Logicæ interpretationis Amſtelædami* 1669. 1670. 1671. *octo comprehenſum diſputationibus*, *quæ paulo poſt occaſionem dederunt primis de interpretatione Diſputationibus*, *anno* 1673. & *aliquot ſequentibus.* pagina 535.

IX. *Diſputatio Philoſophica de Conſtitutione Logicæ aliarumque artium & diſciplinarum* ; *primum habita Lugd. Bat.* 1668. 27. *Octob. Repetita vero & nonnihil illuſtrata Amſtelædami* 1684. 4. *Maii.* pag. 596.

X. *Di-*

X. *Diſputatio Philoſophica de Conſtitutione Phyſicæ, primum habita Luga. Bat.* 1668. 31. *Octob. deinde vero repetita Amſtelædami & aucta* 1684. 10. *Maii.* pag. 607.

XI. *Diſputatio philoſophica explicans, quid nomina Materia, Corpus, & ſpatium ſignificent. Amſtelædami* 1686. 21. *Decembris.* pag. 618.

XII. *Diſputatio philoſophica ſpecimen exhibens Modeſtiæ & Prudentiæ in Philoſophando ex Renati Deſcartes diſſertatione de Methodo recte utendi ratione & veritatem in ſcientiis inveſtigandi, pauciſque aliis locis parallelis: cum mantiſſa adverſus horum temporum errorem, Amſtelædami* 1687. 14. *Junii.* pag. 632.

XIII. *Epiſtola familiaris prima ad Chriſtophorum Wittichium Theologum in Academia Leidenſi celeberrimum.* pag. 654.

XIV. *Epiſtola familiaris altera ad Celeberrimum Theologum, qui latere voluit in diſſertatione de litibus Franequeranis.* pagina. 661.

In

Librum de Interpretatione

Clariſſimi & Celeberrimi Viri

JOANNIS DE RAEI,

In Illuſtri Amſtelodamenſium Athenaeo Philoſophiae Profeſſoris Primarii.

SEnſibus abſtraxit Mentem mens dia Platonis,
In contemplando fixa, tenaxque Deo:
Senſibus adſtrinxit Mentem, multoque minori
Incluſit gyro magnus Ariſtoteles.
Hinc duplex Ratio, duplex cognoſcere Verum
Eſt modus, hic cunctis congruus, iſte Sophis.
Alterum ab alterutro ſpatiis diſtinguere certis,
Et docti ſimul eſt & ſapientis opus.
Hoc docet hic, qui carceribus Liber exit apertis,
Verſandus manibus, qui ſapis, uſque tuis.
Hic Res, & clauſas verborum cortice gazas
Explicat, & ſenſum donat utrique ſuum.
Accipe, Poſteritas, doctumque agnoſce laborem,
Quemque tibi ſignat tramite, carpe viam:
Et dic, quiſquis eris monitis inſtructus ab iſtis,
Haec me qui docuit Myſtica, RAYUS erat.

PETRUS FRANCIUS.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

II.

QUiſquis ſevera lége Diſciplinarum
Auguſta ſacra mente non levi tractas;
Effugere par eſt inſcientiam vulgi,
Ut docta dicta ſedulae Vetuſtatis
Examine aequo cenſor aequus expendas,
Neu muſteis abductus atque heri natis
Inanitate proluas capax pectus.
Ergo Pelaſga quae reliquit ubertas,
Autumnitaſque Palladis Palatinae
Animi ſagacis inſtruant penu largum:
Priuſque multo te labore Romanus
Fingat Palaemon, negligentiae cuſtos,
Quam tu ſerenae ſacra templa Doctrinae
Irrumpis audax, impudentiae myſtes.
Fruſtra docere poſtulat, docet fruſtra,
Quicumque ſenſa corticemque verborum
Confundit excors, ac ſibi canit ſoli.
Rides, Sophiſta, pallioque praetexis
Sapiente culpam? RAYUS ecce te, RAYUS
Vim veritatis edocebit abſtruſae
Interpretandi doctor omnium primus.
Qui poſterorum publicae ſatus frugi
Amplas recludens ingenI facultates
Varie cohortes diſſipavit errantum,
Verique lucem ferre coget invitum.

JANUS BROUKHUSIUS.

Idibus Juniis 1691.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

ERRATA.

Pag. 38. lin. 1. forme leg. formæ.
Pag. 121. lin. 13. 14. affectum leg. affectuum.
Pag. 169. lin. ult. ſuppoſitio leg. ſuppoſito.
Pag. 175. lin. 4. ideo leg. adeo.
Pag. 228. lin. 16. propoſitus leg. præpoſitus.
Pag. 235. lin. 7. *à fine*, quam leg. quem.
Pag. 271. lin. 3 & 4. polo lege populo.
Pag. 319. lin. 12. indifinite lege indefinite.
Pag. 320. lin. 17. paſſionum notæ, leg. paſſionum aut cogitationum notæ.
Pag. 322. lin. 3 & 4. ſuperjunctæ lege ſuperſtructæ.
Pag. 323. unequoque, lege unoquoque.
Pag. 444. lin. 5. ſenſum lege ſenſim.
Pag. 448. lin. 13. quidem, vero ſe cum, lege, quidem; ſed vero cum.

COGI-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

COGITATORUM
DE
INTERPRETATIONE & NATURA HUMANI SERMONIS,
PARS PRIOR, GENERALIS;
Diverſam humani ſermonis conſiderationem & primam illius formationem comprehendens.

I. *Interpretationis ſive ſermonis prima conſideratio quæ dici Grammatica poteſt.*

DE interpretatione ſive ſermone inter homines (quæ jam non diſtinguimus) diverſis poteſt modis tractari, quatenus humani ſermonis poteſt ac debet diverſa conſideratio eſſe. Jam enim non loquimur de interpretatione quâ quid notum facimus ſimpliciſſima, in nutu, geſtu, ſimilibusque aliis ſignis, quæ fere uno modo omnes homines exprimunt, verum de eâ quæ infinitis modis diverſa atque multo magis compoſita eſt in humana voce quam articulatam vocant. Et primum quidem Grammatica ut eſt ars bene loquendi, quæ de univerſa oratione ſive dictione tractat, quam loquendo formamus, dici ſuo modo poteſt de interpretatione ſive ſermone tractare. Hæc vero ars non tam formam atque internam qualitatem, quam materiam & qualitatem externam ſpectat humani ſermonis, in literis, ſyllabis, vocibus, totaque dictione quæ ex his compoſita eſt. Qua de cauſa Grammaticæ partes duæ ſunt, una quæ de vocibus ſingulis ſeorſim & earum in

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

loquendo & ſcribendo figuratione, altera quæ de vocibus conjunctim & illarum conſtructione agit. Atque tam illa figuratio quam hæc conſtructio totaque adeo loquutio, Grammaticè loquendo, tum demum recta ſive congrua cenſetur, quando ſecundum proprietatem ſuæ linguæ ſive uſum fit, Quem penes arbitrium eſt & jus & norma loquendi, inquit Poeta Horatius. Quapropter non una & communis, verum propria cujusque linguæ Grammatica eſt, Latina, Græca, Hebræa, & ſic de cæteris, quæ non tam populi quam eruditorum linguæ ſunt. Et Grammatici inter eruditos, *non auctores ſed cuſtodes*, ut Seneca loquitur, ſermonis ſunt, quisque in lingua ſua.

II. *Humani ſermonis ſive interpretationis conſideratio ſecunda, quæ Rhetoricæ ſive Oratoriæ propria eſt: atque illius confirmatio ex Cicerone.*

Rhetorica ut eſt ars benè dicendi, etiam ſuo & peculiari modo dici poteſt de interpretatione agere, quatenus dictio omnis quædam interpretatio, atque ille ipſe de quo loquimur ſermo humanus eſt. Attamen longe alia conſideratio eſt dictionis Rhetorica, quam Grammatica. Siquidem Rhetoricæ finis, cum non ſit ſimpliciter loqui, ut nos uſus & proprietas cujusque linguæ docet, ſed perſuadere & movere, eam debet in oratione conditionem ſive qualitatem ſpectare, quæ ad hunc finem apta eſt. Hæc vero conditio ſive qualitas orationis, uti hic etiam uſus docuit, primum quidem perſpicuitas & tum quoque multiplex ornatus eſt, quem ornatum in vocibus ſingulis tropus, in pluribus figura, in univerſa quæ pronuntiatur dictione, elocutio & actio facit, quatenus hæc ſingula auditorem delectant & magis afficiunt quam

dictio

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

dictio communis ſine ornatu iſto. Et quidem *perſpicuitas*, quæ ad perſuadendum imprimis neceſſaria eſt, *hominum ſenſibus mentibusque accommodata* intelligitur, quod nos Cicero libro primo de Oratore docet, his inter alia verbis, *Quia cæterarum artium ſtudia fere reconditis atque abditis è fontibus hauriuntur, dicendi autem omnis ratio in medio poſita, communi quodam in uſu atque in hominum more & ſermone verſatur. Ut in cæteris id maxime excellat, quod longiſſime ſit ab imperitorum intelligentia ſenſuque disjunctum, in dicendo autem vitium quam maximum ſit à vulgari genere orationis atque à conſuetudine communis ſenſus abhorrere.* Et quando pro hoc dicendi genere contra Philoſophos diſputat *qui omnia propria ſua eſſe atque à ſe poſſideri volunt*, pluribus exponit ſententiam ſuam, atque ingenium oratoris (ſive profanus ſive ſacer orator eſſe velis, vera hæc diſtinctio erit) ab ingenio Philoſophi diſtinguit, ut pauca è multis recenſeam, his præcipue verbis, poſtquam dictionem oratoriam à philoſophica ſeparaverat: *Neque vult orator ita ſapiens inter ſtultos videri, uti qui audiant aut illum ineptum aut græculum putent; aut etiam, ſi valde probent ingenium oratoris, ſapientiam admirentur, ſe eſſe ſtultos moleſte ferant. Sed ita peragrat per animos hominum, ita ſenſus mentesque pertractat, ut non deſideret Philoſophorum deſcriptiones. --- Aliud quoddam, longe aliud Craſſe quærimus, acuto homine nobis opus eſt & natura, uſuque callido, qui ſagaciter perveſtiget, quid ſui cives iique homines quibus aliquid dicendo perſuadere velit, cogitent, ſentiant, opinentur, expectent.--- Philoſophorum autem libros reſervet ſibi ad hujusmodi Tuſculani requiem atque otium, ne ſi quando ei dicendum erit de juſtitia & fide,*

mutuetur à Platone, qui cum hæc exprimenda verbis arbitraretur, novam quandam finxit in libris civitatem; usque eo illa quæ dicenda de juſtitia putabat à vitæ conſuetudine & civitatum moribus abhorrebant.

III. *Interpretationis ſive ſermonis conſideratio tertia in Logica ſive Dialectica ſcholarum. Atque ea conſideratio iterum ex Cicerone confirmatur.*

Poſt Grammaticam & Rhetoricam atque una cum iis ſolet in ſcholis Logica doceri quam veteres Dialecticam vocant: atque ea etiam circa ſermonem ſive orationem verſatur, hoc ſaltem cum diſcrimine, quod doceat magis ad internum animi ſenſum ſive eorum de quibus ſermo eſt intellectum attendere, quam quidem Grammatica vel Rhetorica facit. Grammaticæ enim finis eſt loqui purè ſive congrue ad loquendum tantum, nudam & ſimplicem loquutionem quod attinet; Rhetoricæ, loqui ornatè & copioſe ad perſuadendum; Logicæ ſive Dialecticæ, loqui breviter & nervoſè ad intelligendum. Ideoque ex Dialecticæ præſcripto, non orationis puritas, ad quam Grammaticus, non ornatus, ad quam Rhetor attendit; verum animi in ea ſenſus ſive intellectus ſpectatur, ratio in oratione, ſive noſtra ſive aliorum hominum ratio ſit, quæ oratione explicata ſive comprehenſa eſt. Tam vero Dialecticam quam Rhetoricam circa orationem verſari cum iſto diſcrimine, etiam Cicero nos docet, II. de Finibus, *Zenonis hoc inquam eſt Stoici, omnem vim loquendi, ut jam ante Ariſtoteles in duas tributam eſſe parteis dicere, Rhetoricam palmæ, Dialecticam pugno ſimilem eſſe dicebat, quod latius loquerentur Rhetores, Dialectici autem compreſſius. Obſequar igitur voluntati tuæ, dicamque ſi potero Rhetoricè: ſed hac Rhetorica Philoſopho-*

ſophorum, non forenſi, quam neceſſe eſt, quum populariter loquamur, eſſe interdum paulo hebetiorem.

IV. *His tribus modis ſermonem ſecundum communem ſenſum vulgaremque intellectum ſpectari.*

His tribus artibus contenti multis ſeculis Philoſophi fuere, Ariſtotelici præcipue, ad ſermonem humanum perficiendum, ſive in eo internam ſive externam formam ſpectes, quanquam imprimis cogitaverint de externa forma. Eſtque hac de cauſa artium iſtarum quædam affinitas ſive cognatio, quatenus omnes ſuo modo ad communem ſenſum atque illum qui cum ipſo junctus eſt intellectum, accommodatæ ſunt. Hoc ſaltem de Rhetorica ſive oratoria Cicero nos docuit, cujus pauca è multis verba §. II. allegavimus, quia adeo appoſita nobis viſa ſunt, ut in humano ſermone dictio atque interpretatio communis, à dictione atque interpretatione poſſit Philoſophica diſtingui, ſicut diſtincta ratio ſive cognitio eſt. Haud difficulter vero hoc ipſum quod de Grammatica & Rhetorica adeo manifeſtum eſt, etiam de Dialectica admittemus, ut communiter docet diſſerere, ratiocinari atque cum ratione loqui, ſive attendere ad rationem, quæ *oratione explicata* eſt, ſicut puto alicubi Ciceronem loqui. Quandoquidem verba quibus utimur in diſſerendo & quibus alligamus conceptus noſtros in ratiocinando, communiter intelligi non poſſent, ut certe intelliguntur, ſi alius in iis quam communis ſenſus, ſi alius conceptus & ratio alia explicata eſſet quam quæ communiter in diſſerendo juncta cum oratione eſt. Quod ſi Cicero de Rhetorica ſive oratoria probavit, probatum debet de Dialectica cenſeri, propter eam de qua diximus harum artium cognationem.

V. *Quarta & nova conſideratio ſermonis ſecundum intellectum qui ita communis ſive vulgaris non eſt.*

Proinde ſi præter communem ſenſum atque intellectum communem poſſit aliquis eſſe proprius & ſingularis, qui communi ſermone non comprehenditur; perſpicuum ſit, quia & hunc intellectum interpretari poſſumus, atque etiam communem ſermonem ad eum applicare; novam & quartam hanc poſſe interpretationis conſiderationem eſſe. Atque conſideratio hæc quarta in eo poſita erit, quod non tam in ſermone ſpectetur communis ſenſus ſive intellectus qui conſuetudine ſermonis cum verborum ſignificatione junctus eſt, quam veritas quæ cenſeri poſſit ipſa rerum veritas eſſe, ſive ea omnino remota à communi ſenſu fuerit, ſive ex parte & confuſe tantum cognita, ſine diſtinctione, quam ſuo loco videbimus neceſſariam eſſe.

VI. *Non inveniri in dialectica ſive logica ſcholarum hanc novam & quartam interpretationis ſive ſermonis conſiderationem.*

Et quidem de hac ipſa rerum veritate cogitare atque eam in humano ſermone invenire, non magis hactenus Dialectica ſive Logica ſcholarum quam Rhetorica nos docuit. Quanquam Logica aliquanto propius videri poſſit ad hanc veritatem accedere, quia ſepoſitis verbis, quæ ſæpe fallunt, nos docet de interno animi ſenſu ſive intellectu cogitare; atque hic intellectus, quando conformis rebus eſt & non fallit, dici poteſt rerum veritatem comprehendere. Quia tamen iſta comprehenſio neceſſaria non eſt, atque cum diſtinctione, quam ſuo loco videbimus eſſe neceſſariam, ipſa rerum veritas ita non conſideratur; perſpicuum ſit, Logicam quæ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

quæ docet ad ſermonis ſenſum ſive animi in eo conceptum attendere, hoc ipſo veritatem non docere: quandoquidem non docet quæ ipſa rerum veritas ſit extra ſermonem & cogitationem, atque adeo extra communem ſenſum animique conceptum, cui ſicut ſermo inter homines communiter accommodatus eſt, ita ſcholarum Logica ad hanc ſe veritatem accommodat.

VII. *Ideoque alibi quærendam eſſe: & quæ tandem ſit alia de qua loquimur, ſermonis conſideratio, ſummatim ob oculos ponitur.*

Si jam porro inveſtigemus ad quam ſive artem ſive ſcientiam pertineat hæc nova atque adeo ſublimis conſideratio ſermonis ſive interpretationis; nulla inter eas quæ communiter in ſcholis notæ ſunt, occurret. Quibus ita poſitis, vel prorſus omittenda eſt hæc nova & quarta conſideratio ſermonis atque veræ in eo interpretationis, uti eam communiter Logici & Philoſophi omittunt, atque ab Ariſtotele in libro de interpretatione omnino omiſſa fuit; vel alibi quærenda, ubi ſepoſitis verbis docemur res ipſas intelligere atque ſecundum hunc intellectum accipere humani ſermonis ſenſum. Qui ſermonis ſenſus hoc pacto rebus conformis erit, quia conformis primum intellectus eſt, quo cognoſcimus res antequam ſermonem de iis inſtituamus. Hoc certe dici non poteſt de verborum ſignificatione in communi ſermone inter homines iisque artibus & diſciplinis quæ ad communem ſermonem accommodatæ ſunt: quia verba communiter non tam ſecundum hanc veram cognitionem, quam ſecundum anticipationem rebus impoſita ſunt, & ſæpe verba prius quam res ipſas novimus, cum debeat ipſarum rerum intellectus in ſermone natura prior eſſe, quarta & nova de qua jam nobis ſermo erit, conſideratione.

VIII. *In*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

VIII. *In Matheſi pura, nomina ſecundum intellectum accipi qui natura prior verbis atque ut oportet rebus conformis eſt.*

Ita vero, ſaltem Matheſis quam puram vocant, ſepoſitis verbis, & communi ſi quis eſt verborum intellectu ſepoſito, puta in vocibus *linea, punctum*, ante omnia de intellectu cogitat rerum, atque ab hoc præciſe intellectu ſuis rebus omnibus nomina imponit, aut alia ſigna diverſa à nominibus, quorum ſive nominum ſive aliorum ſignorum ſignificatio ob hoc unum adeo clara & diſtincta eſt. Idcirco tamen Mathematica dici non poteſt de verbis atque de hac ipſa verborum qualitate, vel univerſim de humano ſermone & illius recta interpretatione tractare, ita expreſſe uti nos jam facimus. Sed ſolum exemplo ſuo dici poſſunt docere Mathematici, quod in aliquibus talis eſſe poſſit conſideratio verborum, quamque ea utilis ſit, ſi non unice neceſſaria ad ſcientiam, quam in nobis non tam verborum quam ipſa rerum intelligentia parit.

IX. *In ſcholarum Philoſophia ſermonem ſpectari ſecundum communem ſenſum & hinc pendere veram & utilem cognitionem illius.*

At longe alia ratio Phyſicæ, Metaphyſicæ atque Ethicæ eſt, ut jam de Politica non dicam, quatenus Philoſophiæ, de qua loquimur, partes ſunt. Hæ omnes à Mathematica diverſæ & tum quoque ad normam logicæ, de qua diximus, magnam partem compoſitæ ſunt, atque etiam in eo conveniunt cum logica, quod ſimiliter verbis utantur quorum ſignificatio eo modo quo id Mathematici faciunt ab antecedente diſtincto intellectu determinata non eſt, verum in pleriſque confuſe ſupponitur determinata per anticipationem ab origine conjunctam cum verbis. Ita fit, ut hujus Philoſophiæ, tam locutio ſive inter-

interpretatio quam cognitio totaque ſcientia, qua parte laudabilis eſt, vulgaris ſive communis atque adeo mentibus ſenſibuſque hominum accommodata ſit fueritque tot ſeculis, fere uti de dialectica atque oratoria dictione & cognitione § III & IV. obſervavimus. Hoc ſolum intereſt quod communem hominum ſenſum & intellectum qui cum eo junctus eſt confuſum, Philoſophi in Metaphyſica, Phyſica, Ethica aliquanto latius ſive ad plura extendant in aliquibus & applicent pluribus. Quo fit ut aliquanto major & amplior magiſque generalis & confuſa in multis cognitio ſit, non vero diverſi generis ab ea cognitione quam communiter natura vel uſus docet: Sicut Logica dicta artificialis, diverſi generis non eſt, à naturali logica, quam communis docet ſenſus. Ad hanc nos communem cognitionem ea de qua loquimur Philoſophia aliquanto magis docet attendere quam communiter attendimus quando rebus aliis intenti non Hoc ſed Aliud agimus: Ut certe in omni alio vitæ genere atque in omni alio ſtudio aliud agimus & intendimus ſive reſpicimus aliud quam Philoſophi de quibus jam nobis ſermo eſt. Ut (hactenus ſaltem) non tam genere ſcientiæ, quam fine & intentione differat horum Philoſophorum atque aliorum hominum cognitio. Hic finis communiter etiam artes & ſcientias diſtinguit, quatenus diſtinctum requirit conſiderandi modum, qui intelligi non poteſt, ſi diſtinctus modus loquendi, atque ut oportet, dictio ſive loquutio diverſa non ſit.

X. *Quando ſubtilior in his intellectus ad communem ſenſum accedit atque non bene convenit cum eo, magnam inde confuſionem oriri ſermonis & cogitationis.*

Quæ his addunt Philoſophi præter aut contra communem ſenſum, ut videantur altius ſapere & ſublimiorem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

ſcientiam poſſidere, ea vel inutiliter efficta & inepte pronuntiata ſunt, atque adeo non pertinent ad hanc philoſophiam, qua parte laudabilis eſt, vel referri ad antecedentem meliorem intellectum debent. Hunc enim intellectum qualemcunque ſaltem confuſum, quia juxta communem ſenſum omnes à natura habemus, non poſſumus non aliquando ad ea quæ dictat attendere atque illum miſcere ſive conjungere cum communi ſenſu in ſermone. Quod quia aliquando faciunt Philoſophi de quibus jam nobis ſermo eſt, hinc adeo diverſus & ſibi contrarius eorum ſermo & inexplicabilis confuſio atque multiplex contradictio eſt, tam in dictis quam in cogitatis, ſive logicam reſpicias, quæ per admiſtionem ſubtilioris philoſophiæ corrupta eſt, ſive alias philoſophiæ partes quæ ad normam iſtius logicæ compoſitæ ſunt: Ut jam de erroribus non dicam quos iſta in valde multis confuſio parit. Usque adeo ut vix ſuperſit quicquam quod non in particularibus melius & felicius poſſit uſus & communis ſenſus docere atque ex communi hominum ſermone comprehendi, quam id in generalibus, ſuo quantum poſſunt proprio ſermone, ſuiſque præceptis philoſophi docent. Quia in communi ſenſu & ſermone hominum communi ea omnis diverſitas, contrarietas & confuſio non eſt, quam male admiſtus intellectus parit in philoſophia, quando ea, uti ſit, ex dictis & cogitatis, quæ neque conſentiunt neque cohærent, ſic male compoſita eſt.

XI. *Quæ jam dicta ſunt de Philoſophia, poſſe quidem exemplis confirmari, verum id neceſſe non eſſe.*

Non jam noſtri eſt inſtituti hæc latius deducere atque primum in Logica, deinde in aliis philoſophiæ partibus per exempla confirmare id quod univerſim diximus. Quandoquidem

dem iis qui intelligunt genium hujus philoſophiæ & norunt quam ea tota ex popularibus & logicis notionibus compoſita ſit; ſciuntque ſic primum compoſitam confuſe Logicam fuiſſe, quam paſſim imitantur ceu normam & regulam: Iis generalis aſſertio noſtra ſatis aperta & evidens erit, & quisque eam poterit exemplis confirmare atque illuſtrare, ab omni hujus philoſophiæ parte petitis. Neque in his omnibus ulla difficultas eſt, ſi modo primum recte advertamus id quod fundamentum omnium debet eſſe, quis in nobis antecedens & ipſarum rerum poſſit intellectus eſſe ſine verbis, & quis ſit intellectus conſequens ſive conjunctus cum verbis, qui non tam rerum in ſe ipſis ſpectatarum quam verborum ſive relatus ad verba intellectus eſt, parum vel nihil forte recedens à communi ſenſu verborum, à quo poteſt rerum intellectus multum recedere. Atque hoc iterum multis poſſet exemplis probari, quatenus valde multa occurrunt ubi communis ſenſus qui eſt in verbis, per omnia non attingit rei veritatem quam attingere poteſt intellectus.

XII. *In Medicina, Juriſprudentia & Theologia, ſermonem etiam quantum fieri poteſt juxta communem ſpectari ſenſum.*

Non eſt quoque inſtituti jam noſtri uſum atque acceptionem ſermonis ſive interpretationis ſpeciatim in Medicina, Jurisprudentia & Theologia ob oculos ponere. Attamen verbo monemus, Medicinam cum Phyſica (de qua diximus) Juriſprudentiam cum Ethica & Politica, Theologiam cum Metaphyſica atque Ethica, ſaltem in aliquibus videri aliquam cognationem habere. Præterquam quod hæ tres diſciplinæ, quatenus ad uſum vitæ referuntur pariter habeant cognationem cum illo communi ſenſu & qualicunque intellectu, quem in vita & rebus agendis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

extra atque citra omnem philoſophiam communiter omnes homines ſequuntur. His enim ita poſitis, manifeſtum fit, pariter quoque in his diſciplinis ſequi nos poſſe ſermonem communem, atque in hoc uno præcipue poſitam in iis perſpicuitatem eſſe, quod ſermo quantum poteſt mentibus ſenſibuſque hominum accommodatus ſit, de quo §. 11. plura diximus. Usque adeo, ut, ſi forte in aliquibus rerum atque ſermonis alia conſideratio occurrat (ut vidimus aliam poſſe occurrere in vulgari de qua loquebamur philoſophia) ea ſive vera ſive falſa ſit, in his aliis diſciplinis debeat obſcura atque aliunde mutuata ſive aſſumpta cenſeri. Quandoquidem artium quidem atque humani intellectus quo tractantur artes, uſus conjunctus eſſe poteſt, artes vero ipſæ, uti Ariſtoteles prudenter obſervat, ſeparandæ atque omnino diſtinguendæ ſunt; neque aliter debet proprius in arte, tum conſiderandi ſive cognoſcendi aut ſi mavis intelligendi, tum loquendi modus ſeparari: quia conſideratio, cognitio & locutio quæ utilis & clara eſt quando ſuo illam loco adhibemus, in loco alieno poteſt obſcura & inutilis eſſe. Hæc diverſi generis, ſive aliena & vere heterogenea locutio, iſta μετάβασις εἰς ἄλλο γένος eſt, quam Ariſtoteles inculcat admittendam non eſſe in artium præceptis & accurata quacunque doctrina vel demonſtratione.

XIII. *Ideoque Sermonis & intellectus de quo loquimur diverſi permiſtionem, in his quoque diſciplinis errorem & confuſionem parere, multiplicemque obſcuritatem atque ambiguitatem, quæ removenda eſt.*

Quamobrem ut de philoſophia notavimus, permiſtionem adeò diverſi intellectus & ſermonis qui inde oritur diverſi, infinitæ in ea confuſionis, contradictionis atque infinitorum errorum cauſam fuiſſe; ita putamus hoc ipſum

ſum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

ſum quoque obſervandum eſſe de Medicina, Juriſprudentia, Theologia. Ut ſi ſimplici, plano & proprio ſuo has diſciplinas ſermone tractemus, accommodate ad communem intellectum verborum, multo minus huic malo obnoxiæ eſſent, quanquam non ab omni parte liberæ, quia in ipſo communi ſenſu & ſermone quem communem vocamus, aliqua ſæpe diverſitas atque ex rerum difficultate & confuſione ſive permiſtione, multiplex orta obſcuritas atque ambiguitas eſt. Qua de cauſa prudenter Juriſconſulti uno in pandectis titulo communi *de verborum ſignificatione* tractant, quatenus in verbis obſcuritas atque ambiguitas eſſe poteſt à jure ſcripto removenda arbitrio principis, cui parere vera ſive non fucata juriſconſulti philoſophia eſt. Etiam prudenter hactenus tam Medici & Theologi quam Juriſconſulti, multorum nominum ſignificationes aliquo modo incertas & confuſas in communi ſermone, quando iis in ſua arte utuntur, ſuis circumſcribunt atque diſtinguunt definitionibus, quantum fieri poteſt, ad communem ſenſum accommodatis, ſepoſito quocunque alio intellectu ipſarum rerum philoſophico. Et ſic putamus unamquamque hanc diſciplinam, à ſubtiliore philoſophia, quæcunque ea ſit, debere ſeparari, & ſuo proprio atque populari quantum fieri poteſt, ſermone tractari, modo conſiderandi, mentibus ſenſibuſque hominum accommodato & qui cujuſque diſciplinæ proprius eſt. Neque ſine gravi cauſa Democritus laudatur ab Ariſtotele libro 1. de gen. & corrupt. cap. 2. quod viſus ſit οἰκείοις καὶ φυσικοῖς λόγοις πεπεῖσθαι *propriis & naturæ accommodatis rationibus fuiſſe perſuaſus*. His rationibus in phyſica propriis ſive domeſticis λόγοις φυσικοῖς: Ariſtoteles opponit *rationem atque demonſtrationem Logicam* λόγον λογικὸν, ἀπόδειξιν λογικὴν Lib. II. de Gener. Anim.

Animal.cap.8. Ubi latius hæc deducit atque pluribus oſtendit, quando de generatione animalis, puta muli ex mare & foemina diverſæ ſpeciei loquitur, quam in phyſica logicæ rationes inanes ſint λόγοι κενοὶ inquit, quam parum accommodatæ rebus phyſicis, ut certe mulus, & equus, & aſinus ſunt, de quorum diſputat generatione, prolixè atque ut ſolet doctè. Similiter non minima laus eſt Hippocratis apud Celſum, quando dicitur *Medicinam ab ſtudio ſapientiæ ſeparaſſe, vir & arte & facundia inſignis.* Atque hanc etiam ob cauſam libro de veteri Medicina monet Hipp. Utendum in hac arte hypotheſi non eſſe ad ea quæ obſcura & dubia ſunt inveſtiganda, quatenus iſta inveſtigatio atque locutio ad eam accommodata obſcura & dubia, philoſophorum propria eſt, At *eum qui de hac arte diſſerere inſtituit quæ plebeis nota ſunt dicere debere, cum de nullo alio vel quærere vel dicere conveniat quam de morbis quibus ipſi afficiuntur. Cum igitur rudes ſint &c.* Et quis non videt, quam hæc conſideratio magni uſus ſit, quam late pateat, quamque ea multis poſſit argumentis confirmari, ſi non tam ſummatim hæc jam attingere, quatenus de natura humani ſermonis & recto illius uſu dicendum eſt, quam per ſingula ire vellemus.

XIV. *Conſiderationem ſermonis, ſecundum ipſummet rerum intellectum ad veram Philoſophiam pertinere diverſam ab Ariſtotelicâ.*

Non jam neceſſe eſt plures alias ſive artes ſive ſcientias percurrere, ut inveniamus aliquam quæ ſermonem ſive interpretationem ſecundum verum intellectum ſpectat. Quia forte omnes revocari poſſunt ad eas de quibus dictum eſt, quod inquirere noſtri jam non eſt inſtituti. Revertimur igitur ad Philoſophiam à qua digreſſi fuimus dicimuſque hanc eam ſive artem ſive ſcientiam eſſe poſſe.

Patet

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

Patet vero ex dictis, nos hic non intelligere eam philoſophiam quæ ab Ariſtotele nomen accepit & non tam rerum quam nominum & conceptuum eſt, quatenus compoſita fuit ad normam Logicæ ſive Dialecticæ, quæ circa nomina & conceptus verſatur, ut non omninò male Verulamius obſervat in Novo organo ſive inſtauratione ſcientiarum §. 63. *Philoſophiam naturalem dialectica ſua corrupit quum Mundum ex categoriis ſuis effecerit, animæ humanæ nobiliſſimæ ſubſtantiæ, genus ex vocibus ſecundæ intentionis, tribuerit --- magis ubique ſollicitus, quomodo quis reſpondendo ſe explicet & aliquid reddatur in verbis poſitivum quam de interna rerum veritate.* Sed aliam longe ſublimiorem & magis veram intelligimus Philoſophiam, quæ circa res ipſas verſatur, uti primum ab antiquioribus Pythagora, Democrito, Anaxagora, Platone aliiſque magno ſtudio quæſita & forte in aliquibus inventa, attamen hoc ſeculo demum, ut quidem nobis videtur, aliquanto magis in clara luce poſita eſt.

XV. *Primum quatenus ſecundum verum intellectum ſpeciatim tractat de rebus, fere ut Mathematica.*

Imprimis vera de qua loquimur Philoſophia dici poteſt ſermonem ſecundum intellectum interpretari qui verus rerum in ſe ipſis ſpectatarum intellectus ſit; quatenus ſepoſito communi ſenſu qui in verbis confuſus eſt, ſecundum antecedentem magis diſtinctum intellectum de rebus tractat. Quod tamen non eſt, expreſſe ſive in actu ſignato, ut loquuntur philoſophi, de Sermone tractare, verum exemplo atque ipſo facto, ſive in actu exercito, demonſtrare ſive notum facere, quam hæc interpretatio utilis, quam neceſſaria ad veram ſcientiam, adeo diſtincta ſermonis conſideratio ſit: eo fere modo quo id ſupra §. VIII. de Mathe-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

Mathematica monuimus. Hoc ſolum intereſt, quod Mathematica conſideratio ſimplicior ſit, & in paucioribus verſetur, quia ſeparatim quantum poteſt de quantitate tractat, ſepoſita omni alia rerum qualitate & conditione quam philoſophia de qua loquimur ita non ſeponit. Qua ratione philoſophia in omni genere rerum verſatur ſpectatque omnem qualitatem & formam à qua nomina rebus impoſita ſunt, ſive ſubſtantiva, puta ignis, aër, aqua, terra, ſol, cœlum, ſive adjectiva, puta durum, fluidum, calidum, frigidum, grave, leve &c. In quibus omnibus aliquo modo compoſitam & confuſam videbimus ſignificationem eſſe, quam ſuo loco conabimur in ſimplicia reſolvere. Hæc nomina unà cum formis & qualitatibus quas confuſe ſignificant, non ſunt Mathematicæ conſiderationis, neque Mathematici illorum ſignificationes reſolvunt in ſimplicia. Ut philoſophiæ de qua loquimur uſus hac in parte præſtantior ſit & latius pateat; doceatque multo magis quam Mathematica, omnem ſermonem interpretari in omni rerum genere, tam quæ ſunt, quam quæ cogitantur ſive intelliguntur tantum.

XVI. *Deinde quatenus rerum genera pauca & ſimplicia ſummatim ob oculos ponit, atque in iis omnem verum qui in nobis eſſe poteſt, intellectum invenit, veraque cognitionis humanæ principia.*

Jam vero ut hoc pacto Philoſophia poſſit ſecundum intellectum tractare & loqui de rebus ſigillatim ſive in particularibus, ante omnia nos debet duo docere quæ valde generalia ſunt: Primum quidem, quæ ſint ſumma & ſimpliciſſima genera rerum, deinde quis demum verus rerum intellectus ſit, quis modus ſciendi ſive intelligendi. Neque horum unum ſine altero cognoſcitur, quia

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

quia cohæret cum altero; quatenus inter genera rerum imprimis debet ille ipſe intellectus eſſe, quo res ut ſunt poſſint cognoſci, ſi ulla in nobis vera cognitio eſt, atque etiam communis hominum ſenſus, quo res ut ſunt ſimiliter vere non cognoſcimus. Quibus ita poſitis, difficile non eſt ſermonem interpretari & communem in eo ſenſum à Philoſophico intellectu diſtinguere. Atque tam unum quam alterum faciendum ante omnia in generalibus & ſimplicibus. Quia res ipſas ſi ſpectes, particularia infinita atque etiam valde compoſita ſunt. Debentque adeo eſſe particularium intellectus qualeſcunque infiniti, valde compoſiti & confuſi in verbis infinitis, quorum ſignificatio, eo modo quo id vera Philoſophia requirit, clara & diſtincta non eſt in communi hominum ſermone. At vero ſumma genera & nomina eorum adeo pauca atque tam ſimplicia ſunt, ut poſſint comprehendi, quatenus facilis in ſingulis intellectus, neque admodum difficilis ſimplicium de quibus loquimur diſtinctio atque interpretatio eſt. Id vero multum juvat in compoſitorum cognitione atque interpretatione, uti cætera omnia, ſive res ipſas, & ipſum intellectum rerum, ſive nomina & interpretationem ſpectes, ex generalibus & ſimplicibus de quibus loquimur ſunt compoſita, atque in ea de qua jam nobis ſermo eſt, Philoſophia, ut compoſita debent ſpectari. Ut jure merito, primum quidem cognitionis humanæ & tum quoque humani ſermonis atque omnis rectæ interpretationis (philoſophiam quod attinet) dici poſſint principia eſſe, generalia & ſimplicia iſta, quæ ſola nos vera Philoſophia docet, eo quo oportet modo diſtincte intelligere, & tanquam principia ſupponere. Ex quo, magno errore cœperunt multi hoc ſeculo concludere, Philoſophiam deductam ex principiis iſtis ſimiliter omnem dici poſſe humanam cogni-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

tionem, quin omnes ſub ſe artes & ſcientias comprehendere. Quia non advertunt, ea quæ in Philoſophia ut principia ſupponimus & conſideramus, quantum poſſumus diſtincte, in aliis diſciplinis & communi hominum cognitione, ita cum diſtinctione non poſſe ſupponi & conſiderari. Id quod ſperamus manifeſtum fore ex iis quæ de diſtincta vocabulorum ſignificatione Parte Secunda latius deducemus.

XVII. *Hanc generalem cognitionem ſive ſcientiam, ad primam Philoſophiæ partem pertinere, ſive ad primam Philoſophiam & Metaphyſicam.*

Ad quam partem Philoſophiæ pertineat hic tractatus non jam difficile eſt porro oſtendere. Si enim ad veram *rerum ut ſunt* cognitionem γνῶσιν τῶν ὄντων ᾗ ὄντα comparandam (quæ vera demum Philoſophia eſt) primum ea quæ diximus ſcire oportet; patet, hanc ſcientiam ad primam Philoſophiæ partem pertinere: quæ hac de cauſa *Prima Philoſophia* vocatur, cujus aliud minus proprium nomen Metaphyſica eſt. Poteſt inquam Prima Philoſophia vocari hæc prima pars illius, eorum quæ tractat ſi ſpectes cognitionem quæ natura prior eſt atque prima humanæ cognitionis principia ſive elementa comprehendit. Neque ideo recte vocatur Metaphyſica, quaſi tractet τὰ μετὰ τὰ φυσικὰ ea quæ poſt phyſicam tradenda atque invenienda ſunt, ſicut Ariſtotelici loquuntur, quatenus Ariſtotelica Philoſophia ad vulgarem popularemque ſenſum accommodata, primum à ſenſibilibus incipit ſingularibus, atque per ea adſcendendum quaſi per gradus putat ad intelligibilia & abſtracta à ſingularibus iſtis: ac ſi nihil in intellectu ſit quod non acceperit à ſenſu, atque omnem in nobis intellectum debeat antecedere ſenſus. Eſt enim revera aut ſaltem poteſt eſſe, alia conſideratione quam ſequi debemus

in

in vera philoſophia, metaphyſica natura prior & notior, atque hanc veritatem Ariſtotelici per nebulam viderunt, quando dicunt metaphyſicam aliis ſcientiis præſcribere objectum ſuum. Atque à Metaphyſica, de qua hic nobis ſermo eſt, Phyſica accipit primas & ſimpliciſſimas notiones ſecundum quas omnem debemus de Natura Sermonem interpretari, & veram de rebus ut ſunt formare cognitionem, quando in nobis ratio bene diſpoſita eſt.

XVIII. *Quæ Prima Philoſophia etiam poteſt Logica vel Dialectica vocari: & quæ hujus appellationis ratio apud Platonem fuerit, quamque ea difficilis ipſi viſa ſit.*

At non male etiam Logica appellatur ſive Dialectica, hæc ipſa prima philoſophiæ pars: quia rationem informat quæ poteſt explicata oratione eſſe in ratiocinando & diſſerendo, quatenus, λόγος unde Logica dicta eſt, tam unum quam alterum ſignificat, quia conceptus noſtros verbis, rationem orationi alligamus. Id enim communiter quidem juxta communem ſenſum & opinionem facimus, hic vero ſecundum intellectum & veram ſcientiam poſſumus facere. Atque ad primam & perfectiſſimam ſcientiam hæc prima nos philoſophia perducit, quatenus ut cum Platone loquamur ex libro ſeptimo de Repub. verſus finem,
„ id ipſum quod eſt unumquodque (ſive verum ſive bo-
„ num ſit) ἀυτὸ τὸ ὄν, τὸ ἀγαθὸν ἀυτὸ, & rationem cujuſque
„ eſſentiæ attingit, quam rationem eſſentiæ λόγον τῆς ὀυσίας,
„ qui capit, ſibi & alteri poteſt rationem reddere. Cujus certe magna vis atque inſignis poteſt uſus & effectus eſſe in diſſerendo, ſive ut Plato loquitur, *in interrogando & reſpondendo ad quod aptiſſimos nos facit ſcientia iſta.* Ab hoc uſu & effectu præcipue, Plato huic primæ parti philoſophiæ ſive huic *ſcientiæ atque intelligentiæ*, uti eam vo-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

cat κατ᾽ ἐξοχὴν, etiam nomen Dialecticæ dedit. Qua ille vult & quaſi lege jubet, præ aliis virum in Repub. Principem inſtructum eſſe, quo & *intelligendi, rectum & bonum* τὸ ὀρθὸν, τὸ ἀγαθὸν αὐτὸ, *ac de eo loquendi capax ſit*, cujus veſtigia dicit inſtar numinis cujuſdam ſequenda eſſe. Quia nempe inſtar numinis, quod inter homines repræſentat ſuus ille quem deſcribit ſapiens ſive intelligens, non ab alio accipit juſti & boni rationem ſive formam & ideam, uti eam communiter homines à lege, conſuetudine atque opinione accipiunt, verum eam format & intelligit apud ſe & ſecundum hunc intellectum quando vult loquitur de his. Poteſt enim etiam ſecundum legem, conſuetudinem & opinionem de iis loqui, atque eam componere cum ſuo de his proprio intellectu. Poteſt recti in lege & opinione vel conſuetudine rationem invenire, atque etiam videre apud animum ſuum, quid rectum non ſit. Et quocunque modo loquitur vel cogitat de his, id multo majori cum ſcientia facit, quam ſi, ut vulgo fit, ſequeretur legem, conſuetudinem atque opinionem tantum; in quibus ita per ſe ſpectatis ut communiter fit atque debet fieri, nihil firmum & ſtabile, non eo modo vera ſcientia eſt, quo in propria atque interna juſti & boni forma ac vera idea, quam de eo intellectus comprehendit. Quis vero non videt, quam hæc adeo ſublimis ſcientia, quæ ſecundum Platonem omnium debet prima & altiſſima eſſe, de eo quod vere eſt, tum univerſim in genere Entis, tum ſpeciatim in genere Boni ſive Recti, toto genere diverſa à communi Dialectica ſit, quam etiam Logicam vocant, & quantum diſtet ea omnis quæ cum una & altera conjuncta eſſe poteſt diſſerendi ratio? Quippe Dialectica ſive Logica ſcholarum communis, non ſcientiam, cujus ea in diſſerendo vis & utilitas ſit, non modum ſciendi, verum præ-

cepta

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

cepta diſſerendi ſine ea quam Plato deſcribit ſcientia, ſine iſto vero modo ſciendi tradit. Atque ſi videatur tradere ſcientiam aut modum ſciendi, non tam rerum quam nominum & conceptuum, & formularum, quibus commode in diſſerendo poſſumus uti, hæc qualiſcunque peritia ſive exercitatio eſt. Etiam, quantum poteſt, dialectica communis ad communem ſe ſenſum accommodat, inſtar grammaticæ, ut ſupra monebamus, & Rhetoricæ: quibus, uti à natura nexu quodam & affinitate juncta eſt, ita non male conjunctim atque una cum iis, prima ætate in ſcholis tractatur. Cum Plato jubeat & legem ferat, in ſua Republica, Dialecticam quam deſcribit, communiter non debere tractari, & non attingi ante trigeſimum ætatis annum, & quidem ab iis tantum, qui futuri Principes in Repub. ſunt debentque hac de cauſa præ aliis rectum ſive juſtum & bonum, tam proprio, quantum fieri poteſt, intellectu, quam lege & opinione noviſſe, quibus ille legibus atque opinionibus jubet informare juventutem, quia adeo ſublimis cognitionis atque dictionis à communi ſenſu adeo remotæ, capax non eſt. Nos in his non tam τὸ ἀγαθὸν, juſtum & bonum, quam τὸ ὄν ſive generalem ſcientiam ejus quod verè eſt ſpectamus, quatenus in iſta prima & generali ſcientia omnis veritas in ſermone habet fundamentum ſuum; quod intelligere eos omnes qui ſermone utuntur, neceſſe non eſt.

XIX. *Eam non poſſe tradi hoc loco, & in quo poſita difficultas ſit.*

Si primam partem philoſophiæ, quæ ſic agit de principiis humanæ cognitionis atque omnis ſermonis, qui in hac diſtincta cognitione habet fundamentum ſuum, jam porro ob oculos poneremus; minor difficultas eſſet in iis quæ dicta ſunt. Id vero jam quoque non eſt inſtituti noſtri,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

ſtri, neque id commode hoc in loco fieri poteſt. Nec à nobis quiſquam poſtulet, ut eam ſaltem ἐν τύπῳ delineemus ſive ſummatim exponamus. Ita enim alieno loco poſita, neque pulchritudinem haberet qua in ſui amplexum, neque evidentiam qua in aſſenſum raperet nos, atque ipſa brevitas obſcuritatem pareret. Præterquam quod ad eam quam in his requirimus cognitionem aſſequendam, magna attentio & longa exercitatio requiratur. Quia ut iterum Platonis potiſſimum verbis utamur, Qui ſe „ confert ad cogitandum ac diſſerendum de his, abſque „ ſenſibus omnibus, ſine opinione & ſuppoſitione atque „ adeo quantum poteſt ſine ſermone, ratione duntaxat ad „ ipſum quod eſt nititur, nec deſinit donec intelligentia „ id comprehendat. Hanc ille *intelligentiam* dicit veram & perfectiſſimam ſcientiam eſſe, ſive, ut Ariſtoteles accuratius hæc diſtinguit, *ſapientiam*, quatenus intellectus per eam primas rerum cauſas comprehendit, & quaſi viſione quadam percipit id quod vere eſt, τὸ ὄν. Quod Plato quidem accommodate ad ſcopum ſuum præcipue de juſto & bono, nos ſaltem de rerum extra nomina & conceptus exiſtentia intelligimus: hoc enim vere ſive per excellentiam dicitur τὸ ὄν, cui opponere licet primum quidem, τὸ φαινόμενον quod ſaltem apparet in ſenſu, deinde τὸ κατηγορούμενον, quod eſt tantum dictum & cogitatum ſecundum intellectum. Horum in nobis quidem vera *cogitatio* atque *opinio* vel *imaginatio*, non autem idcirco vera *ſcientia* eſt, res ipſa ſi ſpectetur, uti hæc ita non male Plato libro VII. de Rep. diſtinguit. Quia quæ vel ſaltem dicuntur & cogitantur, vel ſolum videntur & apparent, res ipſæ non ſunt, ab his diverſæ, ſed quaſi *umbræ* rerum, ut Plato loquitur, *vel*, ut Ariſtoteles diceret, *accidentia*, quæ ab ipſamet cognitione rerum avertunt nos. Siquidem ut

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

ut umbra non eſt corpus, ita accidens res ipſa non eſt. In quibus omnibus & ſingulis non parva quidem difficultas eſt, quando adeo paucis verbis comprehenſa leguntur: Ea tamen ſic qualicunque modo diſtinguere, atque in ipſa natura humani ſermonis ita univerſim conſiderare voluimus, ut eorum quæ porro dicturi ſumus de ſermone ſive interpretatione, cujus tam diverſa poteſt conſideratio eſſe, qualecunque ponamus fundamentum, quando non licet fundamentum totum ponere. Quamquam totum fundamentum etiam paucis videatur poſſe verbis comprehendi, ut poſitum in duobus eſt, primum in generali cognitione rerum ut ſunt ſive rerum vere exiſtentium, quatenus ea cognitio propria Philoſophiæ eſt, deinde in generali modo cognoſcendi, qui partim Philoſophiæ proprius eſt, quando cum diſtinctione intelligitur, partim eſt communis quando ita cum diſtinctione non intelligitur. Hæc duo ita nexu quodam cohærent, ut qui unum novit debeat alterum noviſſe, neque adeo poſſit unum recte cognoſci ſine altero.

XX. *Tertia & quarta conſideratione aggredimur de Humano Sermone, ſive, ut Ariſtotelici loquuntur, de Interpretatione tractare.*

Tractabimus igitur de Interpretatione ſive Humano ſermone, conſideratione quarta potiſſimum, verum intellectum ſequendo, qui conformis rebus eſt. Ita tamen, ut conſiderationem tertiam, qua ſe ad communem ſenſum communis ſermo accommodat, non prorſus omittamus. Tum quia communis ſenſus, & ipſemet rerum intellectus, forte conveniunt in aliquibus, etiam in communi ſermone, tum quia ita à natura juncti ſunt, ut per omnia ſejungi non poſſint, quia qualiſcunque tam rerum quam verborum intellectus, ſive duplex in nobis intelligendi ſeu cognoſcendi modus, junctus eſt. Quanquam communem ſenſum

& in-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

& intellectum, ac duplicem hunc cognoſcendi modum, communiter ita non diſtinguant, ut nos putamus unum ab altero debere diſtingui, ſi quid futurum firmum & ſtabile in humana ratione & ſcientiis eſt. Quia ſi unum ab altero accurate non diſtinguamus, ea omnis diverſitas & contrarietas, quæ eſt in communi ſenſu & ſermone inter homines, videri poteſt pariter in intellectu rerum eſſe, quanquam revera non ſit. Atque ex adverſo ea ſimplicitas & abſoluta veritas, quæ in intellectu rerum eſt, etiam videri poteſt in communi ſenſu & ſermone eſſe, qui ad ſenſum communem accommodatus eſt. Ac ſi intellectus natura ſua diverſus & ſibi contrarius ſit, quia talis poteſt communis ſenſus eſſe, & ſicut eſt aliquis permanens & ſemper idem intellectus, qui neceſſario verus eſt, ita ſenſus communis ac veritas in eo etiam talis ſit. Quod infinitam confuſionem atque infinitos errores parit ſermonis & cogitationis, primum in Philoſophia, hinc in cæteris diſciplinis quæ ſimiliter conſtitutæ ſunt, atque ſine hac diſtinctione tractantur, ac ſi partes ſint Philoſophiæ quæ iſta confundit. De quo plura diximus §. x. & . xIII.

XXI. *Humani Sermonis ſive Interpretationis Definitio, hactenus non male tradita in Scholis: atque ejuſdem brevis analyſis.*

Interpretatio ſive ſermo inter homines eſt vox articulata animi conceptum (aut ſi mavis animi ſenſum) ex inſtituto ſignificans. Qua in definitione ad quatuor potiſſimum capita attendemus, ut dicamus primum de nomine & generali notione interpretationis, quatenus voce pronuntiata vel ſcripta comprehenditur; ſecundo, quo pacto ea Vox pro ſigno habeatur, & quæ ſit interna vocis quæ ſignificat forma, qua ab omni alio in nobis naturali ſigno diſtinguitur; tertio quæ in voce articulata ſit ratio, quod fundamentum ſignificationis, quam ipſa nos vocis formatio

tio docet, partim à natura, partim ab inſtituto eſſe; Et quarto denique, id quod omnium præcipuum eſt, quid ſignificent voces. Et quidem tria quæ antecedunt, quia adeo generalia ſunt, hac ipſa parte prima generali comprehendimus, quartum quod magis ſpeciale, & multo longioris quin infinitæ indaginis eſt, parte altera comprehendemus, quam vocamus ſpecialem.

XXII. *Nomen & generalis notio interpretationis.*

Interpretatio ita late poteſt accipi, ut comprehendat plures alias, quam quæ voce articulata fiunt. Poſſumus enim *nutu*, *geſtu*, *figuris characteribuſque* internum animi ſenſum notum facere. Quin id etiam *gemitu*, *riſu*, *fletu*, *vultu*, *oculis*, ac toto corpore facimus. Hoc ſolum intereſt, quod gemitus, riſus, fletus, vultus, oculi ac multiplex totius corporis habitus, plerumque à natura ſint: quanquam ad ea accedere voluntas poſſit & figmentum, quod à natura non eſt, ſicut in hiſtrionia contingit. Sed vero nutus, geſtus, figuræ & characteres, non tam à natura, quam à voluntate, nec non uſu & conſuetudine ſunt, & non niſi volentes & cogitantes quicquam per ea ſignificamus. Atque ideo, quid gemitus, riſus & fletus, quid vultus, quid oculi velint, per noſmetipſos intelligimus plerumque, ſine alia interpretatione. Quatenus iſta omnia ſimiliter quiſque apud ſe experitur, & ſimilis fere internus ſenſus, cum his externis ſignis à natura junctus eſt. Quod ſic dici de iis nequit, quibus *libera voluntate & cogitatione jungimus animi ſenſus* & conceptus noſtros. Quæ idcirco propria notio interpretationis eſt, quatenus illius ſpecies quædam in voce articulata conſiſtit, ut quidem in Logica ſpectatur. De qua interpretatione jam porro dicendum eſt.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

XXIII. *Vox articulata ut pronuntiatur, ad interpretationem aptiſſima eſt.*

Sed vero præ omnibus apta & commoda ea interpretatio eſt, quæ *voce articulata* fit, ad ſignificandum libera voluntate & ſecundum intellectum noſtrum, internos animi ſenſus. Primum quidem, quia in ea major varietas eſt, quam in voce inarticulata, vel quocunque alio ſigno. Quatenus hanc vocem quando articulata eſt, infinitis modis variare & flectere, nec non componere ac dividere poſſumus. Quod valde commodum, quin unice neceſſarium eſt ad ſignificandam innumerabilem illam diverſitatem, quam experimur in cogitationibus noſtris. Quia res innumeræ ſunt de quibus poſſumus cogitare, & ipſæ in nobis cogitandi formæ ſunt innumeræ, ſive in re una & ſimplici, ſive in rebus diverſis & compoſitis occupentur. Deinde articulata vox ad communem vitæ uſum maximè accommodata eſt: quia tam perceptio, quando eam audimus, quam pronuntiatio, quando formamus vocem, adeo facilis eſt. Percipimus enim eam communiter, ſine labore qui corpore peragitur, & fere ſine attentione, qua animus laborat. Et ſimliter fere eam pronuntiamus. Uſque adeo ut etiam in infinita varietate difficultas non ſit, ut quidem in aliis ſignis eſt formandis & percipiendis, quando ad animi ſenſus ſignificandos, adhibenda & varianda ſunt. Denique quod omnium præcipuum eſt, non occurrit ulla interpretatio quæ magis prompta & celeris ſit, quamque magis in poteſtate habeamus, voce articulata; quando prompta & celeris pronuntiatio eſt, ut ſolet à natura eſſe. Quod valde commodum eſt ad eam promptitudinem & celeritatem imitandam & quantum poſſumus exprimendam ſigno externo, quam in interno animi ſenſu & cogitatione experimur. Neque id ita poſſumus facere ullo alio ſigno,

ſigno, ſive ſolo corpore noſtro, ſive alio inſtrumento utamur. Quandoquidem corpus noſtrum, vel aliud inſtrumentum, ſic in poteſtate non habemus, ut quidem os, linguam, labia & guttur, quibus vocem formamus, quæ articulata, ſive ex diverſis ſonis tanquam articulis compoſita vox eſt. Quos ſonos diverſos literis & ſyllabis comprehendimus: de quarum poteſtate Grammatici tractant.

XXIV. *Scriptura, ut vocis articulatæ quædam conſignatio eſt, multum deficit à poteſtate ejus.*

Sic ſe interpretatio habet, ut voce peragitur, quam audimus, quando pronuntiatur. Eſt præterea ſcripta vox quam videmus, quatenus expreſſa certis figuris ſive characteribus eſt, quæ illius ſigna ſunt. Harum figurarum poteſtatem noviſſe, & ſecundum eam vocem pronuntiare eſt *legere*. Sed ea non tam nova ſive diverſa interpretatio, quam illius de qua loquimur, conſignatio & quædam commemoratio eſt. Notandum ſolummodo ſcripturam tantum ſignificare vocem, cujus nota & indicium eſt, ſicut animi ſenſum & cogitationem vox ſignificat. Ἔϛι μὲν οὖν τὰ ἐν τῇ φωνῇ τῶν ἐν τῇ ψυχῇ παθημάτων σύμβολα; καὶ τὰ γραφόμενα, τῶν ἐν τῇ φωνῇ. *Quæ igitur ſunt in voce, ſunt notæ paſſionum in anima, & quæ ſcribuntur ſunt notæ eorum quæ ſunt in voce.* Ariſt. de Interpret. cap. 1. Proinde ut voce externa non poſſumus exprimere omnem internum animi ſenſum, omnemque ejus varietatem ac celeritatem imitari, ita non poteſt ſcriptura ſic per omnia vocem exprimere, ut comprehendat omnem qualitatem ejus. Qua ratione, quodcunque deeſt in voce ad animi ſenſum exprimendum, id pariter & adhuc magis deeſſe in ſcriptura neceſſe eſt. Ac ſemper minor vis & poteſtas ſcripturæ, quam vivæ vocis eſt. Adeo ut obſcuritas, confuſio vel error, quæ occurrunt forte in viva voce, debeant ſingula pariter & forte adhuc magis in voce ſcripta occurrere, quæ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

viva non eſt. Quanquam ex adverſo neceſſe non ſit, ut ea omnis claritas, diſtincta perſpicuitas & veritas, quæ percipitur in vocis pronunciatione, quando eam audimus, pariter in voce ſcripta percipiatur, quum oculis videmus atque legimus ſcripturam ejus. Quæ ſingula, uti facile rhetores atque oratores admitterent, quia norunt, quæ & quanta vis vivæ vocis & pronuntiationis ſit in dicendo & perſuadendo: ita advertere & notare ea logici ac philoſophi deberent, quatenus vivæ vocis, quando eam cum ſcriptâ comparamus, etiam major vis in ſignificando atque intelligendo eſt. Sicut propoſitum debet logici atque philoſophi eſſe vere intelligere & ſignificare res: quod eſt eas ſecundum veritatem notas facere.

XXV. *Vocem articulatam hic pro ſigno haberi, & quæ ſit interna forma ejus.*

Jam porro de voce articulata dicitur, quod *ſignificet*, hoc eſt aliquid à ſe diverſum notum faciat. Quod quanquam videatur ſatis notum & manifeſtum eſſe, communiter tamen non advertimus ſatis. Quia quotidianus uſus ſermonis ita familiares nobis voces reddit quas audimus & pronuntiamus, ut ſæpe non cogitemus aliud, ut ſane debemus cogitare, ſi quid diverſum ſignificant voces. Qui inſignis error eſt. Quem errorem ut vitemus, notari velim, quando interpretatio vox articulata dicitur, aliquatenus impropriam loquutionem eſſe, ſive ut logici loquuntur, definitionem cauſalem non formalem. Quatenus ipſa per ſe vox interpretatio non eſt, externa ſive corporea forma ſua, verum interpretationis inſtrumentum tantum: non quidem ſeparatum ſed conjunctum, ſicut animus junctus cum corpore eſt, atque animus una cum corpore format vocem. Qua ratione interpretatio etiam præcipue actus animi erit, ſe conantis alteri notum facere aliquo corporis actu, quia id

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

ſe ipſo non poteſt; quod eſt ſignificare. Et perſpicuum jam fit, inter omnes corporis actus aptiſſimam vocem articulatam eſſe, quatenus viva & intelligens, ſive viventis ſecundum intellectum vox eſt, atque in eo poſitam habet internam formam ſuam, qua diſtingui debet à bruta & non viva voce, quæ neque intelligens neque ſignificans eſt.

XXVI. *Ratio & fundamentum proximum ſignificationis in unione vocis externæ cum ſenſu interno: qua fit ut primo ad vocem attendamus.*

Non jam difficile eſt porro oſtendere, quæ idcirco ratio, quod fundamentum proximum ſignificationis in voce articulata ſit. Ratio enim ſive cauſa proxima eſt unio ſive conjunctio vocis articulatæ externæ, cum aliquo interno animi ſenſu. Quatenus ut animus junctus cum corpore & cum eo unum ſive unus homo eſt, ita poteſt animi actus cum actu corporis jungi, & unum eſſe, ut una vox. Ita non de voce ut eſt ſonus, vel de ſenſu, ut eſt aliquis animi conceptus tantum, ſed de utroque ſimul cogitamus & utrumque ſimul comprehendimus. Quia ut dictum eſt, non tam duo quam unum ſunt, intima unione & compoſitione, ut homo qui format vocem, animo & corpore unus eſt. Quia igitur, quando profertur & auditur ea vox, ſe cum ea & per eam ingerit auribus ac mentibus noſtris, internus ſenſus & conceptus aliquis, illius ſignum dicere poſſumus vocem eſſe, eamque ut priorem ſive antecedentem ſpectare. Quod adeo verum eſt, ut tam de eo qui vocem pronuntiat, quam de eo qui audit & percipit, poſſit intelligi: ſi modo vox antequam pronuntiatur nota fuerit: non enim de prima vocum inventione hic agimus, ſed de uſu vocum poſtquam ſunt inventæ. Etenim tam unus qui loquitur, quam alter qui audit, prius de voce quam de re & ſenſu, atque ſæpe quidem de voce ſine ſenſu & re, non autem unquam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

forte de re & ſenſu ſine voce cogitat. Ut ratio atque cogitatio noſtra videatur tantum ſermo quidam internus eſſe, λόγος ἐνδιάθετος, ut logici loquuntur, ſine quo ea quæ jam in uſu eſt ratiocinatio non conſtaret. Quod non aliunde contingit, quam quia conceptus, qui modo vocibus comprehenſi ſunt, ita iis alligamus, ut facilius & prius vocum, quam conceptuum recordemur, videaturque ſæpe ratiocinatio non tam rationum ſive conceptuum in cogitatis, quam vocabulorum in dictis ſubductio aut copulatio eſſe. Quandoquidem ante omnem conceptum de re, ſæpe voces novimus, eaſque præmittimus, dicendo, *ſol eſt hoc quod video, illud arbor, hoc lapis.* Ubi nomina ſol, arbor, lapis, ſupponuntur antequam res ipſæ præſentes & notæ ſint. Sicut pueri in ſcholis hoc pacto ante res nomina ſupponunt, quæ audiunt, vel legunt, & valde multas voces addiſcunt, quarum intellectum vel nunquam vel admodum obſcure & confuſe aſſequuntur. Quod ſic non faciunt alii homines qui prius res ipſas quam nomina cognoſcunt quorum hinc ingenium ſæpe magis aptum ad veram ſcientiam eſt. Proinde ſi forte aliquis in nobis conceptus ante vocem eſt, ut poteſt eſſe, quamdiu nomina rebus nondum impoſita, vel nobis ignota ſunt: tum quidem ea vox prior ſive antecedens non eſt, quando primum accedit & ſecundo loco ponitur, dicendo, *hoc quod video, & vidi ante & eatenus novi, eſt ſol ſive habet nomen ſolis*, quod prius ignorabam. Hinc vero non ſequitur, vocem priorem & antecedentem non eſſe, & ut priorem non ſpectari, quando vel ipſi repetimus & pronuntiamus, vel iterum audimus eam. Quia ut ſolemus in pluribus, ita hic quoque ordinem mutamus, qui alius inventionis, alius doctrinæ & commemorationis eſt. Ponimuſque & ſpectamus primo loco, quod forte ſecundum erat: quia poſt-

quam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

quam inventum eſt, magis afficit nos & occurrit prius. Eſt enim certe interpretatio ſive vox pronuntiata omnis, doctrina & commemoratio quædam, quam qui percipit, docetur. Sicut prima inventio doctrina non eſt. Voces etiam poſtquam inventæ ſunt & notæ, continuo & familiari ac facili uſu ſuo in ſermone quo docentur & diſcuntur, magis & prius quam res, vel ulla cogitatio de rebus afficiunt nos, ac etiam magis & prius occurrunt plerumque. Atque ideo magis & prius ad voces attendimus, perque eas, res ſive cogitationes de rebus ſignificamus & notas facimus. *Quia cum non liceat res ipſas per ſe in diſſerendo afferre*, neque cogitationes noſtras, *nominibus tanquam notis utimur vice rerum* & cogitationum. Ut pulchre Ariſtot. de Soph. Elench. Capite quinto loquitur.

XXVII. *An voces ſint & ſignificent à natura, an ab inſtituto tantum.*

At vero non parva difficultas occurrit, ſi iterum quæramus, quæ jam porro in nobis cauſa ſit vocis, ut ſic juncta cum aliquo animi ſenſu eſt? An hoc totum à natura, an *ab inſtituto*, an partim ab uno partim ab altero ſit? Quam quæſtionem non poſſumus hic totam componere, ex fundamento ſuo, niſi univerſim de ſignis tractemus, dicamuſque, quid revera ſint Naturalia, quid Arbitraria ſigna, & quæ in iis cauſa ſit, quod unum potius quam alterum ſignificent, ubi tanta rerum diverſitas eſt. At hæc ita late deducere ut merentur, etiam non permittit jam ratio inſtituti noſtri. Ideoque ut breves ſimus, ſummatim dicimus tantum, primum quidem voces articulatas prorſus à natura non eſſe, uti riſus, fletus, clamor, gemitus, vultus, oculi aliaque inter loquendum, communiter à natura ſunt. Deinde eas quoque per omnia ab humano inſtituto non eſſe, ſive voluntate, quam naturæ opponimus hoc loco, ut nutus,

nutus, geſtus & quicunque alius voluntarius motus in nobis, item campanæ ſonus, hederæ ſuſpenſio, aliaque innumera extra nos. Atque ideo reliquum eſſe, ut voces partim à natura, partim ab inſtituto ſive arbitrio humano ſint. Uſque adeo, ut non ſit una & ſimplex in iis, verum duplex & compoſita ſæpe cauſa agnoſcenda. Quod non advertunt, qui ſimpliciter affirmant, voces vel à natura, vel ab inſtituto tantum humano eſſe, atque uno vel altero ſeorſim modo voces putant habere ſignificationem ſuam.

XXVIII. *Riſus, fletus, atque aliæ paſſionum notæ in nobis, fere tantum à natura ſunt.*

Verum enimvero, ut eorum quæ ita univerſim & ſine ratione, ut videtur, affirmamus & hactenus ſupponimus tantum, aliqua ſaltem ratio manifeſta fiat: aliquanto diſtinctius de ſingulis ſeorſim dicamus. Ut primum videamus, quid vel à natura, vel à noſtra voluntate atque inſtituto ſit, in omni alio ſignorum genere, atque ſic demum, quia voces in aliquo ſignorum genere ſunt, concludamus de his. Primum igitur, *riſus*, *fletus*, *gemitus*, *clamor*, *vultus*, *oculi*; motus prorſus naturales ſunt, etiam juncti à natura cum affectu aliquo. Quam conjunctionem qui novit, uti eam à natura omnes novimus, ac ſæpe experimur in nobis præter vel contra voluntatem noſtram: his tanquam notis cognoſcit affectus iſtos. Quæ proinde ſignificatio naturalis eſt, ſicut primum id quod ſignificatur, puta affectus aliquis, ira, amor, odium, lætitia, deinde id quod ſignificat, vultus, oculi, gemitus, riſus, & tum quoque nexus eorum inter ſe à natura eſt. Sique adeo aliquid in his à natura forte non ſit, ut poſſunt affectus in nobis ſecundum intellectum & voluntatem eſſe, poſſunt fingi motus, ac ſi eſſent notæ affectuum, poſſunt aliter quam natura facit, jungi inter ſe: ſignum quod à natura eſt ac naturale, ex parte arbitrarium

fit

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

fit ac pendet à voluntate noſtra. Sed ea tum non tam vera ſignificatio, ſicut à natura eſt ac fit uno fere modo tantum, verum fictio & ſimulatio eſt, quam facere poſſumus diverſis modis. Quod tamen ſic per omnia non mutat in iis formam & conditionem ſigni, quin plus in eo naturæ quam voluntati ſit tribuendum. Suntque adeo non tam arbitraria, quam naturalia ſigna, etiam quando voluntas & fictio accedit. Quia certe à natura habemus riſum, fletum, vultum, oculos, quibus aliter quam à natura ſumus affecti, fingere poſſumus nos affectos eſſe. Et in affectu quoque aliquid à natura eſt, etiam quando fingi dicitur: quia vix ita poteſt fingi, ut non adſit veri & ſynceri quicquam. Ac eſt denique tam ficti quam veri affectus aliqua ſaltem naturalis connexio cum motibus ſive notis iſtis. Voluntas in fictione & ſimulatione accedit tantum, atque non tam facit novos motus quam eos aliter quam natura docuit nos, componit, dividit, flectit, moderatur, intendit, remittit & ita accommodat ad propoſitum ſuum. In quo plus naturæ, quam arti atque voluntati tribuendum.

XXIX. *Nutus, geſtus & talia in nobis, fere tantum à voluntate ſunt.*

Deinde nutus, geſtus & quicunque alius, manus, pedis aut totius corporis motus, aut habitus certus, quando iis aliquid volumus ſignificare, eo quo jam dictum eſt modo, naturalia ſigna non ſunt. Sive id quod ſignificat voluntarius motus iſte, ſive id quod ſignificatur, ut poteſt animi propoſitum & quodcunque factum ſignificari, ſive unius cum altero in his conjunctionem ſpectes. Quia nihil horum ſic per omnia & ſolum à natura eſt, ut quidem ſingula in fletu, riſu, vultu, oculis totoque corporis habitu ac geſtu, quando in nobis notæ paſſionum ſunt, dici poſſent à natura eſſe, quam à voluntate diſtinguimus. Ideoque fictio,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

ſimulatio & diſſimulatio multo magis & facilius in his locum inveniunt, quæ à libera voluntate pendent, quam in iis quæ naturales tantum notæ paſſionum ſunt. Poſſumus ab his de quibus jam loquimur, motibus liberis ſine difficultate & labore abſtinere; poſſumus ut lubet, eos mutare, ſicut in ſcena atque mimis & hiſtrionibus videmus, qui minori labore, nutu, geſtu & quocunque voluntario motu utuntur atque eo repræſentant multa & valde diverſa quam quidem poſſint riſum, fletum, vultum, oculos imitari, in quantum naturales notæ paſſionum ſunt in quibus tanta diverſitas non eſt. Quia voluntatem magis, quam naturam in poteſtate habemus. Ita in his motibus ſaltem à natura eſt, univerſim facultas movendi, caput, manus, pedes ac totum corpus, atque cum his motibus jungendi quodcunque volumus ſignificare iis, in nobis vel extra nos. Et accedit quandoque ſpecialis propenſio à natura ad unum præ alio motum. Hinc tamen pariter à natura non eſt quilibet determinatus motus, ut riſus, fletus & talia in notis paſſionum ſunt, neque unio ſive conjunctio illius cum eo quod forte ſignificat, à natura eſt. Non etiam propenſio iſta ad unum ſpecialem motum ſimilis in omnibus eſt, nec tanta quin multo facilius eam ſuperemus aut moderemur. Et quia iſta omnia ſecundum voluntatem facimus, quæ ſi non ſola agit, ſaltem imperat in his, magis arbitraria quam naturalia hæc ſigna ſunt: uti è contra in paſſionum notis plus vidimus naturam quam voluntatem poſſe. Niſi forte longo uſu & familiaritate nimia ſive conſuetudine quæ altera natura eſt, hi motus voluntarii vertantur in naturam. Quo in caſu quantum poſſunt, formam & conditionem mutant, referuntque notas paſſionum. Quia ſimiliter fere non à voluntate, verum à natura ſunt, ſiquidem non amplius in iis libertas atque ratio, non de-

lectus

lectus & intellectus eſt, ſed naturæ ſive corporis impetus dominatur.

XXX. *Rerum ſigna extra nos, quæ ſumimus ad ſignificandum, adhuc magis à voluntate eſſe.*

Porro quod attinet *ſonum campanæ*, *hederam* & talia, ea ut ſunt extra nos & non ita habent connexionem cum animo noſtro, ut quidem paſſionum notæ, aliquanto adhuc longius à naturalibus ſive natura notis ſignis recedunt, debetque adeo ſignificatio in his adhuc magis à voluntate atque hominum inſtituto pendere. Si enim res ſpectemus, quæ ita ſignificantur, eas cum delectu ſumimus, ſicut extra nos *vinum*, *concionem*, aut forte in nobis, actum quendam. Et pariter cum delectu ſumitur, non à natura accipitur, id quo ſignificamus talia, *ſonus campanæ*, *hedera ſuſpenſa*. Ac proinde, quia rerum quæ ita cum delectu, & ſæpe fortuito ſumuntur, nexus ſive concurſus, à natura non eſt; hic etiam voluntas intercedit, cum intellectu & cogitatione noſtra. Propter quam ſolam idcirco cogitationem & voluntatem, non per naturam, dicuntur ſigna, & ſignificant tantum pro iis, quibus ea voluntas ſive cogitatio nota eſt. Quanquam enim & in his unum præ alio ad ſignificandum quandoque aptum videtur, propter analogiam aut ſimilitudinem, ut præcipue in figura & imagine contingit: ea tamen, ut ſunt extra nos, ſicut omne ſignum materiale, haberi adhuc poſſunt ac debent pro arbitrariis ſignis, quia ſaltem arbitrio noſtro ad ſignificandum ſumuntur. Neque enim ea ſumptio ita neceſſaria eſt in rebus extra nos: ut quidem in iis quæ in nobis ſunt. Siquidem, quod iſta externa non faciunt, hæc interna, quatenus in nobis ſunt, vel proxime afficiunt animum, ut notæ paſſionum naturales, riſus, fletus, gemitus, vel ſubſunt animo, ut nutus, geſtus, atque alia multa quæ experimur voluntaria eſſe.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

XXXI. *Solas in nobis ideas ſigna vere naturalia eſſe ab omni parte, quatenus in ſeipſis atque in animo habent formam ſigni, ſine qua non poſſet res ulla alia pro ſigno haberi.*

Quibus ita poſitis, ſi tandem cogitemus, eſſe ſaltem in nobis imagines, quæ materiales non ſunt, quas Plato ſecundum intellectum, *ideas*, Ariſtoteles ſecundum ſenſum, *ſpecies*, alii *notiones*, vel *conceptus* vocant: filo quodam ratiocinationis, hactenus non interrupto, pervenerimus ad aliquod ſignum, quod per omnia naturale ſit, & quidem eminentiori modo quodam, quam ea omnia de quibus dictum eſt. Quia hoc demum ſignum per eſſentiam erit, propria forma, quæ illius natura ſive eſſentia eſt. Atque ideo ſignificat & repræſentat, non per aliud, non in alio, ſed per ſe, & ſui ſive proprii tantum ſubjecti ratione, quod in nobis animus eſt. Ea propter non male *ſignum formale* vocatur: ſicut omnia alia ſigna, ut ab hoc uno diſtinguantur, *materialia ac inſtrumentalia* dicuntur, quia non tam ipſam in ſe formam, quam materiam habent ſigni, & ſignificandi in nobis quaſi inſtrumentum ſunt. Sique adeo tale ſignum formale, ſive ea propria forma ſigni non eſſet, vel cum aliorum ſignorum materia non jungeretur, ut quidem in nobis ea conjunctio debet facta ſecundum cogitationem eſſe, quia eam ipſæ per ſe res, neque habent neque faciunt inter ſe: Tum inquam non eſſet quoque res ulla quæ ſignificaret, vel repræſentaret ac notum faceret quicquam. Quæ ſi ita ſint, non erit ſignum ullum extra cogitationem noſtram, verum res cogitatæ ſigna erunt, ut ſunt in cogitatione: quia ſine cogitatione & extra eam non eſſet ea habitudo atque connexio & forma rerum, quæ ad ſignificandum neceſſaria eſt, & cognitio non eſſet, ſine qua ſignificatio non eſt, ſi ſignificare eſt notum facere. Proinde, quando nihilominus dicũtur *ſignificare & ſigna eſſe*, atque ali-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

quid notum facere, res illæ, quæ propria forma ſive ipſa eſſentia ſua non ſignificant, ſigna non ſunt, & non faciunt quicquam notum: ſenſus hujus dictionis eſt, quod res una cogitata, ſive idea ſeu conceptus unius rei faciat, ut nobis in mentem veniat res alia cogitata, hoc eſt, rei alterius idea ſive conceptus, quatenus res ſecundum ideas ita in cogitatione junctæ ſunt. Hæc tota dictio ſive loquutio, ipſarum rerum reſpectu quæ ſunt extra nos, denominatio tantum externa eſt ab eo, quod ſecundum cogitationem atque in cogitatione tribuimus rebus. Quo nomina & notiones quidem, non res ipſæ non formæ rerum mutantur: ſicut hederam eſſe ſuſpenſam, ut ſignum vini venalis ſit, aliud nomen, alia notio ſive conſideratio, non alia res eſt. Vinum ſignificari per hederam, nova denominatio, non nova res, non nova forma eſt in vino extra nos. At certe eſt nova in nobis forma, ἰδέα, εἶδος, *idea*, *ſpecies*, toto genere diverſa à rerum formis extra nos, quando vel de vino & hedera ſeparatim, vel de uno & altero conjunctim cogitamus atque ita nobis in mentem venit eſſe vinum venale ubi ſuſpenſa hedera videtur. Hæc in nobis viſio atque cogitatio, quæ certe nulla eſt ſi idea non ſit tum ſimplex rei unius tum conjuncta plurium, formam in ſe ſigni habet & formale ſignum eſt, notum faciens aliquid à ſe diverſum, quanquam (quod notandum) de diverſitate communiter adeo dictincte non cogitemus, propter ſubſtitutionem, quam nos partim natura, partim conſuetudo ſermonis docet. Id quod in his materiale eſt ipſum per ſe corpus hederæ, non ſignificat, non notum facit quicquam, ſed ſolum dicitur ſignificare & notum facere per eam quæ in anima eſt ſpeciem ſive ideam. Ut, ſi ullibi, in his locum habeat dictum Ariſtotelis lib. III. de Animâ Cap. 8. *Neceſſe eſt aut res ipſas aut ſpecies in anima eſſe, at non ſunt in ea res*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

ipſæ , non enim lapis in anima eſt , ſed forme ſive ſpecies. Atque *animam eſſe locum formarum* τόπον εἰδῶν *recte dixiſſe veteres*, capite quarto monuerat. Adeo nota hæc veritas antiquis fuit , quam ut notam ſupponit Capite octavo, Animam dicens *quodammodo omnia eſſe quæ ſunt, atque intelligendo & ſentiendo fieri omnia.* Hæc vera cauſa ejus de qua diximus ſubſtitutionis eſt , quando hedera dicitur ſignum vini venalis ; quod ſaltem in idea eſt verum , propter connexionem quæ ſic facta in cogitatis eſt,ut videatur connexio rerum eſſe facta.

XXXII *Sintne voces materialia tantum, an formalia ſigna? item naturalia, an arbitraria? Et quæ ſcitu in his neceſſaria ſint.*

His ita cognitis , aliquam videmur lucem in his tenebris percipere , & diſtinctionem videre in hac rerum confuſione. Et primum quidem manifeſtum fit , voces neque materialia tantum , neque ab omni parte formalia ſigna eſſe. Siquidem in iis eſt aliquid quod ab animo , & aliquid quod à corpore habent ; quatenus non unus & ſimplex , verum miſtus & compoſitus actus eſt quo vocem formamus. Quibus poſitis , voces poterunt partim à natura , partim à voluntate atque inſtituto eſſe. Similiter , neque naturalia tantum , neque prorſus arbitraria ſigna erunt. Quæ ſingula tum demum diſtincte intelligere & firmiter concludere poſſumus , quando vocem ſpectavimus , primum ut pronuntiatur , ſive in principio , à quo procedit ; deinde ut propagatur , ſive in medio , per quod tranſit ; denique ut terminatur , ſive in fine , ad quem tendit. Quo in fine demum accipit & habet plenam formam qua ſignificat & ſignum eſt. Et ut clariora hæc fiant , ante omnia conſiderabimus eos omnes animi & corporis actus , qui antecedunt vocem , & ad eam diſponunt vel impellunt nos. Ut ſunt , in corpore quidem motus valde multi , ab externa vel

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

vel interna cauſa; in animo ſenſus externi vel interni, juncti cum motibus iſtis. Quibus multiplex alia poteſt cogitatio accedere. De quibus ſingulis ſeorſim & latius dicemus.

XXXIII. *Motus in corpore, qui antecedunt vocem, ab externa cauſa.*

Et ut primum de motibus corporis dicamus, qui antecedunt; hos ſpectare poſſumus in oculis, auribus, naribus, ore, manu, pede vel alia corporis parte: quando ab externa cauſa tali modo afficiuntur, ſive moventur, ut hinc in reliquo corpore ſequatur effectus aliquis. Quatenus iſte motus præcipue ſecundum nervum & ſpiritum fit, atque eorum interventu, primum ad cerebrum, hinc ad cor, & ſic porro, quia cor eſt primum movens in corpore, ad plures partes alias pertingit. Quæ hinc iterum poſſunt moveri interno & proprio motu, qui non tam paſſio quam actio eſt. Nam cerebri, cordis & plurium aliarum partium, inter quæ poſſunt inſtrumenta vocis eſſe, multiplex connexio inter ſe, & in multis ad unum opus conſpiratio eſt. Ut ſint quaſi unum in opere uno plures partes, ſicut totum corpus unum, atque unus in eo ſpiritus eſt, ſanguis unus, cor unum. Ea vero connexio & conſpiratio, vocem quod attinet, ante omnia in illo motu eſt, quem ſonus in auribus facit, præcipue quando ſonus vocis vivæ eſt, quæ pronunciatur, Quandoquidem qui audit voces, quantum poteſt imitatur eas. Adeo ut ex aeris & aurium motu illo quem ſonus facit, videatur in corpore reliquo motus ſequi quo ad ſimilem vocem formandam impellimur à natura, quando, ut ſupponimus hic, organa ſimilia ſunt.

XXXIV. *Motus in corpore antecedentes ab interna cauſa, & effectus eorum, qui ad vocem non uno modo diſponunt nos.*

Sed vero poſſunt etiam eſſe aliqui motus interni in nobis, ſine motu externo, qui primum in oculis, auribus, aut alia

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

alia parte corporis ſit. Nam ſpiritus ex ſe ipſis moventur, atque etiam in ſanguine & humoribus multiplex motus eſt. Ut jam de proprio motu cordis non dicam: quo ſanguinem, ſpiritum & humores ſuopte impetu moveri neceſſe eſt. Ita poteſt ſtomachus ab acri humore, poteſt os à ſicco & ſalſo affici; poteſt multiplex in membris alius motus eſſe. Et quod præcipuum eſt, poteſt ſine externa cauſa cerebrum, poteſt una cor moveri, aut potius perturbari in motu ſuo. Atque inde primum in ſanguine, ſpiritu & humoribus, hinc in partibus aliis multiplex commotio ſequitur. *Quia parva mutatio in ipſo facta principio, multiplices & magnas in extremo facit differentias: ut temone paululum tranſlato, magna proræ fit tranſpoſitio.* Ariſt. lib. de Animalium motione cap. 7. in fine. Quibus ſi non continuo & ſemper, aliquando tamen, vocem multis modis moveri, excitari & alterari, equidem mirandum non eſt. Præcipue ſi cogitemus, hinc in avibus cantum, in equis hinnitum, in infantibus vagitum, in homine clamorem & ejulatum eſſe: ubi corporis ille motus vehemens, & non impeditus ab animo eſt. Cur enim cum hi vocales ſoni ſint, à ſingulis animalibus aliter formati in aere inter exſpirandum, quia ab interna cauſa, aeris alliſio & fractio alia eſt: cur inquam ab eadem interna cauſa etiam aliter in homine vox articulata non formatur? Cur idem de ſingulis non dicimus, quod cum ratione videmur de toto genere affirmare, quodque in ſpecie, puta homine, de calido, frigido, viro, muliere, juvene, ſene, verum eſt? Quibus fere non alia de cauſa vox diverſa adeo inter loquendum, quam quia temperamentum diverſum, quia ſanguis, humor & ſpiritus diverſus eſt. Quam putamus unam ex cauſis eſſe, cur neque una inter omnes homines lingua, neque unius linguæ elocutio ſive dialectus una ſit.

XXXV.

XXXV. *Hos motus in corpore antecedentes poſſe confusè junctos eſſe cum multiplici in anima ſenſu; quemque Natura ordinem ſervet ratione externi & interni ſenſus.*

Non jam difficile eſt invenire eos animi actus qui cum his motibus à natura juncti ſunt. Quia eos omnes experimur, ut ſaltem ſunt in nobis, etſi non advertamus unde ſint, nec ſciamus eos tantum à motu eſſe. Inter eos poſſemus primo loco ſenſus internos, hinc externos conſiderare. Quia naturam ſi ſequamur, videntur primo in nobis naturales affectus atque appetitus eſſe, ab interna & naturali cauſa. Quod forte etiam dici poſſet de dolore & voluptate. Sed hunc ordinem naturæ non ſequemur, quia ipſa eam natura, ſi forte ab initio fecerit, id in nobis non videtur continuo facere. Quatenus motus atque ſenſus ab externa cauſa, motuum & ſenſuum internorum plerumque cauſæ & ſic ſaltem priores ſunt. Sed vero tanta eorum omnium eſt confuſio inter ſe & permiſtio, propter animæ & corporis unionem, atque omnium fere motuum ſive actuum in iis permiſtionem, ut dici vix poſſit, quid primum vel ſecundum ſit: ſicut revera in pleriſque non eſt primum vel ſecundum, ſed eorum quæ nos ita conſideramus diſtinctionis cauſa, inter ſe compoſitio & mutuus nexus tantum, quo fit ut tam inter ſe cauſæ, quam effectus, tam effectus quam cauſæ ſint, ab una & altera parte.

XXXVI. *Senſus externi & interni diſtinguuntur; & quo pacto in iis non unus & ſimplex, ſed compoſitus actus ſit.*

Dicamus igitur hos in nobis externos ſenſus eſſe, oculis videre lumen & colores, auribus audire ſonos, naribus odorari odores, lingua & palato guſtare ſapores, manu, pede, & quocunque alio membro externo, calorem, frigus, duritiem aliaſque tactiles qualitates percipere. Hi proprii horum ſenſuum actus ſunt, quos ſolos natura pro-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

xime atque intime junxit, ſingulos cum certo quodam motu, ſicut tam movens extra nos, quam id quod movetur in nobis, diverſum eſt. Ut certe, movens quod attinet, aliud in qualitate luminis, aliud in qualitate ſoni eſt, atque etiam oculus qui movetur, aliter moveri aptus eſt, quam auris, vel alia pars. Deinde aliqui tales in nobis ſenſus, ſaltem tactum quod attinet, etiam interni ſunt, quatenus motus quo afficitur ab interna cauſa eſt. Quibus idcirco non aliorum corporum, ut in externis ſenſibus accidit, verum noſtri tantum corporis videmur qualitatem percipere: uti is qui ſui corporis ab interna cauſa calorem, frigus, dolorem, voluptatem, pondus, levitatem ſentit. Porro fames & ſitis etiam ſenſus interni ſunt, & aliquantum de natura doloris participant. Quatenus omnis moleſtia in ſenſu, ſicut in fame ſtomachi vellicatio, in ſiti oris ſiccitas, ſpecies doloris eſt. Hoc ſolum intereſt, quod calor, frigus, dolor & voluptas fere tantum ut ſenſus ſpectentur orti ex motu quem recipimus; cum in fame & ſiti, præter qualemcunque talem ſenſum ſpectetur appetitus, ex motu, quem facimus, aut ſaltem conamur facere. Adeo ut in fame & ſiti duo corporis & duo animi diverſi actus ſint, corporis quidem, unus quo patitur & recipit, alter quo quaſi agit & conatur facere motum. Similiter animi actus unus eſt quo in ſe percipit, alter quo in corpore conatur facere aliquid. Qui conatus faciendi ſive aliquid conſequendi, proprie id eſt, quod appetitum vocamus; ſive animi, ſive corporis iſte conatus ſit, quatenus pariter animo & corpore cibum & potum appetimus. Sed vero omittendum non eſt, etiam in aliis ſenſibus, aliquam compoſitionem eſſe, ſecundum animi & corporis actum. Quatenus præter ſimplicem *ſenſum*, qui poſitus in perceptione alicujus motus eſt, qua nihil affirmamus, & non tam agimus quam patimur; experi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

perimur in nobis *aſſenſum*, quo ſic ferimur, quod eſt agere, ad affirmandum, quod non ſine voce & motu facimus, ut in fame & ſiti ad cibum ac potum ſumendum ferimur. Ut hic etiam duplex animi & duplex corporis actus ſit. Quam diſtinctionem & compoſitionem, quia non advertimus communiter, unum & alterum ſimul & confuſe intelligimus, quando dicimus nos ſentire, ſive ſenſu percipere talia. Ut non advertamus fere, an de *ſenſu*, an de *aſſenſu*, an de utroque, an de corporis, an de animi actu loquamur. Et ut in fame & ſiti aliquanto magis de appetitu, quia magis movet & afficit nos, quam de ſimplici ſenſu cogitamus, & hinc per nomina fames & ſitis non tam ſenſum, quam appetitum intelligimus; ita quando loquimur communiter de alio ſenſu, in quo ille appetitus non eſt vel non conſideratur, intelligimus aſſenſum præcipue, qui hic etiam magis movet & afficit nos quam ſimplex ſenſus. Hoc ſolum intereſt, quod nomine *appetitus*, ſenſu ſepoſito, fere ſimplex ille actus, ſed nomine *ſenſus* aliquanto magis actus compoſitus intelligatur. Ea enim compoſitio expreſſa eſt nomine Aſſenſus: quo ſignificatur, Ad ſenſum, qui eſt actus ſimplex, communiter accedere alium actum, quo compoſitus ſit.

XXXVII. *Imaginatio & Memoria ex interno in cerebro motu, qui internum ſenſum facit, quo externi ſenſus actum imitamur.*

Quod attinet alios ſenſus, junctos à natura cum motu qui adhuc magis internus eſt, inter eos jam porro Memoriam & Imaginationem numeramus. Quorum proxima cauſa internus motus in cerebro eſt. Non quod cerebrum à naturâ ſive ex ſe ipſo habeat hos motus, vel ſe ſolo tantum faciat eos, ſed quia omnium aliorum ſenſuum motus primum deferuntur ad cerebrum, atque aliquod in eo ſui veſtigium relinquunt, quo ſi non per omnia, ex parte ſaltem

ſimilis motus excitatur, etiam quando non adeſt externa cauſa. Quia ſimiliter poteſt ſpiritus affici, qui movet ſenſum. Qua ratione ea omnia quæ dicta ſunt de compoſitione ac diſtinctione diverſorum actuum in ſenſu externo, qui per errorem videtur unus & ſimplex eſſe: hic etiam ſuo poſſunt modo locum habere. Sunt enim hi interni ſenſus externorum imitamenta tantum, eo quod ſit in nobis ὑπόλειμμα τοῦ ἐν τῇ ἐνεργείᾳ αἰσθήματος, ut Ariſtoteles libro de inſomniis loquitur. Hinc fit, quod memoria atque imaginatio, ſecundum ea quæ olim percepimus, tam in ſe opinionem & aſſenſum, quam ſimplicem ſenſum habeant. Quatenus tam opinio de re, quam nuda imago, ſimiliter recurrit. Quæ ſingula nullibi magis quam in inſomniis experimur, ubi ceſſante externo ſenſu, fortis & vivida imaginatio eſt, neque ita turbatur proprius actus ejus, ut quidem inter vigilandum partim ab externo ſenſu partim ab interno animi actu turbatur. Atque ideo inſomnia dicuntur *viſa per quietem* eſſe. *Eſt ſomnium viſum quidem aliquod, ſed quod in ſomno ſeſe offerat*, inquit in libro de Inſomniis Ariſtoteles, qui porro recte advertit, talia poſſe etiam vigilantibus contingere quaſi inſomnia; *Nam pueris nonnullis vel plane vigilantibus adſpectantibusque, quamvis tenebricoſus ſit locus, tamen multæ imagines apparent, quæ moveri videntur, ita ut illi ſe præ metu ſæpe intra ſtragulum occultent.* Ea enim vis imaginationis, quam ita in pueris obſervamus, etiam maturiore ætate quandoque exerit ſe, in iis præcipue, quibus puerorum inſtar, fortis & vivida imaginatio, debilis intellectus eſt. Uti in mulieribus, barbaris, idiotis atque omnibus iis qui non tam ſecundum intellectum, quam ſecundum ſenſum vivunt, ſequuti naturæ impetum, qui non tam ab animo, quam a corpore eſt, ſicut intellectus proprius eſt animi, qui fere non vivit in ipſis.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

XXXVIII. *Admiratio primus affectus, ex interno cerebri, nervorum & ſpirituum motu in ſenſibus, & quæ in hoc affectu paſſio, quæ actio ſit, ad formandam nos vocem diſponens.*

Inter actus animi qui vocem antecedunt, & motum corporis comitantur antecedentem, *affectus* ſuperſunt. Quos loco ultimo conſideramus. Quanquam forte primi in natura & præcipue ſpectandi in formandis vocibus ſint. Etenim affectus etiam ſæpe primi non ſunt, qui ſupponunt alium ſenſum ad quem accedunt. Fere ut dolor aut voluptas aliquando ad ſenſum tactus accedit, atque in omni alio ſenſu externo aliquid poteſt eſſe, quod ſpeciem doloris aut voluptatis habeat, quod nempe in iis eſt nobis gratum vel ingratum. Ita *admiratio* ſaltem dici poteſt ad ſenſum accedere, primo externum, deinde internum, atque etiam aliquid in ſe voluptatis habet, ſive ille ſenſus à nobis ipſis adveniat, ſive ab alio, ut poſſumus vel nos ipſos atque ea quæ in nobis ſunt, vel alia admirari quæ ſunt extra nos. Eſt enim admiratio aliud nihil quam ea jucunda occupatio animi & attenta conſideratio, quam primum novus, hinc rarus in eo ſenſus facit: cujus vis maxima idcirco in principio, atque tum eſt, quando id inopinato accidit. Nam quod novum & rarum eſt, in nobis vel extra nos, magis afficit, primum corpore, in quo ab initio majorem effectum habet, deinde animo, qui in eo ſequitur naturam & conditionem corporis. Et in corpore quidem ille major effectus, aliud nihil quam major impreſſio in nervis, cerebro & ſpiritu eſt. Quod non ſine motu fit, qui primum in iis partibus ut paſſio eſt, quando ab externa cauſa accidit, deinde ut actio, quando cauſa motus etiam eſt interna. Similiter ergo duo quaſi actus animi diſtinguendi ſunt, unus in animo, quo ſentit ita inopinato & vehementer ſe affici ab eo quod rarum & novum eſt; alter ab animo, quo conſentiens

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

cum corpore, hoc unum agit, ut ſiſtat ac retineat hunc ſenſum, atque in eo, quantum poteſt, figat attentionem ſuam. Ut, ſicut ubique fere in interno ſenſu & affectu, ita hic etiam ſimul paſſio & actio ſit. Etiamſi paſſio eſt primum & præcipuum quod afficit nos, tum ſaltem, quando admiratio in nobis ſecundum ſenſum fit. Jam enim de admiratione ſecundum intellectum, ubi plus eſt actioni tribuendum, nobis ſermo non eſt. Quia inter actus animi vocem antecedentes nondum conſideramus intellectum, ullamve ſolius animæ vim, ſed eam tantum qua ſe ad naturam & conditionem corporis accommodat. Id enim uſque adeo in hoc affectu animus facit, ut non tam agere & ſe movere, quam pati ac ſtare videatur. Sicut in ſtupore, quando admiratio adeo vehemens eſt, ut etiam externa ſentiendi & movendi organa ſiſtantur, videmus in aliis, & in nobis ipſi experimur. Ideoque omnis univerſim admiratio, non tam in eo poſita eſt ut faciat novum actum, quam quod eum qui fit, confirmet, atque illius poſt ſe veſtigium relinquat. Cujus multiplex alius poſteà poteſt effectus eſſe, quatenus id multum juvat memoriam, imaginationem atque omnem diſciplinam, tamque in nobis internum quam externum ſenſum perficit: ut jam de motu non dicam. Ita fit, ut admiratio, quæ ab initio fere ſiſtit omnem animi actum, tam motum quam ſenſum: effectu & fine multum juvet in agendo, poſſitque adeo etiam in formandis & pronuntiandis vocibus juvare. Quia voces non tam ſecundum externum, quam internum ſenſum formamus, ſequimurque in eo veſtigia potiſſimum, quæ in cerebro, nervis, atque omni alio inſtrumento actionis atque locutionis relicta ſunt, quando præceſſit locutio.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

XXXIX. *Affectus innumeri alii ex motu cordis: quorum omnium unus & communis actus non eſt, ſed multiplex.*

Affectus cæteri primarii ſunt, amor, odium, cupiditas, lætitia, triſtitia. Ex quibus infiniti alii non uno modo oriuntur & componuntur. Hi omnes in eo conveniunt, quod ſedem ſuam primario habeant in corde & organis vitalibus, ſicut admiratio in cerebro & organis animalibus. Atque ideo multo major eorum vis & effectus eſt. Quia cor eſt primum movens & principium vitæ ſive actus vitalis, à quo omnis alius tam animi quam corporis actus pendet. Conveniunt præthereà, quod eorum cauſa non tam rarum & novum, quod cognoſcimus tantum & attente conſideramus, quam bonum vel malum ſit, circa quod multiplici alio actu verſamur, quia magis ad vitam conducit, atque ideò multò aliter & magis afficit nos. Ita primum quidem, id quod bonum videtur, amplectimur per amorem, qui affectus unionis eſt, quod malum, averſamur per odium, ut eſt affectus ſeparationis: deinde bonum etiam quærimus per cupiditatem, ut eſt affectus proſequutionis: denique ex bono quod non amplius quærimus, ſed poſſidemus, voluptatem, ex malo, quod adhæret dolorem percipimus, ex quo lætitia vel triſtitia eſt. Et in hoc omni actu, anima quantum poteſt, ad naturam & conditionem corporis ſe accommodat, uſque adeo, ut videatur affectus animi ad corpus, & corporis affectus ad animum pertinere. Quatenus in lætitia pariter animo & corpore recreari & refici, in triſtitia tam uno quam altero angi videmur: & ſicut in cupiditate in omnem partem corpus ſe movet, exterius & interius, ſic videtur anima ſimiliter ſe movere, atque in eo imitari corpus; ut dubites, an in animo, an in corpore major diligentia ſit: denique odio ſeparari à malo, amore uniri cum bono pariter animo & corpore videmur, & quan-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

& quantum poſſumus, tam uno quam altero, vere unimus vel ſeperamus nos.

XL. *Prima cauſa horum affectuum, & actio prima interna in corde & cerebro per conſenſum, qui magis in uno quam in alio affectu nos ad vocem diſponit.*

In quibus omnibus non pauca ſunt, quæ ut ad multiplicem alium actum, ita ad vocem formandam & pronuntiandam impellant & diſponant nos. Atque id ante omnia videntur amor & cupiditas cum lætitia facere, non ſic ira odium vel triſtitia. Quia tres illi affectus primi magis in actione verſantur, magiſque impellunt ad ſe communicandum alteri: ſive ea actio in affectu tantum ſignificando & teſtando, ſicut voce facimus, ſive in alio poſita ſit, puta amplectendo, proſequendo, fugiendo &c. ad quæ vox etiam juvare poteſt. Et primum quidem omnis fere *actio* ab initio videtur *interna* fuiſſe, tum in corde & cerebro, tum in multis aliis partibus, iis præcipue quæ inſerviunt cordi, quando *cauſa* adhuc *interna* erat. Et *cor* quidem ab initio affici videtur ab humore & ſanguine, qui in eo vitam facit calore & motu. Qui calor & motus ſi ſemper idem & ſimilis eſſet, ex eodem alimento ſimiliter affluente, eſſet in nobis unus & continuus amor cum lætitia tantum, unuſque & continuus voluptatis ſenſus, cum quo unus & ſimilis motus cordis à natura junctus eſt. Proinde ſi calor & motus ſemper idem non eſt, quia alimentum non eſt idem & eadem copia non affluit continuò; Primum hinc non unus & conſtans, ſed multiplex & mutabilis amor cum lætitia eſt: Sicut multiplex & mutabilis eſt voluptatis ſenſus, ex multiplici & mutabili alimento; quo fit ut unus & ſimilis motus cordis non ſit. Deinde ad amorem & lætitiam, cupiditas accederet, quæ multo majori inquietudine & labore afficit nos multoque aliter cor movet. Quatenus natura do-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

docet, laborandum eſſe, atque omnem, ut dicitur, nervum intendendum, ut bonum quod varium & mutabile eſt, retineamus, atque etiam in futurum nobis proſpiciamus de eo. Denique quod malorum ab interna cauſa ſummum eſt, ita quandoque loco amoris & lætitiæ odium cum triſtitia erit, atque his cupiditas adhuc majori cum labore & inquietudine accedet. Quia malum quod adeſt magis angit nos quam abſens bonum. Jam vero hic internus motus in corde, ſive unus & ſimplex, ſive multiplex, non ſubſiſtit ibi, verum continuo ad *cerebrum* pertingit, quatenus mutuus eorum inter ſe nexus atque mirabilis conſenſus eſt. Non enim poteſt cor moveri, quin ſanguis & ſpiritus moveantur. Spiritus autem à corde ad cerebrum adſcendit, & mox iterum verſus cor deſcendit, primumque motum in eo conſervat & auget. Atque ita hi affectus ab initio tam à cerebri quam à cordis motu pendent, quanquam forte motus cordis natura prior eſt, ſicut in admiratione, de qua primo loco diximus, motus cerebri videtur natura prior eſſe, quando una cum cerebro cor afficitur.

XLI. *Actio alia interna in organis vitalibus quæ cordi inſerviunt, cum quibus cohærent notæ paſſionum fere in toto corpore.*

Sequitur alius internus motus, ſive alia interna actio nos ad vocem diſponens, quatenus cerebrum mittit ſpiritum non modo ad cor verum etiam ad alias *vitales partes*, quæ inſerviunt cordi. Quia omnium harum partium aliquis nexus atque unus & communis motus eſt, ſicut eſt præcipuus nervus unus & communis, quo moventur, quem anatomici ſextæ conjugationis vocant. Atque hinc eſt internus ille motus, quem in amore, gaudio, cupiditate &c. in viſceribus & circa præcordia ſentimus, quo ſanguinem atque alios humores varie moveri, turbari, miſceri & non uno modo ad cor accedere vel ab eo recedere neceſſe eſt.

Quæ nova & altera primi motus in corde conſervatio, & quandoque nova atque iterata illius excitatio eſt. Siquidem ille humorum & ſanguinis motus ad cor etiam poteſt aliunde excitari & prima horum affectuum in corde cauſa eſſe, quatenus cordis motus, qui ab initio antecedit, tum ſequitur inde. Cum his jam porro cohæret ultimus motus, qui dici poſſit internus eſſe, quia ſe non extendit ad ea quæ ſunt extra nos amplectenda, proſequenda, fugienda &c. verum in nobis habet omnem effectum ſuum, atque intus nos ad vocem diſponit. Hujus vero generis ſunt omnes motus, quos diximus naturales paſſionum notas eſſe. Quandoquidem à naturali ſive neceſſario fluxu ſanguinis, humorum & ſpirituum pendent, ut actiones oculorum & vultus, multiplex in vultu coloris mutatio, tremor in membris, toto corpore languor vel agilitas, inquietudo vel quies, gemitus & ſuſpiria, riſus, vagitus & quicunque vocalis ſonus. Ad hæc omnia videntur hi affectus nos diſponere ab interna cauſa, atque adeo adeſſe eorum lineamenta & veſtigia, antequam editi in lucem ſumus, primum quidem in corde & cerebro, deinde etiam in cæteris partibus, ut jam de ſanguine & humoribus non dicam. Quorum multiplex & mirabilis effectus eſt, quando cauſa externa accedit, & externa actio, de qua jam porro dicendum eſt.

XLII. *Secunda & externa cauſa horum affectuum conſideranda ſecundum triplicem differentiam.*

Ut jam porro inveniamus ***actiones externas***, ad quas affectus impellunt vel diſponunt nos, in rebus aliis proſequendis, fugiendis, amplectendis &c. conſiderandæ ***cauſæ externæ*** ſunt. Quo nomine poſſumus intelligere ea omnia quæ non ita primo & per ſe affectum cient & cor movent, ut vidimus ab initio ſanguinem, humores & ſpiritus facere, ſed quorum alius primum effectus eſt, ex quo ille

ille motus cordis atque animi affectus ſequi poteſt. Talia vero ut recte intelligamus atque diſtinguamus, dici debent in triplici differentia eſſe. Ut vel in nobis ipſis ſint, dicanturque externa reſpectu cordis tantum, vel plane extra nos, vel ſe habeant medio modo. Et primum quidem *in nobis ſunt* ea omnia quæ in nobis ipſis vere ſentimus, ſive animo ſive corpore, atque ita vere pertinent ad nos, poſſuntque noſtrum dici bonum vel malum internum eſſe. Qualia ſunt non ſolum dolor & voluptas omnis, ſive in toto corpore, ſive in parte aliqua, verum etiam quodcunque commodum vel incommodum, in quo doloris aut voluptatis ſenſus adeo manifeſtus non eſt. Sicut in caloris & frigoris, ſanitatis & morbi, roboris & imbecillitatis, motus & quietis, inanitionis & repletionis, ac multiplici alio ſenſu ab interna cauſa, qui omnes nomen non habent. Ita vero etiam illi in nobis ſenſus qui ab objectis externis excitantur, ſinguli in ſe habent jucundum vel moleſtum quid, in quo ſpecies doloris aut voluptatis eſt. Atque eſt præterea una & communis omnium voluptas ex novitate & raritate, cui dolor oppoſitus ex eo quod antiquum & commune eſt, faſtidium parit. Deinde dici poſſunt *media ſive medii generis* eſſe, ea omnia quæ hos in nobis ſenſus faciunt per ſe & natura ſua. Ut cibus & potus, odore & ſapore ſecundum ſenſum externum, repletione & ſatietate ſecundum ſenſum internum, qui in ſe remedium doloris ex fame & ſiti habet: item ignis, qui calore ſuo frigoris, aqua, quæ frigore caloris remedium eſt, quod ſimiliter in multis aliis invenimus, quæ caloris vel frigoris ſenſu afficiunt nos, quanquam pauca ſint quæ id ita faciunt per ſe & natura ſua. Et ſic porro objecta poſſumus aliorum ſenſuum conſiderare, quatenus per ſe & natura ſua gratus vel ingratus eorum ſenſus eſt. Quanquam non ſic à natura in omnibus remedium do-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

loris eſt, atque ideo omnes externi ſenſus pariter non afficiunt nos. Denique cenſeri poſſunt *prorſus externa* eſſe, quorum in nobis ſenſus ita à natura junctus cum voluptate vel dolore non eſt. Ut veſtium forma & apparatus, domus ſplendida & ampla, agri, nummi, ſervi, ſubditi, parentes, liberi, amici, inimici, genus, nobilitas, honor, ignominia, & quæcunque poſſidemus extra nos, quatenus non naturæ ſed fortunæ bona ſunt, quibus carere poſſumus. Quæ idcirco vel prorſus non; vel per ea quæ cohærent & ſequuntur, afficiunt nos, quatenus in his ſaltem ſpecies doloris aut voluptatis eſt. Atque ideo tam nos eorum imaginatio, memoria & opinio, quatenus eſt conjuncta cum conſequentibus, quam conſpectus afficit, grato vel ingrato ſenſu.

XLIII. *Ab hac cauſa non tam cor, quam cerebrum primo affici, poſtquam editi in lucem ſumus.*

Ita ea omnia quæ hic *Externa* vocamus, in eo conveniunt, quod ſecundum doloris aut voluptatis ſenſum afficiant nos. Quatenus ex dolore primum triſtitia & odium, ex voluptate lætitia & amor oritur, atque tam in uno quam in altero cupiditas accedit. Prorſus ut ſuperius dictum fuit, hæc fere ita in nobis ab initio fieri. Hoc ſolum intereſt, quod ab initio, quando editi in lucem non ſumus, fere ab interna tantum, poſtea ſæpius ab externa cauſa afficiamur: quodque adeo ab initio cor ante cerebrum, poſtea cerebrum ante cor patiatur. Aut ſi mavis, quia hæc non tam de temporis, quam naturæ conſequutione intelligimus, ab initio ille ipſe motus cordis & ſanguinis, qui proprius affectuum eſt, puta lætitiæ vel triſtitiæ, ſic una diſponit & afficit reliquum corpus, cerebrum & nervos præcipue, calore & ſpiritu quem producit atque eo propellit, ut ſimilis fere ſenſus à natura junctus cum affectu ſit, voluptas cum lætitia & amore, dolor cum triſtitia & odio.

Poſtea

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

Poſtea vero motus cerebri & nervorum, qui in nobis primo ſenſum doloris aut voluptatis facit, ſic una diſponit & afficit cor, ut fere ſimilis affectus cum ſenſu jungatur, lætitia & amor cum voluptate, triſtitia & odium cum dolore. Neque ullam natura difficultatem invenit in hoc ordine mutando, quia tam à cerebro ad cor via quædam & facilis motus eſt, per nervos & ſpiritus, quam à corde ad cerebrum, per arterias & ſanguinem qui eſt vehiculum ſpiritus; eſtque adeo ab una & altera parte nexus & conſenſus quidam. Quem nexum & in motu conſenſum natura primum ipſa facit aut invenit à corde ad cerebum, & poſtea eo utitur à cerebro ad cor, quando ab alia cauſa inde principium motus eſt. Sive ea cauſa interna ſit, in alia parte corporis, quæ per nervos communicat cum cerebro, ut in ſenſu famis, ſitis, doloris, caloris, frigoris &c. ſive externa, ut in viſu, auditu, olfactu, guſtu, tactu, eorum quæ ſunt extra nos, quorum organa etiam cum cerebro communicant; & ſive hæc externa primo & per ſe & ſuo ſenſu, ſive effectu alio conſequente ut modo diximus, afficiant nos.

XLIV. *Hos affectus potentiores eſſe & magis nos ad vocem omnemque alium motum impellere.*

Jam vero talia in nobis & extra nos valde multa ſunt, quæ continuo & vehementer afficiunt nos, quando editi in lucem ſumus. Atque ideo affectus, qui primum ab interno & proprio motu cordis & ſanguinis pendebant, tum ſæpius motu quaſi externo nervorum, cerebri & ſpirituum excitantur, cum quo ſimilis in corde & ſanguine motus à natura junctus eſt. At vero ut primi affectus ab interna cauſa, fere lenes & moderati, & præcipue in organis vitalibus ſunt, ita ſecundi magis vehementes, multo magis afficiunt una cum vitalibus etiam animalia organa, ut in nobis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

ſentiendi & movendi inſtrumenta ſunt. Ita ſit, ut ineunte ætate vix ullus ſenſus ſive internus ſive externus, ſine affectu ſit, quo cor una cum cerebro afficitur. Atque ideo internum animi ſenſum communiter cordi tribuimus, quia nempe in corde ſentimus affectum, quando animi ſenſus verus & ſyncerus eſt. Sic (ut tandem concludamus) ineunte ætate ſine affectu vix movemus nos, multoque adhuc magis à natura motus, quam ſenſus cum affectu junctus eſt. Quia affectus à natura dati ſunt tanquam ſtimuli ad agendum, motu tam externo, quam interno. Sive eo aliquid conſequamur in nobis vel extra nos, ſive affectum teſtemur tantum, quod voce facimus, quæ primum inarticulata, poſtea articulata eſt. Audemuſque idcirco affirmare & concludere, etiam eos motus, qui ad formandam & pronuntiandam vocem neceſſarii ſunt, multum ab affectibus pendere. Quin vox articulata videtur ſigulari quodam modo ex affectu cordis procedere. Quia ſæpius ex affectu quam alio tantum ſenſu loquimur, & affectum quoque jungimus cum animi ſenſu, quando potens & efficax loquutio eſt.

XLV. *Vox in principio, quando pronuntiatur, aliquid à corpore habet, motum ſcilicet.*

Hæc dicta ſunto de corporis & animi motu antecedente, qui ad vocem diſponit vel impellit nos. Jam porro de iis dicamus quæ ipſam faciunt vocem, in principio, medio & fine, ſicut §. XXXII. ſummatim dictum fuit. ***Vox in principio***, quando formatur & pronuntiatur, primum habet in ſe motum quendam gutturis, oris, linguæ, labiorum, ut partes noſtri corporis ſunt mobiles præ omni alia parte. Deinde hæ partes, quando ipſæ moventur, aerem movent, quem inter loquendum inſpiramus & exſpiramus: Hoc motu vox formatur, quando exit & varié alliditur fran-

frangiturque aer. Atque ideo vocem qualemcunque ſive vocalem ſonum omnia animalia edunt, quæ reſpirant & pulmones habent, boves boatum, equi hinnitum, aves cantum, porci grunnitum, fere ut homines riſum, fletum, vagitum, clamorem atque eum qui hominis proprius eſt, naturalem cantum. At hominis ea vox, qua ſermonem format & loquitur, quæ proprie vox humana dicitur, non una & ſimplex, ſed multiplex & multo magis compoſita eſt; quia non una et altera ſed multiplici ac fere infinita alliſione atque aeris alliſi fractione formatur; quod potiſſimum lingua, labiis & dentibus facit, gutture nonnihil juvante in aliquibus. In qua tamen omni actione, quantumvis mirabili atque adeo diverſa, etiam aliud nihil quam motus eſt, ſed varius ſecundum eam omnem varietatem quæ in voce deprehenditur. Quam quidem omnem varietatem explicare non poſſumus, & tamen ſcimus eſſe revera in motu qui facit vocem. Denique quando hoc pacto aer movetur, quia ille iterum vicinus & contiguus auribus eſt, tam intus in ore, quam in externa cavitate aurium: hanc noſtri corporis partem etiam moveri neceſſe eſt, quantum eſt mobilis interno ſpiritu & nervo, quibus ille motus aeris externus, qui vocem format, ad cerebrum & interiora pertingit, ubi ſunt prima vocis atque alia movendi inſtrumenta. Quin inde una moveri cor poteſt cum ſanguine & ſpiritu: quatenus horum omnium inter ſe mirabilis nexus & conſenſus eſt. Cumque adeo pulmones & pectus, quæ prima inſtrumenta vocis ſunt, quia iis reſpiramus, iterum proxime cum corde cohæreant, multumque poſſint in ſanguine & ſpiritu movendo: mirandum non eſt, quod, ſi non poſſint interna aurium commotione, hæ omnes partes, præcipue cerebrum & cor, ſimul & quaſi in circulo moveri, vel non rectè, vel prorſus non fiat motus ille quo

for-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

formatur vox. Adeo ut in eo qui loquitur, harum omnium partium, & forte plurium conſpiratio videatur neceſſaria eſſe, tam ad primam formationem, quam ad continuationem vocis in ſermone continuo. Atque hinc qui non bene audiunt, non bene loquuntur, qui à natura ſurdi ſunt, ſolent muti eſſe.

XLVI. *Vox in medio quo propagatur, & fine ubi in auribus terminatur, etiam aliquis motus corporeus eſt.*

Vox in medio, quo propagatur, motus aeris eſt externi & longe diſſiti, qui movetur ad ſimilitudinem aeris interni, quem inſpiramus & exſpiramus. Ita fit ut omnes uno & eodem modo afficiantur, qui audiunt vocem. Eſtque adeo etiam *vox in fine*, ubi terminatur, corpus quod attinet, talis aurium motus in eo qui audit, qualis fuit in eo qui pronuntiat. Et pariter ille motus ad interiora pertingit. Qua ratione is qui audit ad alterius vocem componit ſe, quando ea ad loquendum movetur. Quia ſimilis organorum motus quo formatur vox, ſimiliſque motus aeris interni & externi conſequitur inde. Quod eſt vocem alterius imitari, ut pueri inter loquendum faciunt, atque omnes alii homines, quando vel novam linguam, vel nova ſuæ linguæ verba addiſcunt.

XLVII. *Vox non quidem in medio, ſed in principio, quando pronuntiatur, multum ab animo habet.*

Hactenus vox articulata non viva & intelligens, ſed bruta vox eſt, neque ipſa habens in ſe neque faciens intellectum. Ac talis per omnia manet vox in medio quo propagatur ſive in aere extra nos. Ubi idcirco non ſignificat, neque quicquam notum facit. Quia nihil prorſus ab animo habet, in quo ſolo cognitio & vera ſignificatio eſt. Sed *Vox in principio*, quando pronuntiatur, quanquam bruta & ſine intellectu ſit, corpus quod attinet, cujus motu

motu formatur, idcirco bruta & ſine intellectu ſecundum animum non eſt, cujus multiplex actio & paſſio ad motum corporis accedit. In quâ omni actione & paſſione animi, ſicut in corporis motu, vix dici poteſt, quid primum vel ſecundum ſit, quia adeo cohærent inter ſe. Primum igitur ſpectemus ſimplicem *ſoni ſenſum*, qui ab initio comitatur vocem, quatenus is qui loquitur continuo ſe audit & primum ipſe afficitur, antequam alios afficiat. Qua ratione vox non amplius noſtri corporis atque aeris, quem exſpiramus, motus, verum ille ſonus eſt, quem audimus inter loquendum ſub ſpecie ſoni, quæ *ſpecies*, diceret Ariſtoteles, extra ſenſum in anima non eſt, uti tam noſtri corporis quam aeris motus eſt extra animam. Accedit præterea ab initio ille *animi ſenſus ſive conceptus*, cujus per ſonum vocis expreſſio ſive ſignificatio fit; quatenus ſoni in voce externus ſenſus, cum animi conceptu ſive ſenſu interno ita junctus eſt, ut unâ in mentem veniant. Denique ab animo, in formanda & pronuntianda voce eſt, eâ aliquid *velle* ſignificare ac notum facere, atque id *intelligere*. Et ſicut per voluntatem non tam corpori quam animo imperamus, ita per intellectum non tam de motu corporis, quo formatur vox, quam de animi conceptu cogitamus; ad hunc inter loquendum *attendimus* præcipue: quando interea corpus, fere ſine attentione, facit officium ſuum.

XLVIII. *Similiter in fine, quando auditur. Atque in eo poſitam eſſe plenam perfectamque formam ſigni in voce.*

Similiter *vox in fine*, quando auditur, multum poteſt ab animo habere, ac debet, ſi futura vox viva & intelligens eſt. Quia tam in eo qui audit, quam qui loquitur, animus junctus cum corpore eſt, atque actus animi multiplex pariter ad actum corporis accedit, primum quidem & ante omnia ſimilis ſoni ſenſus, deinde ſimilis animi conce-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

ptus, & tum quoque voluntas, intellectus & attentio ſimilis. Ut ſicut una vox eſt in eo qui loquitur & qui audit, ſonum quod attinet, & conceptus unus, ſic una debeat voluntas intelligendi atque unus intellectus eſſe. Et ſic demum in voce articulata plena & perfecta forma ſigni eſt, quod actu ſignificat & notum facit, ac tota ſignificandi ratio conſtat, quæ etiam ratio interpretandi ſive interpretationis in humano ſermone eſt.

XLIX. *Concluſio generalis, rationem ſigni in humano ſermone ſummatim comprehendens.*

Ita cum ratione concludere poſſumus, id quod aſſumpſimus §. XXXII, vocem articulatam non ſic à natura eſſe, quin voluntati, non ſic à voluntate, quin naturæ aliquid tribuendum ſit. Atque ea *natura*, partim in motu ac ſpontaneo impetu corporis, partim in animi inclinatione conſiſtit, qua ſe accommodat ad corpus & ſequitur impetum ejus. Ut certe tam poteſt homo quam aliud animal ſolo corpore ad vocem impelli, quatenus tam hominis quam aliorum animalium corpus de genere eorum eſt, quæ αὐτόματα vocantur; poteſt animus qui in homine accedit ad corpus ſic affici à corpore, ut ſequatur impetum ejus, quando ſenſus vel affectus ad loquendum impellit nos. Ubi idcirco fictio & ſimulatio locum non habent, quia ea vox quaſi naturalis nota paſſionum atque etiam non tam voluntaria quam naturalis vox eſt, quæ minus poteſt falſa eſſe. Similiter *voluntas*, vel ſolius animi ſive expreſſa & libera, vel tacita & aliquo modo coacta à corpore voluntas eſt. Ita enim primum quidem eſſe poteſt *expreſſa & libera* voluntas ſolius animi, vocem articulatam certo modo formandi, atque eâ id quod lubet ſignificandi; poſſumus expreſſe velle pronuntiare voces, ut pronuntiatæ ab aliis ſunt, atque per omnia idem iis velle ſignificare; poſſumus, quando hoc agi-

agimus, gutturis, oris, linguæ, labiorum, quin totius pectoris motum moderari, atque ita vocem in poteſtate habere, quod etiam liberæ voluntatis eſt. Cumque adeo non ſic in poteſtate habeamus ullam aliam corporis partem, neque actum alium, quo quid ſignificamus: ſimulatio & fallacia multiplex, nullibi magis locum habent, quam in voce articulata, quando eam ita formare & pronuntiare ſecundum voluntatem poſſumus. Deinde eſſe poteſt voluntas etiam aliquo modo *coacta* in voce, ea nempe quæ non tam ſe ipſam, quam naturam ſequitur, vel conſuetudinem, quæ in nobis eſt altera natura. Ubi idcirco fictio & ſimulatio iterum minus locum habent. Quia loqui ſecundum naturam, eſt ſecundum internum animi ſenſum & affectum loqui, & non imperare voci id quod ab his diverſum eſt. In quo uno poſita eſt ſimplicitas, integritas, & veritas in communi ſermone inter homines, ad quam natura impellit eos qui maxime ſynceri, ſimplices & aperti ſunt, tam in dictis quam in factis ſuis. Hanc veritatem mendacio evertimus, quod non à natura, verum à voluntate eſt, quam opponimus naturæ. Denique plurium atque omnium hominum eodem ſermone utentium, ſive voce una idem ſignificantium, ſicut una lingua facimus, non tam publica & aperta conventio, quam *tacitus conſenſus* eſt: in quo *tacita, atque non omnino libera verum aliquo modo coacta eſt* voluntas. Quia tam inter plures atque omnes homines, quam in uno & ſingulis plus naturæ & conſuetudini, quam liberæ voluntati tribuendum. Fere ut in veſtitu, geſtu, moribus & communi vita. Ubi ſicut in ſermone & vocibus, ea occurrunt quorum non poſſumus per omnia rationem reddere, & veram in natura cauſam invenire. Primum quidem quia non eſt cauſa omnium in natura, ſi in aliquibus voluntas intervenit, & ſuo arbitratu delectum facit, ut certe fit; deinde

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

quando voluntas non intervenit & delectum non facit, tam variæ & incertæ plerumque cauſæ in natura ſunt, ut comprehendi non poſſint. Hoc quod ſic facimus communiter, fere ſine cauſa quæ nota ſit, etſi forte aliqua olim fuerit cauſa, *inſtitutum* vocamus. Atque illius non alia ratio in ſermone & vocibus, quam in vita & moribus eſt; quatenus in his omnibus aliquid quidem Naturæ, & tamen etiam aliquid Voluntati atque libidini, ut fere non aliud quam coeca voluntas eſt, & multum quoque conſuetudini eſt tribuendum, quæ non minus quam voluntas coeca ſive neſcia cauſæ dici poteſt.

COGITATORUM
DE
INTERPRETATIONE & NATURA HUMANI SERMONIS,

PARS ALTERA, SPECIALIS.

Primam & ſimpliciſſimam comprehendens vocabulorum ſignificationem, cujus bis quatuor ſive octo ordines conſtituuntur.

I. *Quid ſignificent voces, diſtinctius explicatur: oſtenditurque iis non tam res ut ſunt, quàm noſtros conceptus ſignificari, ſive, ut Ariſtoteles loquitur, Paſſiones in Anima.*

HActenus dictum fuit univerſim, tum de diverſa humani ſermonis conſideratione quam oſtendimus ſumme neceſſariam eſſe, tum de ratione ſigni & ſignificationis in ſermone ſive interpretatione, quæ voce articulata fit; deque tota vocis, quæ ſignificat, formatione. Reliquum eſt ut ſpeciatim & diſtinctius de eo, quod ſignificatur, dicamus. In quo non minus quam in ratione ſigni, major difficultas eſt, quam prima ſpecie apparet. Quanquam enim dictum jam ſit, voce articulata *animi conceptum* ſignificari, quæri poteſt ac diſputant Philoſophi, an non vox articulata res ipſas potius quam noſtrum de iis conceptum ſignificet? juxta illud Ariſt. de Sophiſt. Elench. cap. 1. *Cum non liceat res ipſas per ſe in diſſerendo afferre, nominibus vice rerum utimur tanquam notis.* Quem locum videtur Cicero in Topicis reſpi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

reſpicere. Poſtquam enim dixerat, *ſunt verba notæ rerum*, mox ſubjicit, *Itaque Ariſt.* σύμβολον *appellat, quod latine eſt nota.* Sed verò hæc verba Ariſtotelis atque Ciceronis ſic accipienda non ſunt, ac ſi nomina ipſarum rerum ſigna eſſent, non interveniente cogitatione ſive conceptu noſtro: ſed res cogitatas intelligunt, & quidem ea ſpecie qua in cogitatione ſunt. Sicut ſupra §. XXXI. univerſim demonſtratum eſt, unum dici alterius ſignum eſſe in corporalibus, puta hederam ſuſpenſam vini venalis, quatenus cogitatio de uno facit ut in nobis cogitatio de altero ſit. Ita enim eſt in nobis cogitatio de Re, per cogitationem de Nomine: atque adeo tam res quæ ſignificatur, quam nomen quod ſignificat, debet in nobis atque in cogitatione ſpectari. Ita vero mentem Ariſtotelis non fuiſſe quod voces ſignificent res ipſas primo & per ſe, verum noſtrum de rebus conceptum tantum, ſive res conceptas & cogitatas, perſpicuum fit ex initio libri de Interpr. *Quæ igitur ſunt in voce*, inquit, *ſunt notæ paſſionum in anima: & quæ ſcribuntur ſunt notæ eorum quæ ſunt in voce. Atque ut literæ non ſunt eædem apud omnes, ita nec voces ſunt eædem. Sed paſſiones animæ, quarum hæc primum ſunt ſigna, eædem ſunt apud omnes: Eædem etiam ſunt res, quarum hæ paſſiones ſunt ſimulachra.* Ubi voces *primo paſſionum* in anima dicit notas eſſe, ſicut alibi dixerat *rerum*, quia nempe paſſiones, quas habemus in anima, rerum poſſunt ſimulachra ſive repræſentamina eſſe. Quod quam ſit Ariſtotelis opinioni atque etiam veritati conſentaneum, clariſſime ex III. de Anima cap. 8. intelligimus. Ubi dicit, *Animam univerſa quodammodo eſſe quæ ſunt, ſive ſentiendo ſive intelligendo.* Quatenus res unaquæque ſua ſpecie in ſenſu vel intellectu eſt, neque aliter quam ſecundum ſpeciem cogitamus de re. *Non eſt lapis in anima ſed ſpecies*

inquit. Cumque adeo ſecundum cogitationem, ſenſum & intellectum noſtrum loquamur, perſpicue ſequitur, loquelam & ſermonem, omnemque adeo vocem articulatam, aliter accipi non debere. Neque Ariſtoteles unquam aliter accepit voces, ſicut eas in communi ſermone etiam aliter non accipimus. Quæ obſervatio multo majoris momenti eſt, atque etiam majorem difficultatem habet, quam prima ſpecie videtur: ſicut ex iis quæ porro dicturi ſumus manifeſtum fiet.

II. *Voces quaſdam tantum notas paſſionum in anima eſſe, non rerum quæ extra animam ſint.*

Sed vero quam recte dixerit Ariſtoteles, *voces eſſe notas paſſionum in anima*, imprimis ex eo liquet, quod voces aliquæ tantum notæ paſſionum in anima ſint, quas ipſi ſentimus in nobis. Ut *ô*, *heu*, *hei*, *phy*, *ah*, *vah* & ſimiles: quas voces ſi pariter dicere velimus *rerum notas* eſſe, cum Cicerone & Ariſtotele; nomen *Res* ita late accipimus, ut comprehendat id omne quod quocunque modo eſt, ſive in nobis atque in animo tantum, ſive extra nos. Sicut è contra nomen Rei communiter ſtricte accipimus pro eo quod vere ſubſiſtit extra animum, aut ſaltem cogitatur ſubſiſtere, ut arbor, lignum, lapis, cœlum, terra, aliaque corporalia. Quæ ſua ſpecie & paſſione quadam animum afficere quidem poſſunt, ipſa tamen aliud quam ea ſpecies & paſſio, & plus quam animi actus ſunt. Quia animi actum, paſſionem & ſpeciem experimur in nobis, ſicut res & corpora illa extra nos & vere extra animum ſunt. Qui eſſendi ſive extandi modus, vel in anima tantum, vel extra animam, uti longe diverſus eſt, ſic diverſa in his cenſeri debet Rei notio, & ſignificatio nominis diverſa.

III. *Quare hæ voces dicantur Interjectiones à Grammaticis.*

Voces quæ ſic nihil aliud quam animi in nobis affecti no-

tæ

tæ ſunt, vel ſolæ per ſe eduntur ac plenum ſenſum habent; vel adjiciuntur aliis vocibus, atque inter eas aliqua pars orationis ſunt. Ubi tamen etiam ſuum per ſe ſenſum habent, & ſuo modo abſolvunt ſententiam ſine adjumento alterius vocis. Cumque adeo animus inter loquendum magis plerumque commoveatur, quam in principio quando incipit, aut fine, quando deſinit loqui; hæ voces poſſunt quidem præponi, vel poſtponi, ſed frequentius interponuntur. Fere ut riſus, fletus, gemitus, clamor, nutus, geſtus, vultus, oculi aliaque, vel ſola per ſe extra ſermonem, vel in ſermonis principio, medio aut fine adhibentur: attamen major eorum vis & frequentior uſus in medio, ſive inter loquendum eſt; quia tum quaſi pars loquelæ ſunt, atque multum juvant & intendunt vim ejus. Hoc ſolum intereſt, quod voces de quibus jam nobis ſermo eſt, multo propius accedant ad naturam loquelæ, quam vel nutus, geſtus & talia, quæ ne quidem voces, non vocales ſoni ſunt; vel gemitus, riſus &c. quæ non ſunt articulatæ voces. Hinc Grammatici eas plerique inter partes orationis numerant, atque *Interjectiones* vocant.

IV. *Eas recte cenſeri partes orationis eſſe, & quidem omnium primas, ſive Primi Ordinis.*

Neque obſtat, quod hic objiciunt aliqui, quasdam hujusmodi voces inconditas & minus articulatas eſſe; atque eas non tam ab inſtituto quam à natura haberi, cumque aliæ in oratione voces animi conceptus ſignificent, has tantum notas paſſionum eſſe. Satis enim eſt, quod uſque adeo inconditæ non ſint voces interjectionum, quin poſſint literis & ſyllabis comprehendi atque iis pronuntiari, quod eſt vocem articulatam eſſe. Et rationem ſigni quod attinet, concedimus has voces magis à natura eſſe quam ullæ aliæ ſunt. Quia magis ab interno & naturali motu pen-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

pendent, cordis, pulmonum & aliarum partium; fere ut aliæ naturales notæ paſſionum, riſus, fletus &c. Sed vero hinc non ſequitur, eas ſuo modo etiam ab inſtituto non eſſe; quatenus ad naturam qualiſcunque voluntas accedit, atque uſus confirmat vel alterat naturam, & poſſumus novas atque alias voces formare, quam quidem nos docuit natura. Qua de cauſa neque per omnia ſimiles ac eædem in omni lingua, neque omnes ſunt hæ voces notæ à natura. Quanquam enim aliquæ ſunt ſimiles ac notæ, forte inter omnes homines, atque in ſermone omni, ut vox exclamantis vel dolentis, *ô*, ridentis, *ha*, *ha*, *he*, faſtidientis, *phy*, & paucæ aliæ; quas primum à natura habemus: idcirco idem dicendum de aliis non eſt, ut *euge*, *papæ*, *apage*, *utinam*, *en*, *ecce* &c. quas non ſic à natura, verum ab uſu ſive inſtituto habemus. Quare ſicut in Parte prima §. XXVIII. de riſu, fletu, gemitu ſimilibuſque aliis notis paſſionum dicebamus, eas quanquam à natura ſint, ſi primam originem ſpectes, poſſe tamen etiam aliquatenus à voluntate pendere: ita putandum adhuc magis eſt de voce quam Interjectionem vocant Grammatici, quorum nos privatas lites de omni voce quæ in interjectionibus numeratur, noſtras non facimus. Præcipue vero in his vocibus qualiscumque voluntas ad Naturam accedit, quando non tam ab interno cordis & aliorum viſcerum, quam ab externo oris, linguæ, & labiorum motu procedunt; quas partes magis in poteſtate habemus, quam cor & viſcera interna. Denique etiam neceſſe non eſt, omnes voces pariter ac eodem modo animi conceptus ſignificare: Satis eſt voces ſignificare internos ſenſus atque cogitationes, & paſſiones de genere ſenſuum vel cogitationum eſſe, quas animus non tam à ſe ipſo quam à corpore habet. Et quidni interjectionis vox paſſionem

cum aliquo conceptu ſignificat, quando brutus ſine mente ſonus non eſt atque ad eam attendit animus? Hanc attentionem & mentem cum corpore junctam, uti in omni alia voce ſupponimus, quæ pars orationis eſt, ita ſupponere in ea voce poſſumus, quæ nota animi affecti eſt. Quia tam poteſt animus ad ſuum affectum attendere, quam ad aliam magis liberam cogitationem: quanquam ea attentio in affectu difficilior ſit & non adſit ſæpe, atque ideo minus conſideretur hac in voce. Quæ idcirco minus quidem, quam voces aliæ, & non ita expreſſe, & ſæpe prorſus non ſignificat conceptum animi, hinc tamen non deſinit pars quædam orationis eſſe. Verum potius eſt hac de cauſâ pars prima orationis, ſi non tam doctrinæ quam naturæ velimus ordinem ſequi. Quia natura primo eam docet nos ante omnes alias voces; eſtque ea natura in nobis ante intellectum, voluntatem atque omnem alium animi actum ſive conceptum, qui ſpectandus eſt in omni alia voce. De quibus aliis vocibus jam porro dicendum eſt.

V. *Voces quæ paſſiones in animâ ſignificant*, *Secundi Ordinis*.

Ut jam porro alias voces inveniamus, quantum poſſumus naturam ſequuti, in ſecundo ordine ſpectemus eas omnes, quibus paſſio in anima ſignificatur, quatenus cogitamus de ea: ac ſi eſſet res de qua cogitare nobis liberum eſt, ſive ſit ſive non ſit, & ubicumque ſit, in nobis, aut extra nos. Atque ea libera cogitatio, aut ſi mavis, quod ita cogitatur libere, idipſum eſt, quod proprie *animi conceptum* appellamus; qui non à corpore & ſenſu eſt, ſicut paſſio, quando ipſa movet & afficit nos, verum ab animo & intellectu, à quo omnis alia libera cogitatio eſt. Cumque adeo hic intellectus non ſingularis, ſed communis ſit, voces hæ tam de aliorum, quam de noſtris, quin de omnibus

bus poſſunt paſſionibus intelligi, atque etiam indefinite ſive abſolute accipi, ut neque ad nos, neque ad alios referantur. Sicut omnia alia quæ intelligimus, ac ſimiles voces aliæ. Qua ratione, quando dicimus, *ô*, *heu*, *ah*, *vah*, &c. debet quidem in nobis paſſio eſſe, cujus ea vox naturalis nota eſt, ut dictio vera & ſyncera ſit, debetque ea paſſio ipſa in nobis formare hanc vocem, vel ad eam nos incitare. At quando dicimus, *amor*, *odium*, *lætitia*, *triſtitia*, *ira*, *indignatio*, *admiratio*, *ſpes*, *metus*, & ſic porro alias paſſiones nominamus ac loquimur de iis: neceſſe non eſt, ut ulla talis paſſio in nobis ſit, eamque animo aut corpore ſentiamus, ut vera dictio ſit, ſed ſaltem eſt cogitatio de ea, cum vel ſine ſenſu paſſionis. Et ſecundum hanc cogitationem, quæ referenda ad intellectum eſt, nomina hæc generalia ſunt, atque tam poſſunt aliorum quam noſtris quin omnibus paſſionibus applicari, vel etiam indefinite accipi. Atque ideo etiam, quando forte eſt in nobis paſſio, & volumus loqui de ea, non tam paſſio, quam cogitatio de ea, debet vocem formare. Quod ſic dici nequit de ea voce quæ ab origine fere naturalis tantum & ſingularis in eo qui loquitur paſſionis nota eſt, quam vocem Grammatici non male *Interjectionem* vocant, & non ſine ratione dubitant, an pars orationis ſit. Quia ut paſſio in animo intervenit aliis cogitationibus, ſic vox, quæ tantum eſt nota paſſionis, dici poteſt aliis vocibus intervenire, & abrumpere vel ſiſtere orationem, ut paſſio abrumpit vel ſiſtit cogitationem. Quod adeo verum eſt, id quod Priſcianus obſervat, ut etiam *aliæ partes orationis ſingulæ vel plures*, quando ita abrumpunt ſermonem & quaſi ſiſtunt, affectu quem ſignificant, *ſoleant interjective proferri, ut Virgilius in primo Æneid. Navibus, infandum, amiſſis, unius ob iram, infandum pro interjectione protulit.*

Quod etiam concedit celebris inter Grammaticos Donatus, his verbis, *Licet pro interjectione etiam alias partes orationis ſingulas pluresve ſupponere.*

VI. *Voces primi ordinis, in aliquibus quidem, non in omnibus exprimi poſſe voce ſecundi ordinis.*

Voces ſecundi ordinis, quæ paſſionem in animo ſignificant ſecundum intellectum & cogitationem, ſive animi conceptum, imprimis tot fere ſunt, quot *primi ordinis.* Atque ideo grammatici has declarant per iſtas, quando dicunt, *ô*, *heu*, *ah*, *eheu*, *dolentis*, *phy faſtidientis* eſſe. Quod ideo faciunt, quia *dolere*, *dolens*, *dolor*, *faſtidire*, *faſtidiens*, *faſtidium*, voces generales ſunt, quas notas ſupponimus ſecundum unum & communem intellectum de paſſione, cujus in nobis ſenſus, quando dicimus, *ô*, *heu*, *ah*, *eheu*, ita generalis, ſive unus & communis non eſt, verum particularis & ſingulorum proprius. Ut dici poſſint, voces primi ordinis ad hunc ſenſum, ſecundi ordinis ad intellectum accommodatæ eſſe, & haƈtenus numero non differre multum, quando intellectus ad ſenſum accedit. Hinc vero ſequitur, etiam aliquid eſſe poſſe in voce primi ordinis, quod expreſſum non ſit voce ſecundi ordinis. Nam vox illa prima quam natura docet, ceu notam quandam paſſionis, vix aliud quam impetus ſive motus corporeus eſt, quantum eſſe poteſt ſine ſenſu. Quia paſſio initio corpus magis quam animum afficit. Et quodcunque eſt in ea, ſive motum, ſive ſenſum ſpectes, id adeo minutum, ſpeciale, in ſingulis diverſum, atque implicitum corpori eſt, ut animo ſive intellectu, quia non afficitur iis, comprehendi non poſſit. Quo poſito, etiam eâ voce non comprehenditur, ſecundum animum atque intellectum, quam dicimus ſecundam ſive ſecundi ordinis eſſe; quatenus eſt in nobis poſt eam vocem, quam à corpore & ſenſu habemus,

qui natura in his prior intellectu eſt, ſicut corpus dici poteſt prius animo & communiter notius eſſe.

VII. *Prorſus, uti in vultu, oculis, ipſaque voce inter loquendum multa ſunt, quæ non poſſumus verbis exprimere.*

Et quidem ſimili prorſus ratione multa in vultu, oculis ac toto corpore, multa inter loquendum in tono vocis ipſoque vocali ſono ſunt, quæ non poſſumus verbis exprimere. Verum debemus ea ſaltem ut notas ſive characteres paſſionum ſpectare, quas aliter interpretari non poſſumus. Quia nempe, adeo minutum, ſpeciale, in ſingulis diverſum, atque ita implicitum corpori eſt, quod ſignificant hæ notæ, ut non poſſit de eo unus & communis intellectus haberi, ſive animi conceptus unus. Sicut conceptus ſive intellectus unus debet eſſe eorum, de quibus mentem noſtram verbis exponimus: quia alias non poſſent intelligi communiter. Quæ ſi ita ſunt, ad intelligendum quidem ſatis eſt, ut ſermo perſpicuis verbis conſtet; ſed vero ad perſuadendum ſatis non eſt, verba perſpicua eſſe, verum inſuper alius requiritur apparatus; quem Oratores advertunt, primum in geſtu ſive actione, deinde in elocutione conſiſtere, ut jam de ornatu in tropis & figuris non dicam: Docentque Oratores, quia id ipſi in dicendo experiuntur, uti quiſque audiendo in ſe ipſo experitur, majorem in his quam in verbis vim eſſe, ad movendum & perſuadendum, quia magis à natura, priora, & communiter magis nota ſunt. Cumque adeo movere adhuc magis propoſitum Poëtis ſit, comicis & tragicis præcipue, perſpicuum hinc fit, apud eos multo plura occurrere, quæ non poſſunt verbis exprimi, quam quidem apud Oratores; & voces, quas primi ordinis vocamus, nullibi magis debere in uſu eſſe; atque ex adverſo nullibi minus, quam in ſimplici & aperto ſermone, quo vel communem ſenſum, vel verum de rebus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

intellectum exponimus. Sicut unum in communi vita, alterum faciendum in vera philoſophia eſt.

VIII. *Plures tamen eſſe voces ſecundi ordinis, ac magis aptas ad loquendum de paſſione.*

At enim debent voces ſecundi ordinis, adhuc plures ac magis diverſæ eſſe, duplici de cauſa. Primum quia in intellectu atque animo hominis multiplex alia diverſitas, quam in corpore & ſenſu eſt. Siquidem unius rei non una ſemper eſt conſideratio, etiam quando forte unus ſenſus eſt. Ex quo ſequitur, voces ſecundi ordinis poſſe varias ac multiplices eſſe, quando in primo ordine ea varietas ac multitudo non eſt. Sicut *dolor*, *dolere*, *dolens*, item *meus*, *tuus*, *ille*, *illius dolor* &c. propter unius paſſionis multiplicem conſiderationem, multæ ac variæ voces ſunt. Quæ adhuc mille aliis poſſunt modis variari. Sed *ô*, vox una & ſimplex dolentis ac doloris in ipſo tantum nota eſt, in quam non cadit conſideratio multiplex. Altera cauſa eſt quod multa in animo ſint atque paſſiones multæ, quæ non poſſunt ſignificari & non ſignificantur ulla voce primi ordinis. Non enim natura in omnibus nos docuit has voces, vel poteſt docere, neque id uſus permittit. Quia cum omni paſſione in anima, atque omni conceptu, non junxit natura eum corporis motum, qui ad vocem hanc formandam neceſſarius eſt. Quamquam enim forte nos impellat ad aliquos motus internos & externos, atque ita fere omnium paſſionum qualiſcunque in corpore effectus & aliqua ſæpe nota ſit, non ideo nos ad vocem impellit, quæ paſſionis dici poſſit in ſermone nota eſſe, qualis interjectio eſt. Sunt paſſiones, quæ non tam corpus quam animum afficiunt, & quæ propterea vix ſenſibilem in corpore effectum habent, quem nota poſſit Paſſionis exprimere. Quin multæ inter eas ſiſtunt vocem, ali-

quas

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

quas abſcondit animus ipſe intra ſe, neque eas ullo indicio prodit. Et de his tamen, ut magis animum afficiunt, ita cogitamus & loquimur ſæpe, etiam liberius & copioſius, quam de iis ad quæ natura, quam præcipue corpori tribuimus, voce quæ paſſionis nota ſit, impellit nos. Quia ea vox, quæ paſſionis tantum nota eſt, quando paſſio dominatur, uti ipſa perturbata & ſæpe impedita ac ſatis libera non eſt, ita in loquendo impedit ac turbat nos, facitque ut libera & expedita lingua non ſit. Neque adeo vox, quam ipſa in nobis paſſio format, & qua prodit ſe, eſt apta ad loquendum de paſſione. Quia non poſſumus aliter quam ſecundum intellectum ſive animi conceptum loqui, qui non eſt in paſſione, ſive animi in ea, ſive corporis affectionem ſpectes. Hæc vera ſi non unica cauſa eſt, cur poſſit oratio quidem ſine interjectione, non autem ſine nomine & verbo conſtare, & cur tam paucæ interjectiones, tam multa inveniantur nomina & verba, atque hæc præcipua vocabula ſint, quibus dicimus quod volumus, de eo quod cogitamus, quod proprie loqui eſt.

IX. *Voces ſecundi ordinis ad ſumma genera revocantur. Et genus primum inter eas.*

Verumenimvero, ne numerus innumerabilis vocum, quæ paſſiones ſecundum animi conceptum ſive cogitationem ſignificant, turbet nos; laborandum in eo eſt, ut inveniamus aliqua ſaltem ſumma genera earum, ſive voces paucas generales, quibus omnes & ſingulæ particulares poſſint comprehendi. Primum ergo dicamus nos hactenus de iis paſſionibus loqui, quæ quanquam ut res poſſint ſubſiſtentes ſpectari, ut cum dico *amor*, *ira*, *furor* &c., revera tamen nihil aliud his nominibus ſignificari, quam id quod in animo eſt, quamquam forte in animo noſtro non ſit, quando loquimur de eo. Dicamus præterea, has voces

omnes

omnes ad tria poſſe genera revocari. Quatenus triplex præcipue eſt conſideratio atque uſus paſſionum quas ſignificant, ſive animi, ſive corporis reſpectu. Primum genus eſt earum paſſionum de quibus hactenus fere dictum fuit. Quia *Paſſio* in iis adeo evidens eſt, ut hoc generale nomen fere earum proprium ſit, ſicut ſæpe nomen generis per excellentiam uni ſpeciei tribuimus, quanquam, ea quæ facta nomina generum ſunt, videantur prius atque ab origine fuiſſe nomina ſpeciei unius, non cogitando de pluribus. Vocantur vero paſſiones iſtæ etiam *animi affectus*, *motus ac perturbationes*, quia ita afficiunt, movent ac turbant animum, ſi non omnes, aliquæ ſaltem. Atque hæ voces valde multæ & fere innumeræ ſunt, *admiratio*, *amor*, *odium*, *cupiditas*, *lætitia*, *triſtitia*, *admirari*, *amare*, *odiſſe*, &c. item *ſpes*, *metus*, *deſperatio*, *audacia*, *ira*, *indignatio*, *miſericordia*, *invidia*, *ſperare*, *timere*, *deſperare*, *iraſci*, &c. Quorum vocabulorum hæc differentia eſt, quod priora dici poſſint ſimplices & primitivas in animo paſſiones ſignificare, poſteriora magis compoſitas ortaſque ex iis.

X. *Genus ſecundum & tertium. Et quæ ex his vocibus plures vel pauciores ſint.*

De ſecundo genere dicamus eas voces eſſe, quibus aliquis naturalis *appetitus* ſignificatur, ad quem internus ſenſus, in ore & ſtomacho præcipuè, impellit nos. In quo ſenſu & appetitu, magna diverſitas non eſt, quia fere ex una & altera affectione corporis ita animus afficitur; atque ideo multæ voces non ſunt, quibus loquimur & cogitamus de iis. Et quidem prima ætate ea tantum voce utimur, quæ ſpecialis nota naturalis appetitus in nobis ipſis eſt, plorando, ejulando &c. Sicut tum quoque naturales notæ paſſionum fere tantum in nobis ſunt. Verum poſtea vocibus aliis diſcimus

mus de eo univerſim loqui, ut cum dicimus, *fames*, *ſitis*, *eſurire*, *ſitire* &c. *Pica*, *malacia* nomina particularia ſunt, appetitus depravati, qui proprius mulierum eſt. Tertium genus conſtituamus in iis vocibus quæ omnem alium *internum ſenſum* ſignificant, non ita in certa parte, ut lætitia in corde, fames in ſtomacho, ſitis in ore, verum toto corpore. Ut *dolor*, *voluptas*, *calor*, *frigus*, *gravitas*, *levitas*, *robur*, *imbecillitas*, imo *ſanitas & morbus*, quatenus eorum aliquis in nobis ſenſus eſt, poſſunt toto corpore ſentiri. Quæ voces, quatenus nihil aliud quam internum quem in nobis experimur ſenſum ſignificant, plures ſunt, quam voces appetitus: quanquam pauciores ſint iis, quibus animi affectum ſignificamus. Quia in animi affectu maxima diverſitas eſt, magna in hoc interno ſenſu, minima in naturali appetitu; ſive animi in ipſis, ſive corporis affectionem ſpectes.

XI. *Quæ ſit differentia inter has voces, ſignificationem quod attinet. Et quo pacto unæ præ aliis videantur qualitatem noſtri corporis ſignificare.*

Quæ ut ſingula clariora fiant, quantum præſens inſtitutum permittit, notari porro velim, primo genere harum vocum fere aliud nihil, quam eam paſſionem in animo ſignificari, quam ipſe animus ſentit apud ſe. Atque ideo voces *amor*, *odium*, *amare*, *odiſſe*, *ſpes*, *ſperare* &c. ſæpe etiam pro actu ſolius animi accipiuntur, fere ſine ea paſſione, quæ à corpore eſt. Quatenus agere & pati in animo ex parte unum ſunt, etiamſi una conſideratio non eſt, qua dicitur agere vel pati. At quia hæ voces tam aliorum quam noſtras paſſiones ſignificant, & non ſic in aliis, ut quidem in nobis ſentimus paſſionem, ſed illius effectum tantum videmus: hunc effectum, ceu notam & characterem paſſionis, ſæpe pro ipſa paſſione accipimus. Atque ea ratione etiam in no-

bis effectum paſſionis, tam internum quam externum, poſſumus ipſo nomine paſſionis intelligere, ac ſimiliter in aliis ſupponere, uti eum in nobis ſentimus. In genere ſecundo aliquanto magis de qualitate & conditione corporis cogitamus, & paſſionem, quæ in animo eſt, corpori tribuimus. Et utrumque adhuc magis in genere tertio facimus. In ſiti oris ſiccitatem, in fame ſtomachi vellicationem & vacuitatem quandam in ventre percipimus, & hic ſenſus tam corpori quam animo moleſtus eſt, videturque adeo pertinere ad corpus. Quanquam hic etiam poſſit animi actus fere ſine actu corporis intelligi, voce *famis & ſitis* intelligendo voluntatem edendi & bibendi, quæ cum moleſto ſenſu juncta eſt. Sicut eam voluntatem ipſa vox *appetitus* ſignificare videtur, & ſignificatio ea tantum minus expreſſa in voce famis & ſitis eſt. Similiter ergo, ſed aliquanto magis, *dolor*, *calor*, &c. ut nomina ſenſus interni ſunt, videntur manus, pedis & cujuſcumque partis affectionem ſignificare. Quandoquidem talis internus ſenſus magis affixus & quaſi permiſtus corpori eſt, videturque ad hoc unum à natura datus, ut eo qualitatem & conditionem noſtri corporis percipiamus. Atque ideo non tam de animo, quam de corpore intelligimus voces iſtas, *calor*, *dolor*, &c. atque id quod ſignificant, corpori tribuimus, etſi revera in animo ſit. Uſque adeo, ut ſi forte aliquam talem vocem de animo intelligamus, cenſenda alia ſignificatio ſit. Sicut revera alia ſignificatio eſt vocis *dolor*, quando vel expreſſe addimus, vel ſubintelligimus, nos de *dolore animi* loqui. Nam hinc ſolum dolor dicitur, vel animi eſſe, in affectu ſcilicet, cujus proprium nomen mœror vel triſtitia eſt; vel corporis, in ſenſu, qui non habet nomen quod magis proprium ſit. Et pariter quoque *voluptatis* nomen, vel de corpore accipitur, vel eo nihil aliud

quam

quam lætitiam in animo intelligimus, quæ poteſt ſine ſenſu voluptatis corporeæ eſſe: quanquam ſæpe etiam ſine eo non ſit, quatenus uti dolor triſtitiæ, ita voluptas prima ſecundum naturam cauſa lætitiæ in animo eſt. Et hinc ſolum in voce eâ, propriæ ſignificationis in alienam tranſlatio fit. Sed quia omnem alium internum in corpore ſenſum, quem à voluptate & dolore diſtinguimus, puta *caloris*, *frigoris*, *gravitatis*, *levitatis*, &c. ita non comitatur internus in animo affectus; hæ voces ſemper videntur qualitatem & conditionem corporis ſignificare. Atque ideo, ſi forte, calor, frigus, gravitas, levitas, & talia etiam ad animum referantur, & ſignificent qualitatem & conditionem ejus, ut quandoque fit, non adeo uſitata & propria ſignificatio eſt, quam ubi dolor & voluptas ad animum referuntur, ſpectanturque, ut propria qualitas & conditio animi. Quia tam ſecunda de animo, quam prima de corpore ſignificatio, in voce *dolor & voluptas* uſitata, ſive uſu facta propria eſt, quod ſic dici nequit de iſtis aliis vocibus, *calor*, *frigus*, *durities*, *gravitas*, &c. quorum propria ſignificatio de corpore intelligitur.

XII. *Voces Tertii Ordinis ſecundum ſenſum internum, quando ab externa cauſa advenit.*

Quibus ita poſitis, jam porro ſequitur, debere adhuc *Voces* alias eſſe *Tertii ordinis* quæ ſecundum paſſionem in anima videri poſſunt corporum aliorum qualitatem ſignificare. Atque id imprimis in ipſo interno ſenſu contingit, de quo dictum eſt: ſaltem in aliquibus, puta *calore*, *frigore*, *gravitate*, quando non interna & occulta in nobis ipſis, verum externa & manifeſta extra nos horum ſenſuum videtur cauſa eſſe. Ut ſi ignis quem videmus, nos calefaciat, aqua quam attingimus refrigeret, pondus quod ſuſtinemus, gravet. Quorum quidem ſenſus revera internus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

nus & in noſtro corpore eſt, & tamen videmur eo tam corporum aliorum, quam corporis noſtri qualitatem percipere. Si quidem revera extra nos ſunt alia corpora, ſingula per ſe affecta qualitate quâ hos in nobis poſſint excitare ſenſus. Ut certe alia qualitas ignis, alia aquæ, ideoque alius ſenſus eſt, & ſecundum hunc ſenſum diverſum, *calor & calidum*, *frigus & frigidum*, diverſa nomina ſunt, quæ primum de nobis & corpore noſtro, poſtea de corporibus aliis intelligimus. Et quamquam tam cauſa doloris & voluptatis poſſit eſſe extra nos, quam caloris & frigoris: non ſic dolor & voluptas, ut quidem calor & frigus, dicuntur in corporibus aliis eſſe. Attamen corpora alia à doloris aut voluptatis ſenſu denominamus, atque tam ea dicimus jucunda vel moleſta, quam calida & frigida eſſe: neque alia unius, quam alterius dictionis ratio eſt.

XIII. *Voces Tertii Ordinis, præcipuè ſecundum quinque ſenſus externos, qualitatem aliorum corporum ſignificant.*

Sed vero, quam hæc diverſa in vocibus ſignificatio ſit, multo clarius nos illi ſenſus docent, qui ad hoc unum à natura dati ſunt, ut corporum aliorum videamur qualitatem percipere. Atque inter hos ſenſus, quos communiter vocamus externos, primus & ſimpliciſſimus Tactus eſt: ad cujus propriam perceptionem aliquæ voces accommodatæ ſunt. Ut *durum*, *molle*, *fluidum*, *ſiccum*, *humidum*, *aſperum*, *læve*, *rigidum*, *friabile*, *flexile*, &c. Quorum ſenſus quando ab aliorum videtur corporum contactu advenire, externus dicitur. Item *calidum*, *frigidum*, *grave*, *leve*, quorum ſenſus poteſt quidem ab interna in nobis ipſis cauſa eſſe, & ſæpius tamen advenit ab externa cauſa. Nam extra nos multa corpora ſunt, quæ ſic afficiunt nos, quibus hinc nomina iſtarum qualitatum tribuimus. Tactum proxime ſequitur Guſtus, & illius

propriæ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

propriæ voces ſunt, *acidum*, *ſalſum*, *amarum*, *dulce*, *auſterum*, &c. Sicut *ſapor & ſapidum* vox una generalis eſt omnem qualitatem ſignificans, quæ hunc in nobis ſenſum facit. Etſi enim ſapor atque omnis differentia ſaporis revera in lingua & palato ſit atque ibi percipiatur, non tamen tribuimus iſtis noſtri corporis partibus nomina ſaporum. Quia ſcimus aliam manifeſtam & externam cauſam eſſe, cibos nempe, quos hinc dicimus *ſalſos*, *acidos*, *dulces*, &c. Et quando aliquis ſapor ſic non habet proprium nomen, nomine ſui corporis appellatur, diciturque, *panis*, *vini*, *carnis ſapor*: quæ denominatio ſignificat, aliquam eorum corporum qualitatem intelligi. Ab Olfactu etiam quædam voces ſunt, quæ corporum aliorum qualitates ſignificant, quarum commune nomen *Odor* eſt. Verum hæ voces valde paucæ ſunt & vix diverſæ à nominibus ſaporum, quibus cum aliquam ſimilitudinem & cognationem in alimentis habent. Odorum differentias in rebus cæteris, quæ alimenta non ſunt, ut fere non diſtinguimus, ita per diſtincta nomina non loquimur de iis: aut, quando ſunt diſtinguendi odores, quia vehementer afficiunt, atque ideo aliquo nomine ſignificandi, facimus hoc per ipſa rerum odoratarum nomina, *roſæ*, *violæ*, eo prorſus modo quo de ſapore diximus. Similiter ab Auditu nomina ſunt quæ corporum aliorum qualitatem ſignificant, puta campanæ, tibiæ, quando *ſonos* edunt, quod hic unum & commune nomen eſt. Et quamquam mille ſonorum differentiæ auditu percipiantur, vix propria eorum nomina ſunt, præterquam paucorum ſonorum vocalium, in homine & quibuſdam aliis animalibus, ut *vagitus*, *clamor*, *cantus*, *hinnitus*, *boatus*, *grunnitus*. *Tonitru* autem nomen ſoni proprium in aere & nubibus eſt. Sonos alios ſæpius per nomina ſuorum corporum diſtinguimus, ut ſi dicas *lapidis*,

dis, vitri, ferri, argenti, ſtanni, campanæ, fiſtulæ, citharæ ſonus, fere ut odores. Denique etiam à Viſu aliquæ voces ſunt, quæ omnium maxime qualitatem aliorum videntur corporum ſignificare. Quia hic ſenſus omnium maxime ab externa cauſa advenit. Suntque duo generalia nomina qualitatum iſtarum, *Lumen & Color*, *ſive lucidum & coloratum*. Particularia aliquanto plura ſunt, & pauca quidem luminis, ut *clarum*, *obſcurum*, *ſplendor*, *fulgor*, *umbra* &c. plura colorum differentias ſignificant, ut *album*, *nigrum*, *rubrum*, *flavum*, &c. Atque ubi color aliquis ita non habet proprium nomen, denominatur ſaltem à corpore aliquo, ut à cryſtallo *cryſtallinus*, à viola *violaceus*, à ſole *ſolis ſplendor* & claritas dicitur. Sicut de ſono, odore & ſapore notavimus.

XIV. *Voces quaſdam ſecundum ſenſum externum eam in corporibus conditionem ſignificare, qua nobis jucunda vel moleſta ſunt.*

Hos externos ſenſus, fere ut internos, etiam ſui generis dolor aut voluptas comitatur, ſive jucunditas aut moleſtia quædam. Cujus alia paſſio in anima, atque ideo aliud in communi ſermone nomen eſt, quando communiter valde afficit nos. Et vel proprium eſt hoc nomen unius ſenſus, ut *pulchritudo & pulchrum*, atque alia, in viſu, *ſuavitas*, *ſuave*, *inſipidum*, *fatuum*, in guſtu, *fragrans*, *fragantia*, *fœtidum*, *fœtor*, in olfactu; vel commune omnium, ut *gratum*, *ingratum*, *jucundum*, *moleſtum*. Et ſic quoque *bonum & malum* duo generalia nomina ſunt, quæ adjuncta qualitatum aut corporum nominibus, vim & ſignificationem nominis alicujus proprii habent: ut ſi dicas, *bonus vel malus odor*, *ſonus*, *ſapor*, *color*, *aut bonus vel malus cibus*, *flos*, *bene vel male olet*, *ſapit*, *ſonat*, *lucet*. Quare uti hæc nomina, ſive propria, ſive communia, diverſa à nominibus qualitatum ſunt, ſecun-

cundum paſſionem in anima, quam primo & proprie ſignificant; ſic diverſa videri poteſt iis conditio corporum ſignificari, quæ ita afficiunt nos. Siquidem aliter ſe *pulchrum* habere, quam quod *pulchrum non* eſt, aliter *ſapidum* quam *inſipidum*, & ſic porro; tam videtur verum eſſe, quam quod alia qualitas albi & nigri, alia acidi & ſalſi ſit. Quia tam unus quam alter in nobis ſenſus ab aliquo corpore efficitur, puta *pulchri & albi* à veſte in viſu, *dulcis & ſapidi* à melle in guſtu; atque tam ſunt cognati atque inter ſe juncti unus & alter ſenſus, ut vel hinc manifeſtum fiat, conjunctam & ſimilem in vocibus ſignificationem eſſe. Qua de cauſa *album & pulchrum*, *nigrum & non pulchrum*, *dulce & ſapidum*, quandoque unum ſunt; quia nempe ſpecies pulchri cum albo, non-pulchri cum nigro, ſapidi cum dulci, ſæpius quam cum alia qualitate juncta eſt. Et tamen prima & propria ſignificatio in his vocibus una & ſemper conjuncta non eſt. Quatenus ſpecies pulchri in ſolo albo non eſt, & poteſt album videri non pulchrum. Atque in ſolo dulci ſapidum ſive gratus ſapor non eſt, & poteſt dulce videri ſapore non gratum ſive ſapidum non eſſe. Ut concludere hic liceat, tam diſtinctam in his vocibus Tertii Ordinis ſignificationem eſſe, de aliis corporibus, quam eſt diſtincta ſignificatio in vocibus Secundi Ordinis, de noſtro corpore. Quatenus pariter vel qualitatem tantum, vel eam conditionem ſignificant, quâ nobis jucunda vel moleſta ſunt corpora, ut videtur, alia; atque ea ſignificatio, vel diviſa in vocibus diverſis, vel conjuncta in voce una invenitur.

XV. *Voces ſecundi ordinis, quæ ſecundum paſſionem in anima qualitatem videntur noſtri corporis ſignificare, obſcuras eſſe.*

Notandum ſolummodo, quando ita dicimus voces Tertii Ordinis corporum aliorum videri qualitatem ſignificare;

re, ut voces Secundi Ordinis, aliquæ ſaltem, videntur ſignificare qualitatem noſtri corporis; ſignificationem in his & illis obſcuram & confuſam eſſe; ſive ea generalis vox *qualitas*, ſive particularis quæcunque ſpectetur. Et primum quidem voces Secundi Ordinis quod attinet, de iis dictum jam eſt §. XI. quod quando affectum ſignificant, ut *amor*, *odium*, *lætitia*, vel naturalem appetitum, ut *fames*, *ſitis*, ſæpe pro actu ſolius animi accipiantur. Et quanquam in affectu minus, in appetitu magis, in interno ſenſu, quem nomina *calor & dolor* ſignificant, omnium maxime de qualitate noſtri corporis cogitemus, ea omnis cogitatio in communi ſermone inter homines, atque earum vocum communi ſignificatione, obſcura & confuſa eſt. Neque ideo perſpicuis ſecundum intellectum verbis dicere poſſumus, quid cogitemus, quia hoc communiter diſtincte non intelligimus. Ita enim dicendum atque intelligendum eſſet, quæ cordis & multarum aliarum partium in lætitia vel alio affectu; quæ oris & ſtomachi in fame & ſiti; quæ partis cujuſcunque in dolore & calore, quæ totius corporis in ſanitate & morbo qualitas & diſpoſitio ſit. Et ſi hæc ita nota eſſent de corpore, ut quiſque ſuum de iis ſenſum novit & paſſionem in anima: medici ac philoſophi tanto ea ſtudio & labore non quærerent, nec diſputarent, an ſolutio continui dolorem, an ſuctio inanium vaſorum, vel potius vellicatio acris humoris, famem faciat, an febris morbus ſit. Quæ infinita ſunt, ſi omnem velimus internum ſenſum percurrere. Hæc ſola adeo laborioſa inquiſitio ac infinita diſputatio nos deberet certos reddere, paſſionem & qualitatem corporis noſtri non ita notam eſſe, ut quidem qualitas & paſſio animæ eſt nota. De hac nemo quærit vel diſputat, quæ & qualis ſit, & quid ſignificet vox calor, dolor, fames, ſitis, ut ſaltem paſſionis in anima

quem

quam quisque ſentit, nomen eſt. Verum ut paſſionem hanc, ita vocis de ea ſignificationem notam ſupponimus, ſecundum propriam & particularem notionem, quam quiſque ex ſuo proprio debet ſenſu formare. De qualitate noſtri corporis autem, quia propriam & particularem notionem non habemus, univerſim & confuſe cogitamus, quod aliqua ſit, quæ facit hunc ſenſum. Et ſicut internus de quo loquimur ſenſus non unus ſed multiplex eſt, ita non una ſed multiplex videtur qualitas noſtri corporis eſſe, quæ illius cauſa ſit. Hanc qualitatem generali ſaltem notione, ſimul & confuſe intelligimus & ſignificamus, ea voce, quæ proprie paſſionem in anima ſecundum ſenſum ſignificat. Quia eorum quæ ſic juncta ſunt in natura, ſignificatio poteſt juncta in voce eſſe, ac debet, quando volumus unum cum altero ſignificare, etſi propria & particularis notio confuſe una, atque ut videtur, de uno eſt.

XVI. *Quid in ſignificatione vocum ſecundi ordinis, clarum, obſcurum, verum aut falſum ſit, diſtinctius ob oculos ponitur.*

Qua ratione in earum vocum ſignificatione, quas diximus eſſe ſecundi ordinis, primum de paſſione ſive qualitate in anima, hinc de paſſione ſive qualitate noſtri corporis cogitamus. At communiter ita non diſtinguimus & diſtincte non cognoſcimus eas, ſed ſaltem confuſe. Et tamen haud facile erramus, quando generali ſaltem notione, alia videtur qualitas & conditio noſtri corporis eſſe, ſicut alius ſenſus eſt, atque unus certus ſenſus, puta ***doloris***, ***frigoris***, ***caloris***, videtur unius certæ qualitatis eſſe. Quamvis enim ſpeciatim dicere non poſſimus, quam in noſtro corpore qualitatem ſenſus internus ſignificet, quia particularem de ea notionem non habemus; idcirco omnino falſum non eſt id quod ita univerſim de ea cogitamus, & voce aliqua ſignificamus. Sed eſt vera cogitatio & ſignifi-

catio, quæ modo generalis eſt de aliqua ſaltem qualitate corporis noſtri, quando aliquis internus ſenſus eſt, ſive aliqua paſſio in anima, cum qua paſſio ſive qualitas in corpore debet juncta eſſe: Quia anima ſenſum & paſſionem à ſe ipſa non habet, ſed ex eo quod unita corpori ſit. Erramus autem, quando ipſe ſenſus, ipſaque per ſe paſſio quæ in anima eſt, videtur in corpore eſſe, ac pertinere ad ſubſtantiam corporis. Ac ſi nomina, quæ primo & proprie ſignificant paſſionem in anima, *calor*, *dolor*, &c. pariter primo & proprie qualitatem in corpore ſignificent. Quo poſito, de vera & propria qualitate corporis ne cogitamus quidem, neque eam amplius intelligimus voce iſta. Qui manifeſtus error eſt, ſi putemus animam & corpus qualitate & ſubſtantia diſtingui inter ſe. Sed vero quia anima, quanquam ſit diſtincta, nihilominus ſic eſt unita cum corpore, ut quantum poteſt, ſuam cum eo qualitatem & ſubſtantiam communicet: ea ſignificatio ſuo modo tamen vera eſt, ſaltem in communi ſermone, ubi iſta adeo accurate non diſtinguimus. Quia de interno ſenſu & paſſione in anima, puta calore, dolore, communiter ſecundum unionem loquimur, quæ inter animam & corpus eſt, non ſecundum diſtinctionem & propriam ſingulorum naturam de qua Philoſophi ſuo modo & ſuo proprio ſermone loquuntur. Atque ita manum, pedem aut aliam corporis partem calore, frigore, dolore affici, quin eſſe in iis paſſionem & ſenſum hunc, communiter recte dicimus: & ſuo modo vera, atque etiam ſatis clara ea in vocibus iſtis ſignificatio eſt, quam idcirco omnes homines intelligunt.

XVII. *Similiter obſcuras eſſe voces Tertii Ordinis, quæ qualitatem videntur aliorum corporum ſignificare.*

Quod jam attinet voces Tertii Ordinis, quæ adhuc magis videntur ſignificare qualitatem aliorum corporum, quam

quam voces ſecundi ordinis qualitatem noſtri corporis: illarum ſignificatio etiam obſcura & confuſa eſt. Eſt namque in iis una ac eadem cauſa obſcuritatis & confuſionis, quod voces quæ primo & proprie tantum paſſionem in anima ſignificant, ſive ſenſum, quatenus ſentire eſt pati, ut *calor*, *frigus*, *ſapor*, *odor*, *ſonus*, *lumen*; videantur præterea qualitatem alterius corporis ſignificare extra animam & ſenſum. Eſt fere eadem ratio hujus adeo diverſæ ſive conjunctæ in una voce ſignificationis: quod nempe natura, ſicut animam ſuo corpori jungit atque ita hominem facit, in quo anima & corpus quantum poſſunt unum ſunt; ita hunc hominem, qui ex anima & corpore compoſitus eſt, jungat cum aliis corporibus, & faciat ut cum his quoque unum ſit. Hoc ſolum intereſt, quod unio cum corporibus aliis adeo intrinſeca atque immediata non ſit, ut quidem cum corpore noſtro. Quatenus noſtrum corpus animam immediate ſive primo & per ſe afficit, alia corpora autem, non quidem animam in nobis, ſed ſaltem corpus afficiunt, atque ea vis & actio, quando pertingit ad animam ſentitur, unaquæque ſecundum propriam paſſionem & ſpeciem ſuam. Hanc paſſionem ſive ſpeciem in ſenſu, relate ad corpora alia extra nos, ſic ſignificant voces Tertii Ordinis, ut voces Secundi Ordinis, relate ad noſtrum corpus, ſignificant ſuam paſſionem. Qua de cauſa, quando vocibus iſtis volumus præterea aliorum corporum qualitatem intelligere, ad quæ refertur ſenſus, qui inde externus dicitur, ea ſignificatio obſcura & confuſa eſt. Atque ideo perſpicuis ſecundum intellectum verbis dicere non poſſumus, quid in igne vel aqua ſit, quod ita afficit nos, ut calorem inde vel frigus ſentiamus, quæque adeo in iis ſit qualitas caloris aut frigoris. Hac etiam de cauſa, non quidem de paſſione in

ſenſu, ſed de qualitate in objecto diſputant Philoſophi, neque aliter quam confuſa & generali de ea notione loquuntur Ariſtotelici, ut omnes homines faciunt. Hanc adeo confuſam & generalem notionem jungunt cum notione propria & particulari ſuæ paſſionis in ſenſu externo, & utramque una voce comprehendunt, prorſus ut de ſenſu interno & qualitate noſtri corporis diximus. Quia natura tam corporum aliorum, quam noſtri corporis qualitatem junxit cum paſſione, quam inde in anima & ſenſu experimur. Hoc ſolum cum diſcrimine, quod cum noſtro corpore immediate, cum aliis corporibus, noſtri corporis interventu, ea conjunctio facta ſit.

XVIII. *In Tertio Ordine voces magis eſſe errori obnoxias, quam in ſecundo.*

Quod jam diximus multum confirmatur, omniſque de eo dubitatio tollitur, ſi porro advertamus, adhuc minus poſſe ea corpora quæ ſunt extra nos, ſenſu externo notam facere qualitatem ſuam, quam id noſtrum de ſe ipſo corpus facit ſenſu interno. Quia nempe alia corpora primo & per ſe non agunt in animam, ſed in aliquam noſtri corporis partem, quæ proprium ſui ſenſus inſtrumentum eſt. Et quando ea actio ad interiora pertingit, atque paſſionem in anima facit, dicimur lumen & colores oculis videre, ſonos auribus audire, calorem & frigus ſentire manu, & ſic porro. Ubi primum novæ obſcuritatis, deinde erroris, de quo dictum non eſt in ſenſu interno, cauſa occurrit; quatenus ad paſſionem in nobis, quæ primum in corpore, hinc in anima eſt, accedit vis & actio & qualitas aliorum corporum extra nos. Atque hæc tria haud ita facile in ſenſu externo diſtinguere & recte intelligere poſſumus, ut quidem duo priora in ſenſu interno. Ubi idcirco magis obſcura, confuſa, & ſæpius errori obnoxia in vocibus ſignificatio eſt.

XIX.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

XIX. *Primum quatenus ſaltem paſſionem in anima ſignificant, ſive ſpeciem in ſenſu, quæ corporum aliorum videtur manifeſta qualitas eſſe.*

Et primum quidem paſſionem in anima quod attinet, ea tam eſt manifeſta in externo quam interno ſenſu. Qua de cauſa etiam pariter manifeſta atque indubitata in vocibus ſignificatio eſt. Quando nempe ipſa ſecundum ſe paſſio in anima ſpectatur, ac intelligitur propria voce ſua, *lumen*, *color*, *calor*, *ſonus*, *odor*, *ſapor* &c. in ſenſu externo, uti voce *dolor*, paſſio intelligitur in ſenſu interno. Atque hoc eſt quod Ariſtoteles alia voce generali τὸ εἶδος *ſpeciem*, alii τὸ φανόμενον *viſum in ſenſu* vocant; quia in viſu præcipue locum habet ea ſpecies quæ in ſenſu afficit nos. Sed vero in communi ſermone, paſſio in anima, ſive ea ſpecies in ſenſu de quo loquimur externo, *color*, *calor*, *frigus*, vix ita ſecundum ſe ſpectatur, ſed relate ad aliud corpus, atque cum applicatione ad aliud ſubjectum intelligitur. Ac ſi *color*, *calor*, *frigus*, nomina manifeſtæ qualitatis ſint, in igne, aqua & quocunque alio corpore, ſicut nomina manifeſtæ ſive notæ qualitatis in anima ſunt, quatenus eam, quæ ipſo ſenſu nota ſive manifeſta eſt, paſſionem, in anima ſignificant. Qua ratione ea in his vocibus ſignificatio quæ ſecundum ſenſum externum cum applicatione ad ſubjectum intelligitur extra nos; adeo vera non eſt, quam quæ ſecundum ſenſum internum, in voce *dolor*, *calor*, *frigus* in nobis poteſt cum applicatione ad ſubjectum intelligi, quod noſtrum corpus eſt. Quia lumen & calorem ea ſpecie qua in ſenſu & paſſiones in anima ſunt, pertinere ad alia corpora, tam verum non eſt, quam ſuo modo eſt verum, dolorem vel calorem ad noſtrum corpus pertinere; ſiquidem, ut ante dictum fuit, non ſic ad corpora alia, ut quidem ad noſtrum corpus, anima pertinet;

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

tinet, atque anima in ſe & corpore ſuo, ut videtur, conjunctim, aliter ſentit dolorem vel calorem, quam dici poteſt extra ſe atque in corporibus aliis, lumen & colores vel etiam calorem & frigus ſentire. Neque alia ratio omnium aliorum eſt, in externo ſenſu, ſive corporum qualitatem tantum ſive eam conditionem ſpectes, quâ nobis jucunda vel moleſta, ſive bona aut mala videntur. Quatenus propria forma boni aut mali, ſive jucundi aut moleſti videri poteſt in corporibus aliis eſſe extra nos: Sicut in nobis ea forma juncta cum aliorum corporum ſpecie in ſenſu eſt. Ac ſi pulchritudo, ſicut cum lumine & coloribus in oculis ſeu viſu eſt, ita quoque in corporibus ſit extra viſum, & ſic de cæteris, quæ ad alios ſenſus pertinent, de quibus §. XIV. dictum eſt.

XX. *Secundo, quatenus qualitatem corporis noſtri fere non ſignificant.*

Deinde notio qualitatis quæ propria noſtri corporis ſit, etiam tam manifeſta non eſt in externo quam interno ſenſu: neque ita eam vox una ſignificare videtur. Niſi forte in tactu, quatenus ille ſimul interni & externi ſenſus in ſe conditionem habet. Hinc enim dicimus, nos *in manu vel alia parte, aut toto corpore, calorem vel frigus ſentire*, etiam quando aqua vel ignis facit hunc ſenſum. Quod tam poſſumus de qualitate caloris & frigoris in corpore, quam de ipſo ſenſu ſive paſſione in anima intelligere. Quia corpus noſtrum primum debet qualitate caloris aut frigoris affectum eſſe, antequam illorum ſenſum accipiat ab alio corpore. Uſque adeo ut poſſit in eo iſte ſenſus eſſe, quando remota corpora ſunt, quæ prima illius cauſa fuerunt: quia nempe impreſſa ſive communicata eſt qualitas eorum corporum, puta ignis, qui nos primum ſenſu caloris afficiebat, ut putabamus, externo. Ad tactum proxime accedit guſtus, ut in ſe ſpeciem tactus habet, quatenus cibi

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

cibi ſapidi particulæ linguam & palatum ſubeunt ac faciunt ut in ea parte percipiamus ſaporem. Similiter fere corporis odorati particulæ multo tenuiores, quando in nares penetrant, faciunt ſenſum odoris. Neque multo aliter aër qui à ſonoro corpore venit, in auribus ſoni, & materia adhuc ſubtilior aëre à lucido & colorato corpore ad oculos pertingens, atque eos afficiens tam ſubſtantia quam qualitate ſua, facit in iis luminis & colorum ſenſum. Hoc ſolum intereſt, quod in calore & frigore, quando tactu ſentiuntur, vis & actio interna ſit, ex permiſtione calidi & frigidi cum ſubſtantia corporis noſtri. Et in ſapore, quando guſtu percipitur, vis & actio etiam interna eſt, ex permiſtione ſapidi cum humore qui in lingua & palato dici poteſt pertinere ad ſubſtantiam corporis. Neque multo aliter in olfactu vis & actio halitus odoriferi videtur interna eſſe. In auditu & viſu, corporis noſtri & aliorum corporum reſpectu, quæ movent hos ſenſus, dici poteſt vis & actio prorſus extrinſeca eſſe, quatenus ſaltem pars nulla lucidi & colorati corporis in oculos; nulla de corpore ſonoro ſic in aures ſe inſinuat, ut pars ſapidi in linguam & palatum, pars odorati in nares. Verum aër, qui medius inter corpus ſonorum & aures eſt, in auditu; alia tenuior cœleſtis materia, in viſu afficit nos: eſtque tam in uno quam altero ſenſu actio extrinſeca, ſine ea permiſtione de ſubſtantia objecti, quam in tactu & guſtu notavimus. Hac de cauſa igitur nomina *calidum*, *frigidum* atque aliæ ſecundum ſenſum tactus voces, maxime; ſed vero *dulce*, *acidum* & talia in guſtu, minus; *odoratum*, *fœtidum* in olfactu, adhuc minus; ſed multo minus *ſonorum*, in auditu; minime omnium *lucidum & coloratum*, in viſu, qualitatem videntur noſtri corporis ſignificare.

XXI. *Error inde ortus in communi ſermone & philoſophia, quo videtur ſpecies in ſenſu qualitas noſtri corporis eſſe.*

Qua ratione dici poſſunt hæ voces in nobis nihil aliud ſignificare, quam quod ſentimus, atque id proprie quod ſpecies in ſenſu ſive paſſio in anima eſt. Neque de alia corporis noſtri qualitate cogitamus, ſecundum propriam & particularem notionem. Siquidem paſſio in nobis & ſpecies videtur una eſſe quando ſentimus, propter animæ & corporis unionem, quæ unio facit, ut de diſtinctione non cogitemus. Ita fit, ut Philoſophi quoque *ſpeciem* tantum conſiderent in ſenſu, quam intentionalem vocant; atque eâ, ſine diſtinctione, tam putent corpus, quam animam affici. Et veteres dicebant, *Mens videt, mens audit*, quaſi in videndo & audiendo nulla omnino in nobis actio noſtri corporis ſit, & non agant omnino, quando videmus vel audimus, corpora alia quæ ſunt extra nos, in noſtrum corpus. Qui manifeſtus error eſt, ſi tam in externo quam interno ſenſu, ſpectanda eſt & paſſio & actio noſtri corporis propria, & ſpecies (ut præcipuè in viſu appellatur) quæ pertinet ad corpus, atque unâ quidem, ut vidimus, voce comprehenſa cum ſpecie & paſſione in anima, attamen adeò diverſa eſt, ut etiam poſſit voce alia ſignificari, quæ magis clara & errori minus obnoxia eſt. Ita vero *vis & actio, qualitas, atque etiam paſſio*, voces aliæ generales ſunt, ad ſignificandum id quod in corpore eſt, quando ſentimus, generali ſaltem & confuſa notione. Quatenus cogitamus (quia anima ſenſum à ſe ipſa non habet verum à corpore cui unita eſt) primum debere in nobis corpus affici, antequam anima afficiatur. Ut, corpus quod attinet, ſit quidem in nobis *ſpecies ſine materia* aliorum corporum, *perinde atque annuli ſignum ſine ferro vel auro in cera*, non autem poſſit corporea ſpecies ſine materia noſtri

noſtri corporis ſubſiſtere. Sic enim verba quæ hic citamus Ariſtotelis, libro ſecundo de Anima cap. 12. multi perverſe interpretantur, de ſpeciebus quas intentionales vocant. Ac ſi ſine omni materia & corpore ſubſiſtant atque omnino immateriales ſive incorporeæ ſint, quia materia in iis alterius corporis non eſt, uti in ipſo annuli ſigno non eſt ferri vel auri materia, cum tamen in eo, ſive potius ſub eo ſigno, ut ſubjectum, corpus & materia ceræ exiſtat. Ita hactenus *ſpecies & ſignum* etiam vox poteſt generalis eſſe ad ſignificandum id in corpore noſtro, quo proxime anima afficitur quando ſentit, quod quidem ſine alterius non autem ſine noſtri corporis materia ſubſiſtit. *Motus*, *figura*, *tractio*, *pulſio*, *preſſio*, voces magis particulares ſunt quibus ſignificari poteſt illud quod in ſenſu judicamus, ſive ratione concludimus, proprium noſtri corporis eſſe, hac magis propria eſt particulari notione. Hoc ſolum intereſt, quod in communi ſermone hæc particularis notio tam facile intelligi non poſſit, quam quidem generales iſtæ: quia cum ſenſu communi, quem omnes homines intelligunt in communi ſermone, ſic à natura juncta non eſt particularis, quam nos vera debet Philoſophia docere, ut quidem qualiscunque generalis notio. Qua de cauſa ea omnis, & quæcunque alia vox & notio particularis, cenſeri debet propria philoſophorum eſſe. Sicut *ſolutio continui* notio & appellatio propria Medici-philoſophi eſt, quâ ille qualitatem & affectionem noſtri corporis in ſenſu doloris ſignificat, accommodate non tam ad communem (quæ tam diſtincta non eſt) quam ad ſuam propriam cogitationem ſive opinionem; quia qualitatem ſive affectionem noſtri corporis, in ſenſu doloris, ita ſecundum propriam & particularem notionem, communiter non ſignificat vox *dolor*, fere uti vox *calor*, variam in igne te-

nuium corpuſculorum agitationem, vox *Lumen* globulorum cœleſtium inter ſolem & oculum preſſionem non ſignificat, verum prima, ſimpliciſſima atque omnino vera horum nominum ſignificatio, de eo quod in nobis ſentimus, intelligitur. Hunc ſenſum, ut in nobis qualitas animæ eſt, à noſtri corporis, vel aliorum corporum qualitate non diſtinguere, atque putare quod ſit ſenſus nihil aliud quam qualitas corporis, magnus & tamen communis error eſt.

XXII. *Tertio, quatenus qualitatem aliorum corporum non poſſunt ſignificare: quia una qualitas non uno modo ſenſum afficit.*

Supereſt in vocibus tertii ordinis generalis notio & ſignificatio qualitatis vel conditionis quam tribuimus aliis corporibus. Atque ea etiam magis errori obnoxia eſt ſecundum ſenſum externum, quam notio & ſignificatio qualitatis vel conditionis, quam tribuimus noſtro corpori, ſecundum ſenſum internum. Etenim in ſenſu interno, ut ex antedictis patet, corporis noſtri qualitas, & conditio quæ bona vel mala videtur, ipſa per ſe animam afficit. Atque ideo quando una aut ſimilis eſt, unum aut ſimilem ſenſum facit. Et neceſſario ſecundum naturam adeſt hic ſenſus, puta *calor*, *dolor*, *frigus*, &c. quando conditio & qualitas in corpore eſt. Et ſic ſaltem earum vocum ſignificatio, tam corporis noſtri, quam animæ reſpectu, dici poteſt vera & certa eſſe, quia ad unum determinata eſt; ſive unius hominis, ſive plurium ſenſum ſpectes, & ſermonem de ſui corporis calore, dolore, &c. Sed vero in externo ſenſu, qualitas aliorum corporum, atque ea omnis conditio qua nobis bona vel mala videntur, puta ignis, aquæ, panis, vini, qualitas, ipſa per ſe animam non afficit. Atque tria interveniunt, diſtantia, medium & organum, quæ infinitis modis turbare poſſunt atque alterare, vel impedire actionem objecti. Et ſic poteſt multiplex in

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

externo ſenſu diverſitas & contrarietas eſſe, quando uno modo corpora ſe habent: poteſt eſſe ſimilis ſenſus, quando diſſimilis qualitas & conditio corporum eſt: poteſt de una qualitate & conditione corporum, ſenſus parvus, magnus, vel nullus eſſe. Atque hæc omnia ita habent ſe, ſive unius hominis, ſive plurium ſenſum ſpectes, ſicut innumeris poſſet exemplis probari.

XXIII. *Quis hinc error ſequatur in ſermone & opinione de qualitate corporum.*

Notari tantum velim, quam ex his perſpicue ſequatur, in vocibus tertii ordinis etiam generali notione, determinatam ad unum, ſive veram & certam ſignificationem non eſſe, corporum qualitatem & conditionem quod attinet. Hinc ſolum ſæpe diverſa de una, atque una de diverſa qualitate locutio eſt, in communi ſermone, cui in multis Philoſophi ac Medici ſe accommodant, in opinionibus ſuis, quæ hinc in multis adeo diverſæ & contrariæ ſunt. Quia nempè diverſa, contraria, & quandoque nulla ſpecies in ſenſu eſt, quam ſpeciem, vel ipſam putamus qualitatem corporis eſſe, vel illius notam & ſignum quo manifeſta fit. Atque hic error multum confirmatus ab Ariſtotele fuit, quando dicit, *paſſiones in anima, quæ eædem apud omnes ſunt, notas rerum eſſe, voces notas paſſionum.* Quod jam fuſe demonſtravimus hactenus ſaltem verum non eſſe in vocibus tertii ordinis. Primum quia paſſiones in anima, ſenſum externum quod attinet, omnino eædem apud omnes non ſunt de rebus iiſdem. Deinde quia notio & ſignificatio rei ſive qualitatis, vel nulla eſt in vocibus iſtis, vel generalis & confuſa tantum. Quatenus primo & propriè tantum paſſionem in anima ſignificant, quæ alterius rei ſive qualitatis extra animam notio non eſt; quanquam per errorem ita nobis videri poſſit, quatenus ſenſus qui in nobis

 eſt,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

eſt, cum qualitate corporum extra nos, cogitatur debere conjunctus eſſe. Ubi non advertimus, hanc conjunctionem ſenſu factam eſſe ſecundum effectum tantum, qui neque repreſentat, neque alia ratione docet, quid ſit res. Ut concludere liceat, in ſermone & opinione de qualitate corporum ſemper errorem eſſe, ſi particularem qualitatis notionem ſive conditionem ſpectes.

XXIV. *Error in ſermone & opinione, de conditione qua quid bonum vel malum dicimus.*

Notandum præterea eſt, id quod jam diximus de diverſitate & contrarietate in ſenſu, ſermone & opinione, de qualitate corporum, tam poſſe locum habere in boni & mali, quam veri & falſi judicio. Quatenus ſecundum ſpeciem in ſenſu non minor diverſitas in uno quam altero eſt, & ratio ac propria forma boni aut mali cum qualitate videtur in corporibus eſſe. Patet verò ex ante dictis, hunc errorem minus locum habere in tactu, & vocibus quæ ad illum accommodatæ ſunt: ut quando nobis *jucundus vel moleſtus eſt caloris aut frigoris ſenſus, ab aqua, igne, veſte,* &c. atque hinc ea corpora in bonis aut malis habemus. Nam horum ſenſus fere internus eſt, & facilè advertimus, id quod ita ſentimus, in nobis eſſe, nec neceſſe eſſe ut omnis diverſitas & contrarietas ſit in corporibus extra nos, quam in nobis ſentimus. Sed verò ſicut guſtus aliquanto magis externus eſt ſenſus, & adhuc magis olfactus, atque etiam auditus, omnium maximè verò viſus: ita cum qualitate quam ſecundum nos ſenſus aliis corporibus tribuimus, puta lumine, colore, ſono, odore, ſapore, videtur iis tribuenda eſſe boni aut mali ſpecies, *pulchritudo, deformitas, ſuavitas*, &c. De quibus idcirco, ſicut in ſenſu, ita in ſermone & opinione, non minor diverſitas & contrarietas eſt, quam de qualitate corporum. Atque in eo etiam

debet

debet multiplex error eſſe, quatenus una tantum veritas eſt, res ipſas quod attinet in ſe ſpectatas, etiamſi relate ad nos non eſt ſenſus unus, non una veritas: ſicut dicimus communiter, *quot capita, tot ſenſus*: quod neque de rebus, quaſi illæ tot diverſæ ſint, neque de vero rerum in ſe ſpectatarum poteſt intellectu accipi.

XXV. *Voces quarti Ordinis, ſecundum ſpeciem in ſenſu vere qualitatem corporis ſignificant.*

Hactenus eas voces ſpectavimus, quæ fere aliud nihil quam paſſionem in anima ſignificant, ſecundum primam & propriam in iis notionem. Quatenus vel ſingulares notæ paſſionum inter loquendum ſunt, qui ordo ſecundum naturam primus eſt, vel generalia nomina paſſionum, de quibus loquimur. Et prout in his ratio ſignificationis iterum diverſa eſt, ſecundum internum vel externum ſenſum: diximus voces ſecundi vel tertii ordinis eſſe. Cum his jam porro proximè cohærent *Voces Quarti Ordinis*, quæ ſecundum paſſionem in anima atque unâ cum paſſione ſive ſpecie in ſenſu, vere & propriè qualitatem corporis ſignificant, ſive noſtri, ſive alterius, quod intelligiter à noſtro corpore diverſum eſſe.

XXVI. *Nomina Quantitatis continuæ in corporibus.*

Primum genus in hoc ordine dicamus eas Voces eſſe, quæ ſecundum ſpeciem in ſenſu apparentem in corporibus *Magnitudinem* ſive extenſionem ſignificant, quam Philoſophi continuam quantitatem vocant. Ut ſunt imprimis nomina cujuſcumque *longitudinis*, *digitus*, *pes*, *ulna*, *paſſus*, *pertica*, *ſtadium*, *milliare*. Quæ vel ut particularia intelligimus, de longitudine digiti, pedis, &c. ut certa corpora ſunt quorum longitudo nota ſupponitur, vel ut generalia de menſuris iſtis nota longitudine determinatis, quæ lon-

gitudo tam in uno poteſt quam in alio corpore ſpectari. Quanquam ea generalis ſive abſtracta notio & nominatio etiam dici poſſit alterius ordinis eſſe, in vocibus, quæ ſecundum intellectum vere qualitatem corporis ſignificant. Quem intellectum in hoc quarto ordine ſæpe jungimus cum ſenſu. Deinde ea quæ cum longitudine ſignificant ***Latitudinem***, cujus quantitatis proprium in agris nomen *jugerum* eſt. Nomina generalia certæ ac determinatæ latitudinis eadem quæ longitudinis ſunt, *pes*, *ulna*, *pertica*, quando hæc nomina de quadratis in plano pedibus, ulnis, perticis intelligimus. Denique quædam nomina præterea ſignificant *Craſſitiem* ſive totam molem corporis, ſecundum menſuram aliquam. Hujus propria in particularibus nomina vix alia quam in humidis, vel ſiccis mobilibus ſunt, ut *modius*, *amphora*, *cyathus*. Generalia nomina, etiam longitudinis ſunt, atque latitudinis, *pes*, *digitus*, &c. quatenus ea de ligno, lapide, aliave mole corporea intelligimus, ſecundum trinam dimenſionem, ut loquuntur.

XXVII. *Nomina quantitatis diſcreta, ſive Numerorum.*

Sequuntur voces quæ quantitatem dici poſſunt diſcretam ſignificare ſive *Numerum*. Cujuſmodi vox imprimis eſt *Unum*, qua ſignificamus rem diſcretam ſeu diviſam eſſe ab omni aliâ re, in ſe vero indiviſam, ſicut unus lapis, unus homo. Hinc orta notio & definitio Metaphyſica, *Unum eſt indiviſum in ſe, diviſum à quolibet alio*: quam dicunt proprietatem omnis rei exiſtentis ſive entis eſſe. Neque alia de cauſa in hac Unius notione & ſignificatione, tot tricas inveniunt & ſubtilitates, quam quia non intelligunt veram originem ejus, quæ in communi ſermone, quando de particularibus loquimur, referenda ad ſenſum eſt, quo quid videtur diviſum ab alio, in ſe indiviſum eſſe. Cumque adeo ea Unius ſpecies in ſenſu ſit una & ſimplex,

eſt

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

eſt quoque vox in omni ſermone unica tantum. *Nomina multitudinis*, quia multitudo multiplex eſt, diverſa ſunt & valde multa. Ita *populus*, *exercitus*, *grex*, *concio*, incertæ; *legio*, *cohors*, *manipulus*, *centuria*, certæ multitudinis nomina in particularibus ſunt. Qualia valde multa occurrunt in diverſo rerum genere. *Multitudo*, *pars*, *genus*, *ſpecies*, ſunt nomina generalia, quibus unum ex pluribus aggregatum univerſim ſignificamus; quod de certo rerum genere non intelligitur, niſi quando earum vocum in particularibus facta applicatio eſt, tacita vel expreſſa. Sicut hæ voces proculdubio primum in particularibus de certo rerum genere intellectæ ſunt, quod genus ſubintelligi poteſt, vel propria voce exprimi. Denique *duo*, *tria*, *quatuor*, &c. voces adeo generales ſunt, ut quamcunque poſſint multitudinem ſignificare, in omni rerum genere. Quæ multitudo his vocibus proculdubio primum etiam in particulari, quod vidimus aliquando, determinata fuit, atque ex ſui generis unis ſive unitatibus compoſita.

XXVIII. *Nomina figurarum in Planis & Solidis.*

Tertium genus in vocibus quarti ordinis eſt, *de Figuris ſive formis externis.* Quarum nomina primum in latitudine ſeu externa ſuperficie tantum, deinde in corpore & ſolido ſpectamus. Atque horum vel communia ſunt nomina, ut *quadratum*, *rotundum*; vel propria, ut *circulus*, *globus*, *cubus*, *conus*, *pyramis* &c. Hæc nomina ſimplicium figurarum ſunt, quales præcipue à geometris ſpectantur, non tam ſecundum ſenſum in natura, ubi raro occurrunt, quam ſecundum intellectum, qui in his communiter eſt conjunctus cum ſenſu. Figuræ magis compoſitæ ſive irregulares, ut fere omnes in natura & ſenſu ſunt, non ita habent propria nomina. Atque ideo ſæpe nominibus corporum appellantur, in quibus eas videmus. Ut

ſi di-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

ſi dicam, *figura cultri*, *gladii*, *ſecuris*, *ſagittæ*, *domus*, *montis*, *arboris*. Eo ferè modo quo dictum fuit § XIII. colores, ſonos, odores & ſapores, ſæpe nomen à corporibus accipere, ad quæ pertinere videntur.

XXIX. *Nomina Loci & Situs.*

Poſt notionem & nominationem magnitudinis, numeri & figuræ, in uno ſeorſim corpore; ſpectari poteſt notio & nominatio ſitus, loci & poſitionis, quam corpus unum videtur inter alia habere. Huc primum ſpectanr paucæ voces generales, *hic*, *ibi*, *illic*, *intra*, *extra*, *foris*, *ſupra*, &c. Quatenus iis in unoquoque particulari poſſumus eorum quæ videmus ſitum & poſitionem deſignare. Quo ſaltem aliquid ſignificatur, quod dici poſſit in corporibus eſſe: quatenus propter continuitatem & plenitudinem neceſſe eſt corpus unum aliquibus conjunctum, ab aliis diſſitum eſſe, ab aliis proxime ambientibus circumſcribi. Ut vere ſit in corporibus aut inter corpora, primum *vicina*, deinde *diſtantia*, & tum quoque corporis unius à pluribus aliis comprehenſio & *circumſtantia* quædam. Præterea ſunt plurimæ voces particulares, quæ vel locum tantum, ut *domus*, *rus*, *forum*, *curia*, *regio*, *vas*, *navis* (quando hæc non tam corporum quam locorum nomina ſunt) vel ſimul eſſe in his locis ſignificant, voce una, *domi*, *ruri*, *humi*, *Romæ*, quæ dici poſſunt vocum duarum vim habere, *in domo*, *rure*, *humo*, *Roma*, quanquam etiam aliter horum nominum ſignificationes interpretantur Grammatici, quorum lites noſtras non facimus. Quarum certe vocum ſignificatio cenſeri poteſt alicujus qualitatis in corporibus eſſe, ſi domus, rus, humus, Roma, regio, vas, navis, loca corporum ſunt, ſecundum viciniam, contiguitatem, comprehenſionem, quæ in aliquibus proxima & propria, in aliis remota & communis intelligitur. Ne jam dicam de qualitate loci,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

loci, quam hæc nomina etiam ſignificant, ratione formæ, quâ corpus unum, puta vas, domus, navis, ad aliud recipiendum vel continendum, aptum eſt. Cumque adeo Cœlum & Terra & totus Mundus, in ſe contineant omne corpus, hic locus primus, notiſſimus & maxime communis eſt, omnem ſub ſe alium locum comprehendens.

XXX. *Nomina Quietis & Motus.*

Etiam voces quædam ſignificant ſitum permanentem in uno loco, vel cujuſcunque rei univerſim, ut *quies, quieſcere, jacere*; vel hominis ſpeciatim, aut alterius animalis, ut *ſtare, ſedere, decumbere*. Aliæ loci & ſitus mutationem ſignificant. Atque hæ ſimiliter, vel generales, ſive communes omnium corporum ſunt, ut *moveri, recedere, accedere*: vel ſpeciales atque hominis & animalium propriæ, ut *ambulare, ire, currere, volare, natare, ſaltare*. Ita voces de motu multo plures ſunt, quam quæ quietem & ſtationem ſignificant. Nam quies fere una & ſimplex eſt, motus multiplex & infinitus, ſive conditionem mobilis, ſive qualitatem motus in ipſo, ſive effectum & operationem in alio ſpectes. Ita enim *gyrare, volvi*, item *adſcendere, deſcendere* atque adeo *grave vel leve eſſe*, ſive gravitas & levitas, dici poſſunt qualitatem motus atque etiam aliquo modo conditionem mobilis ſignificare. *Velocitas, tarditas*, ea ſignificant in motu, quæ ad propriam ejus formam & qualitatem referuntur: quæ ſignificatio etiam in vocibus, *rectus, obliquus & varius* eſt, quando, ut ſæpe fit, de motu dicuntur. Huc ergo etiam referri poſſunt omnia ponderum nomina, *uncia, libra*, &c. quæ in certâ qualitate motus, deorſum ſcilicet, illius quaſi quantitatem ſignificant. At *ſcindere, pungere, penetrare, dividere, componere, conterere, abradere, polire*; item, *vehere, trahere, pellere, attollere, deprimere, rotare*, non tam formam &

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

qualitatem motus in ipſo movente, quam effectum in alio ſignificant.

XXXI. *Nomina, quæ Tempus ſignificant, ut in Naturâ eſt, ſicut Locus.*

Denique omitti non debent in hac enumeratione iſtæ voces quæ Tempora ſignificant. Quatenus tempus ita fere ad motum ſe habet, ut locus ad quantitatem ſive extenſionem in corporibus: eſtque tam tractus quidam motus in tempore, quam tractus alicujus extenſionis in loco. Ita primum ſunt nomina multa, quæ certa tempora ſecundum certam qualitatem ſignificant, quæ qualitas ſenſibus manifeſta, & cum motu conjuncta eſt. Puta *æſtas*, *hyems*, *ver*, *autumnus*, *vindemia*, *meſſis*, *peſtilentia*, *bellum*, *pax*, *olympias*. Ea ſic fere ſpecialia nomina temporum ſunt, ſpeciali qualitate ſive conditione; uti urbs, regio, campus, navis, vas, ſpecialia ſunt nomina locorum, formâ & qualitate ſua. Et tam dicimus *æſtate*, *hyeme*, *vere*, *olympiade*, intelligendo tempus, quam *Romæ*, *domi*, *ruri*, intelligendo locum. *Domi bellique clarus* dicimus latine, intelligendo pacis ſive quietis quæ in domo eſt, & belli tempus extra domum. Tam intelligimus per hæc ſpecialia temporum nomina, ſpeciales actus ſive motus in natura corporea, quam per particularia nomina locorum, particularem in corporibus extenſionem & qualitatem intelligimus: quæ extenſio & qualitas quatenus in campo, monte, domo, vaſe, navi, alia eſt, alius locus cenſetur; ſicut aliud belli & pacis, aliud æſtatis & hyemis tempus eſt, quia ſunt actus ſive motus alii. Qua ratione, ſicut in notione loci, quantitatem quoque corporis unius referimus ad quantitatem & extenſionem corporis alterius, puta mercium ad navim; ita in hac temporis notione actum aut ſtatum unius referimus ad actum & ſtatum alterius. Cogitamuſque adeo, *æſtate*,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

æſtate, hyeme, meſſe, vindemiâ, bello, pace, fieri, agi aut eſſe hæc & illa, quatenus ea quæ ſunt, fiunt & aguntur, videmus conjuncta eſſe cum iſtis: ut tam poſſit actus ad actum, quam corpus ad corpus referri. Ideoque actus ſpecialis ſpecialem, generalis generalem notionem temporis parit. Et *tempus*, vel plurium aut omnium *commune*, vel *proprium* eſt paucorum, ſicut eſt locus proprius vel communis. Pax, bellum, peſtilentia, meſſis, vindemia, temporis alicujus nomina particularia ſunt. Æſtas, hyems, ver, autummus, nox, dies, magis generalia. Sed vero motus quem videmus cœlorum, ſolis ac lunæ, qui omnium illorum cauſa eſt, adeo eſt generalis, ut poſſint ad illum motum omnia referri, quæ ſunt, fiunt & aguntur ſub cœlo. Atque ita hic motus ſecundum ſucceſſionem ſive prius & poſterius ut loquuntur, notionem temporis parit quod omnium commune eſt, atque omne ſub ſe complectitur tempus. Sicut Mundus communis omnium locus eſt, atque omnem locum complectitur. Certa portio iſtius motus, portio univerſi temporis eſt, *hora*, *dies*, *menſis*, *annus*, &c. Sicut *cœlum*, *terra*, *polus*, *æquator*, *ecliptica* &c. conſiderari poſſunt ut certa portio univerſi loci. Quas portiones tam in tempore quam in loco, vel natura facit & diſtinguit ita, vel eſt ea diſtinctio à cogitatione noſtra. Ut certe natura, dies, menſes & annos, cogitatio noſtra, horas in die, diſtinguit.

XXXII. *Voces aliæ, quæ tempus ſignificant, quod etiam in Natura eſt, quando in particularibus ſpectatur, ut ſimiles voces in notione loci ſpectamus.*

Quare, ſicut *hic*, *ibi*, *illic*, *extra*, *intra*, voces generales ſunt abſtractæ à particularibus ſingulis locis, ita *nunc*, *olim*, *cras*, & ſimiles, in notione & nominatione temporis voces generales ſunt, abſtractæ à particularibus ſingulis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

lis temporibus. Ita *ſemper, perpetuò, æternum, æternitas*, & talia, generaliter omne quod novimus tempus ſignificant, ſicut *ubique* omnem locum. Quorum idcirco veritas ſive vera ſignificatio, ſpectanda in rebus ipſis eſt, quibus applicantur: Sicut de iſtis vocibus in notione loci dictum fuit. Hoc ſolum intereſt, quod nomina generalia locorum, in locis extantibus ſive præſentibus, poſſint habere veritatem ſuam, ut cum dico *hic, ibi*, domum, vas, aut aliud intelligendo, quod monſtrari poteſt, qualia ſemper præſentia ſunt. Et ſic intelligimus cœlum, terram, aquam, aerem, vel totum quem novimus mundum, una voce, *Ubique.* Sed vero voces ſimiles generales, quibus omne vel aliquod tempus ſignificamus, tam de *præteritis & futuris*, quam de *præſentibus* intelliguntur. Quod tamen ad veritatem ſive veram ſecundum ſenſum communem ſignificationem ſatis eſt. Modo præteritum in eo quod fuit, futurum in eo quod erit, ſaltem præſens aliquando ſit. Sicut hora antecedens, quæ efluxit, prius præſens fuit, ſubſequens, poſtea erit præſens. Quatenus perpetuus in natura motus eſt, in quo ſecundum noſtrum de eo ſenſum & cogitationem hæc ita diſtinguimus communiter, & ſecundum eam diſtinctionem, *Numerus motus ſecundum prius & poſterius*, in omni tempore eſt, eaque ſecundum Ariſtotelem non contemnenda eſt definitio temporis. In quo ille, ut ſolet, ad ſermonem ſenſumque ſe communem accommodat.

XXXIII. *In vocibus Quarti ordinis notum & manifeſtum eſſe, ſaltem quid ſit quod ſignificant.*

Voces omnes hujus ordinis dici poſſunt qualitatem corporis ſignificare, ſed longe aliter quam voces tertii ordinis. Quatenus in vocibus tertii ordinis notio & ſignificatio generalis & confuſa eſt, neque manifeſtam facit qualitatem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

tatem corporis; in quarto ordine propria & particularis eſt notio, quæ qualitatem corporis quam ſignificat, facit manifeſtam, & vere docet nos, quid in ipſis corporibus ſit. Ita novimus communiter, quid longitudo ſit pedis, ulnæ, perticæ, quid eorum latitudo in planis aut craſſities in ſolidis ſit. Quid duo, tria, atque omnes alii, quos numeramus, numeri ſint. Quid quadratum, rotundum, curvum, rectum, in figuris ſignificent. Quid domus, rus, forum, vas, ſint, ut hæc nomina locorum ſunt. Quid domi, ruri, in foro, in vaſe, in aqua, aëre, hic, illic, foris, intra; quid vicinia vel diſtantia in locis; quid quieſcere, ſtare, ſedere, ambulare, moveri, oriri, occidere; quid in motu grave vel leve eſſe, quid unciam vel libram pendere. Ac denique ſcimus plerique, quid hora, dies, annus, aliaque tempora ſint. Vel ſi quid horum forte ignotum eſt, ſicut omnes non novimus, quid ſtadium, paraſange, modius, congius in menſuris, quid rhombus, priſma in figuris, quid dragma, ſcrupulus in ponderibus; quid luſtrum, olympias in temporibus ſint; perſpicuis ſecundum intellectum verbis definiri & explicari, quin ſæpe oculis videri poteſt.

XXXIV. *Quid ſit ignotum aut forte falſum, in vocibus, quæ magnitudinem, figuram, numerum, locum, ſitum & diſtantiam ſignificant.*

In hoc uno poſſumus errare, quod non ea præciſe in corporibus magnitudo ſit, quæ ſecundum ſpeciem in ſenſu videtur eſſe. Quatenus corpora poſſunt rara vel denſa eſſe, atque ea quæ propinqua ſunt, valde magna, remota valde parva apparent & ſæpe non videntur prorſus, ſic quoque in remotis & valde parvis, per omnia talis figura non eſt, qualis videtur eſſe. Non ut videntur, perfecte rotunda vel quadrata ſunt corpora, quæ videmus, etiam propinqua & magna: non eo modo plana, æqualia, recta, curva.

Quæ idcirco nomina, quando, ut fit, de figuris iſtis, ſecundum perfectam formam intelligimus, hactenus de iis verus non eſt ſermo communis. Quatenus ea forma non eſt in corporibus, ut quidem videtur eſſe. Similiter quando ſecundum ſpeciem in ſenſu dicimus, unum, duo, tria, & ſic porro, poteſt eſſe error in dictione. Quatenus fortè plura vel pauciora ſunt; & quod unum videtur atque indiviſum, multiplex & diviſum, quod multiplex & diviſum apparet, ſuo modo unum & continuum eſſe poteſt. Siquidem in uno diviſio, in multis unitas ſæpe eſt, aliter quam nos videre poſſumus. Sic fieri etiam poteſt ut ſit alius Situs, alia Diſtantia corporum, ſcilicet multo major vel minor quam videtur, præcipuè in iis quæ longè diſſita ſunt: ſive relate ad nos tantum, ſive etiam inter ſe, ſitum & diſtantiam ſpectemus. Poſſunt quoque videri corpora occupare majorem vel minorem Locum quam occupant revera: quatenus ſecundum partes multum expanſa, vel in unum coacta, ſive rara vel denſa ſunt corpora. Poteſt locus videri nullus eſſe, ubi eſt, quia videlicet intervalla non videmus in quibus aër vel aliud ſubtile corpus eſt, quod cedendo facit ut dici cum ratione poſſit, ibi eſſe locum. Et contra videri poteſt locus eſſe ſine corpore, qui vacuus dicitur, ubi tale intervallum quidem, non autem ſubtile corpus videmus.

XXXV. *Quid in vocibus quæ ſignificant Motum aut Quietem, ignotum & fortè falſum ſit.*

Sic porro non ſine errore & multiplici ignorantiâ communiter de *Motu & Quiete* loquimur, accommodatè ad communem ſenſum de iis. Primum in oculis noſtris multa quieſcere videntur, in quibus vere eſt motus aliquis, moveri ea in quibus eſt quies: & vel in toto vel in partibus, ita cum errore motum & quietem ſpectamus atque nominamus; ſicut infinitis poſſet exemplis probari, quæ paſſim omittimus

in

in hac enumeratione. Deinde, quando verè moventur corpora, poteſt motus alius apparere in oculis noſtris, ideoque ſæpe dicitur eſſe alius, quam revera in ipſis corporibus eſt: ſive celeritatem & tarditatem, ſive viam & determinationem ſpectes. Multa videntur lente progredi quæ celeriter, celeriter quæ lentè, recta quæ oblique, oblique quæ recta procedunt. Motus videri poteſt unus & ſimplex, qui multiplex & compoſitus eſt, & contra, multiplex, compoſitus aut etiam contrarius, qui unus, ſimplex, & directus in unam partem eſt. Porrò, motus cauſam quod attinet, ea omnia corpora dicuntur *à ſe ipſis moveri* & ſuopte impetu tantum, quæ impelli ab aliis non videmus, atque ubi aliam motus cauſam ignoramus. Qui inſignis in communi ſermone error eſt, rerum in ſe ipſis ſpectatarum veritatem quod attinet. Siquidem revera in omni motu unum corpus ab alio impellitur intra vel extra ſe, ut navis à vento, animal à ſpiritu: adeoque tum ſolum dicimus corpora à ſe ipſis moveri, quando non videmus hunc impulſum, ſicut non videtur prorſus in gravium deſcenſu, levium adſcenſu, & multiplici animalium motu. Sed vero tum etiam, quando videtur corpus unum ab alio moveri, quia movetur tangente, vel præſente alio, puta ferrum ubi magnes eſt, adhuc multiplex poteſt error in ea dictione eſſe. Quia ſic multa dicuntur moveri tractione, quamvis revera in omni motu pulſio ſit, & tractio non poſſit locum in natura habere, niſi quando unum alteri alligatum vel aliter junctum eſt. Et ſive tractione, ſive pulſione dicamus unum ab alio moveri, puta navim à vento, equo, homine: non ſine errore omnem vim movendi uni quod videmus corpori tribuimus; Si quidem corpora plura, quæ non videmus, in efficiendo hoc motu debent habere vim & effectum ſuum. Denique in communi ſermone de gravitate & pondere quo corpora deorſum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

feruntur, ſpecialis poteſt error notari, quatenus de iis relate ad nos ſive ſecundum effectum quem in nobis ſentimus, atque etiam comparate ad alia loquimur; & tamen ea videtur notio & nominatio abſolutæ & intrinſecæ gravitatis eſſe & veri ponderis, quod unum ſemper atque idem ſit, quæcunque circumſtant alia corpora. Quod non poteſt verum eſſe, ſi corpus unum inter alia & aliorum reſpectu tantum grave vel leve eſt, & ab ea ſolum comparatione debeat æſtimatio ponderis ſive gravitatis pendere.

XXXVI. *Error in vocibus, quæ ſecundum ſenſum noſtrum Tempora ſignificant.*

Deinde in vocibus quæ *Tempora* ſignificant etiam error eſſe poteſt & ignorantia quædam: quatenus ſignificatio ad communem ſenſum accommodata eſt. Primum enim communem ſenſum ſi ſequamur, ea nomina non tam ipſum tempus quam accidentia temporis ſignificant: non ſolum ſpecialia iſta, *bellum*, *pax*, *Olympias*, *ludus*, *vindemia*, *meſſis*, *peſtilentia*, &c. verum etiam magis generalia, *dies*, *nox*, *æſtas*, *hiems*, &c. Atque in his ignorantia quædam juncta cum errore eſt, quatenus primum non cogitamus de ea portione motus cœleſtis, quæ facit hæc tempora; & tum quoque ea quæ accedunt ſecundum ſenſum noſtrum, putamus ipſum tempus eſſe. Ita fit, ut omnis diverſitas & contrarietas quæ de accidentibus iſtis in ſenſu eſt, videatur ad ipſum tempus pertinere; dicaturque adeo & videatur *tempus longum*, *vel breve eſſe*, *item bonum*, *malum*, &c. quatenus accidentium illorum ſenſus nobis jucundus vel moleſtus, atque ideo longus vel brevis videtur, nec non bonus vel malus. Quia in ſenſu jucundo & bono minus, in moleſto & malo, magis ad omnia quæ fluunt momenta attendimus. Deinde quando tempus volumus per ſe ſpectare ſine accidentibus iſtis, in certa portione motus cœleſtis,

leſtis, ut præcipue in ſole & luna obſervatur; adhuc poteſt ſecundum ſpeciem in ſenſu error in ſermone eſſe. Primum quia forte jucunditas aut moleſtia juncta eſt cum obſervatione iſta, atque ideo tempus hic etiam aliter quam revera eſt, videtur longum, breve, diverſum aut ſibi contrarium. Deinde obſervatio de motu cœleſti, ſecundum ſenſum tantum, ipſa per ſe difficilis eſt & non fit ſine errore aliquo. Siquidem ea quæ moventur corpora in cœlo, ſol & luna, ſemper videri non poſſunt, ſuntque adeo remota à nobis, ut tum quoque quando videntur, ex motu non poſſit ſine aliquo errore notio temporis formari. Quia motus continuus & fere æqualis eſt, nos autem ita continuo & æqualiter non attendimus ad illum: atque ideo tempus, quod æſtimamus ſecundum attentionem iſtam, non ſolum aliter quam revera eſt, longum aut breve, ſed aliquando videtur nullum eſſe, & ſæpe cum errore loquimur de longitudine temporis. Ea omnia denique quæ jam diximus de generali inter omnes homines temporis notione & nominatione, accommodate ad notos cœleſtes motus, etiam locum habent in quacunque notione & nominatione particulari quæ ad ſignum quoddam in terris accommodata eſt, quo metimur & cognoſcimus commune tempus. Nam in cognitione & menſura iſta fallimur ſæpe: ſive eam quæ plerumque accedit jucunditatem aut moleſtiam, qua tempus longum aut breve videtur, ſive ipſam per ſe ſigni obſervationem ſpectemus. Præterquam, quod cauſa erroris, etiam poſſit in ſigno eſſe: quatenus in eo motus ita continuus & æqualis non eſt, ſicut debet eſſe, ut vera menſura communis & univerſi temporis ſit.

XXXVII. *Eo quod ſic ignotum aut falſum eſt, non tolli id quod eſt notum & verum: quod primum ſpeciatim de Tempore oſtenditur.*

Verum enimvero, quando ita notamus errorem & igno-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

rantiam in vocibus Quarti ordinis, cavendum eſt ne putemus eo id quod in iis notum & verum eſt everti. Qui error omnium maximus eſſet. Et quidem Temporum nomina, in quibus major difficultas eſt, multum in ſe habent à ſenſu & cogitatione tantum; habent tamen etiam aliquid quod vere in natura eſt, prius & poſterius in motu ſcilicet, ſine quo non eſſet prius & poſterius in ſenſu & cogitatione. Jucunditas vel moleſtia quæ accedit, & quod dicatur videaturque tempus non uno modo, longum, breve, vel nullum eſſe, ita in naturâ non eſt. Sicut lux & tenebræ, quæ diem & noctem, calor, frigus aliaque, quæ æſtatem & hyemem faciunt, ea ſpecie qua ſunt in ſenſu, non ſunt in natura: quæ idcirco vocavimus accidentia temporis. Eatenus ergo multa temporum nomina, ſpecialia præcipue, quæ impoſita ab iſtis accidentibus ſunt, ſi naturam ſermonis ſpectes & veram interpretationem, aliquid in ſe habent quo paſſionem in anima tantum, aliquid quo verè qualitatem corporis ſignificant. Eſtque adeo miſta in his ſive compoſita ſignificatio, tertii & quarti ordinis. Ubi diligenter cavendum ne una ſignificatio cum alia confundatur, aut propter aliam non admittatur. Sicut fit, quando putamus Tempus vel in natura tantum extra nos in corporibus, vel tantum in ſenſu, cogitatione atque anima ſive in nobis eſſe. Philoſophi, qui hanc quæſtionem movent de tempore, unum ens reale, alterum ens rationis vocant, atque non advertunt communiter, quam ſit neceſſarium in his aliiſque innumeris unum & alterum conjunctim comprehendere, non ita ſeparatim, ut conantur inutili labore. De qua tamen, ſive ſeparata, ſive conjuncta comprehenſione, ſuo loco plura dicenda erunt.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

XXXVIII. *Deinde de cæteris vocibus Quarti ordinis, iis præcipue quæ Motum vel Quietem ſignificant.*

In cæteris non quidem tanta & tamen etiam aliqua difficultas eſt: quatenus ſpecies in ſenſu, quando ſe ad eam cogitatio de re atque interpretatio accommodat, aliquam in omnibus veri & falſi permiſtionem & confuſionem parit, qua tamen omne verum non tollitur. Dicamus igitur, *magnitudines, figuras & numeros*, etiamſi forte per omnia non ſint in ſingulis corporibus, uti videntur, idcirco dici non debere prorſus non eſſe, uti dolor, calor, color, ſonus & talia. Eſt enim magnitudinis, figuræ & numeri aliqua connexio cum natura corporum, ratione quantitatis ſive extenſionis quæ vere in corporibus eſt. Sicut doloris, caloris, & ſimilium, aliqua connexio cum anima eſt, ratione ſenſus & perceptionis, & non intelliguntur eo modo quo magnitudines & figuræ, cum corpore connexionem habere. Similiter *ſitus, locus & diſtantia* in corporibus non quidem per omnia & præciſe ſunt ut videntur, & tamen dici non poſſunt omnino non eſſe, & non pertinere prorſus ad ſubſtantiam corporum: quatenus corpora videmus atque etiam intelligimus, ſic poſita eſſe una inter alia, ut aliquibus vicina, ab aliis remota ſint intervallo aliorum corporum. Et quanquam denique in notione atque nominatione *Motus* vel *Quietis*, ſæpius errare videamur, aliqua tamen veritas eſt, quando accommodate ad communem ſenſum, atque adeo relate ad nos, intelligimus nomina iſta, de permanente vel mutato ſitu inter nos & corpora quæ videmus. Atque hac ſolum ſignificatione, quæ certe vera eſt, communiter dicimus, *Terram ſtare & quieſcere, ſolem moveri, oriri, occidere.* Quam in hoc ſermone veritatem videtur Ariſtoteles notaſſe, II. de cœlo cap. 8. quando dicit, *Nihil intereſt, ſive oculus, ſive id quod cerni-*

tur moveatur, ut nempe videatur & cum veritate dicatur aliquid moveri, ſignificans, eam omnem ſitus mutationem, quæ oculis videtur, vere & recte motum vocari, quatenus ea viſio vera paſſio in anima eſt, &, ſi forte, ſicut videtur, talis motus in objecto non eſt, ſaltem verè in natura inter objectum & oculum debet eſſe. Neque alia quam apparens veritas iſta in communi ſermone ſpectatur, quando objectum adeo remotum eſt ab oculis noſtris, ut viſu diſcerni non poſſit, quis verus vel apparens tantum motus ſit. Quanquam philoſophus aliquatenus in his quoque poſſit & ſæpe debeat verum & apparentem motum diſtinguere: iſtaque diſtinctio aliquam ſaltem diverſitatem, non vero oppoſitionem ſive contradictionem, in ſermone parit: Siquidem vera oppoſitio ſive contradictio de eodem & ſecundum idem debet intelligi, quod certe dici non poteſt de philoſophico & communi in his intellectu, qui ſuo modo uterque in humano ſermone verus eſt, diverſo ſaltem modo conſiderandi.

XXXIX. *Sequuntur voces quæ omnem alium in nobis actum animi ſignificant, qui videtur diverſus à paſſione in ſenſu eſſe.*

Jam porrò ſpectemus eas voces quæ omnem alium in nobis actum animi ſignificant, qui videri poteſt diverſus à ſpecie in ſenſu & paſſione in anima eſſe. Quanquam enim, ſi cum Ariſtotele dicamus, voces notas paſſionum in anima eſſe, nomen paſſionis poſſit ita late accipi, ut omnem actum animi comprehendat; quatenus ad qualemcunque ſuum actum, animus, quamdiu unitus eſt cum corpore, ſic ferè impellitur in communi ſermone & cogitatione, ut patiatur revera afficiaturque à qualicunque imagine corporea, ſi non ipſarum quas intelligit rerum, ſaltem verborum. Attamen, quia non ſic animus ſentit ſe pati in omnibus aliis, ut quidem in ſenſu, affectu, & naturali appetitu, quorum nomina

nomina hactenus in ordinem redegimus; ac revera etiam inter patiendum eſt, quo agere potius dicatur quam pati, & in aliquibus ex ſe ipſo revera agit animus, atque tam in nobis agens, qui ſua libertate utitur, quam patiens, corpori mancipatus, intellectus eſt: Hæc diverſa animi ſive intellectus humani conſideratio, una quaſi in ſtatu ſervitutis, altera in ſtatu qualiscunque libertatis, quem intellectum Ariſtoteles, Libro III. de Anima cap. 5. vocat unum *patientem*, *alterum agentem*, *cujus non recordamur*, *quia eſt paſſionis expers*; hæc inquam diverſa conſideratio & diſtinctio non contemnenda humani intellectus, cenſeri poteſt, ea de qua loquimur, ratio diverſi & novi ordinis in vocibus eſſe.

XL. *Voces quinti ordinis*, *Notæ cogitationum inter loquendum.*

Voces quas jam diximus omnem alium in nobis animi actum quaſi liberum ſignificare, in particularibus iterum innumeræ ſunt. Atque ideo hic quoque laborandum eſt, ut eas ad certa quædam genera revocemus conſtituamuſque paucas voces generales, quibus comprehendi poſſit unaquæque particularis. In quo aliquanto major difficultas erit, quam fuit in vocibus primi, ſecundi, tertii & quarti ordinis, quæ diverſa tantum conſideratione paſſionem in anima & ſpeciem in ſenſu ſignificabant. Quandoquidem omnis alius in nobis animi actus non ſic à natura determinatus, non communiter quodam corporeo ſenſu notus eſt, ut quidem iſtæ paſſiones, quæ videntur in corpore & ſenſu eſſe. Conemur tamen, & dicamus, *Voces quinti ordinis* eſſe, quæ ſaltem notæ cogitationum inter loquendum ſunt, ſicut interjectiones, cum quibus aliquam cognationem habent, erant notæ paſſionum. Tales ſunt *à*, *ab*, *præ*, *propter*, *è*, *ex*, *per*, *inter*, *non*, *an*, *cur*, *et*, *etiam*, *ita*, *ſed*, *vel*, *aut*, &c. Hoc ſolum intereſt, quod vix ita hæ voces ſolæ & per ſe plenum

poſſint ſenſum facere, ut quidem illæ, quæ tantum notæ paſſionum ſunt. Quia ea cogitatio quam ſignificant, juncta intelligitur cum alia cogitatione & voce alia, non ſeparata, vel ſeorſim interjecta, ut ſæpe in notis paſſionum accidit.

XLI. *Quæ multo plures ſunt quam notæ paſſionum, ideoque tres partes orationis faciunt.*

Quibus ita poſitis, voces quas inter loquendum dicimus notas cogitationum eſſe, multo plures erunt quam notæ paſſionum, multoque magis neceſſariæ ſunt ad plenam perfectamque formam locutionis. Qua de cauſa Grammatici eas non una parte orationis comprehendunt, ut interjectio comprehendit omnes voces quæ notæ animi affecti ſunt. Verum tres partes orationis, *præpoſitio*, *adverbium & conjunctio*, conſtituendæ fuerunt. Quatenus triplex in his vocibus inſignis differentia occurrit, ſignificationem quod attinet. Quædam præcipue in & cum nomine, ut Præpoſitiones; aliæ pariter cum nomine & verbo, etſi cum verbo præcipuè, habent vim & poteſtatem ſuam, atque ideo Adverbia vocantur; aliarum denique poteſtas ſpectanda eſt in ſententiis, & plena, quam nectunt, oratione, quas Grammatici idcirco Conjunctiones vocant.

XLII. *Primum genus in Præpoſitionibus.*

In hoc ordine voces omnium primæ & ſimpliciſſimæ videntur iſtæ omnes eſſe, quas Grammatici Præpoſitiones vocant. Earum ante omnia proprium eſt, ut nihil certum per ſe poſitæ, ſine alia parte orationis ſignificare poſſint. Verum junctæ cum una parte orationis, nomine præcipuè, non nihil mutant & inflectunt ſignificationem in ipſa. Sicut flexa & nonnihil mutata ſignificatio eſt in his vocibus, *urbs*, *cælum*, *ſol*, cum dico *ad urbem*, *in urbe*, *ad cælum*, *in cælo*, *à ſole*, &c. Sic ſe habent præpoſitiones appoſitione, qua

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

jus ſibi proprium ſervant dictionis: quia ab alia dictione ſeparatæ manent. In compoſitione jus proprium dictionis non ſervant; quia ita accedunt ad aliam vocem, ut non cenſeatur amplius duplex vox eſſe, ſed una tantum. Atque inter latinos præpoſitiones aliquæ, tantum in compoſitione adhibentur, ut in vocibus *diſpar*, *diverſus*, *reliquus*, *ſeparatus*, &c. Aliquæ tantum in appoſitione, ut *erga*, *circa*, *penes*, *apud*. Plurimæ & pleræque tam in compoſitione quam in appoſitione inveniuntur, ut *à*, *ab*, *ex*, *ante*, &c. quarum vis & poteſtas, appoſitione quidem in nomine tantum, compoſitione vero pariter in nomine & verbo ſpectatur.

XLIII. *De poteſtate ſive propria ſignificatione præpoſitionum, ut eam Grammatici ſecundum appoſitionem in particularibus ſpectant.*

Quando de poteſtate præpoſitionum Grammatici loquuntur, eam præcipuè intelligunt quæ in rectione alicujus caſus conſiſtit: qui caſus in plurimis eſt unus tantum, accuſativus & ablativus dictus apud latinos, in aliquibus unus & alter, ubi diverſa ſignificatio eſt, ut eſt caſus diverſus. Quod non eſt intelligendum de compoſitione, quippe quæ in voce ad quam accedit præpoſitio, caſum non mutat, ſed de appoſitione. Nobis hoc loco *poteſtas* propria ſignificatio eſt: quæ non ſeorſim verum accommodatè ad vocem aliam intelligitur. Uſque adeo ut ſine voce alia, cui apponitur, aut cum qua componitur, certam ſignificationem non habeat præpoſitio; niſi quando mutat conditionem, & adverbium fit. Quæ obſervatio, quia alicujus momenti eſt, non abs re erit, eam authoritate Priſciani confirmare, his ipſius verbis. *Oportet autem ſcire, quod Græci proprium dicunt eſſe præpoſitionis, ut nihil certum per ſe poſitæ ſine aliis partibus orationis ſignificare poſſint. Hæ enim ad ſenſum ſequentium ſignificationes ſuas accommodant, ut* Ad, *modo*

per-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

perſonæ ,modo loco: eſt quando tempori adjungitur, vel numero. Perſonæ, ut Virg. in 1. Æn. Ad te confugio & ſupplex tua numina poſco. *Loco, ut idem in eodem*: Prima quod ad Trojam pro charis geſſerat Argis. *Tempori, ut Salluſtius in I. Hiſtor.* Ad Bellum Perſi Macedonicum. Numero, *ad quinquaginta millia. In compoſitione modo intentivum eſt, ut* approbat, affirmat: *modo ad perſonam aliquam vel rem dirigitur, ut* alloquitur, arridet. *Similiter & aliæ ſupra dictæ diverſas habent ſignificationes. Quæ vero certæ alicujus ſint ſignificationis, quamvis ſecundum Græcorum rationem pleræque inter adverbia poni debeant, id eſt,* ſupra, infra, extra, pone, *& hujuſmodi alia, tamen quia & caſualibus plerumque præponuntur, ideo non penitus irrationabiliter ab artium ſcriptoribus latinarum inter præpoſitiones quoque ſunt receptæ.*

XLIV. *Poteſtas præpoſitionum ſine iſta appoſitione difficilis explicatu eſt.*

Ita in omni Præpoſitione per appoſitionem videri poteſt aliquid tranſitivum ſive nota tranſitionis eſſe, aut ſi mavis relationis ſeu habitudinis, quæ non eſt in voce, cui apponitur præpoſitio,quando nuda & per ſe ſpectatur. Sicut manifeſtum eſt, nomen urbis per ſe non ſignificare, cum dico in nominativo Urbs, id quod cum præpoſitione ſignificat in accuſativo vel ablativo; cum dico *in urbe, in urbem, ab urbe, extra urbem. Ideo autem nominativi per appoſitionem non recipiunt præpoſitiones,quia per intranſitivam* (ſive abſolutam) *dicuntur elocutionem, id eſt, non tranſeuntem ab alia ad aliam perſonam* (vel rem) *ut percurrit homo excelſus; ecce quia nominativi ſunt, nullam habent tranſitionem,* inquit Priſcianus, cujus hic iterum lubet verbis uti. Manifeſtum præterea eſt, diverſam hanc, ſive tranſitionem, ſive habitudinem, in unaquaque præpoſitione, ex voce cui appo-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

appoſita eſt facile intelligi in particularibus, ut *navigare in portu vel in portum*, *ex urbe egredi*, *ex ligno facere*, *ab igne calere*, quia iſtas res intelligimus, ſive nomina & verba iſta, *navigare*, *portus*, *urbs*, quarum naturæ & conditioni præpoſitio accommodata eſt. At aliquanto difficilius eſt, eam quam ſic intelligimus vim præpoſitionis, alia generali voce explicare, citra iſtam appoſitionem. Sicut per voces generales explicatio eſt propriæ poteſtatis ſive ſignificationis in præpoſitione, ſi dicas, *in*, cum accuſativo, motum ſive tranſitum ad locum, *in*, cum ablativo, aliquid in loco fieri vel eſſe ſignificare: item *à*, *ab*, ſæpè cauſæ efficientis, *ex* materiæ, *per*, formæ, *propter*, finis, *in* ſubjecti & adjuncti notam eſſe, ſive adjunctum præter eſſentiam ſit, ſi dicas, *ſapientia in Socrate*, *virtus in hoſte*, ſive pertinere ad eſſentiam aut ſubſtantiam intelligatur, ut *longitudo in linea*, *quantitas trinæ dimenſionis in corpore*, *rotunditas in globo*: ut jam de multiplici alia habitudine non dicam, quam poteſt vocula *in* ſignificare. Et ſic de cæteris, quæ vix ita poſſunt in omnibus exponi, ut in aliquibus, neque tam benè in ſeparatis præpoſitionibus univerſim intelligi, quam quidem in conjunctis, per nominis & verbi appoſitionem, in particularibus intelliguntur.

XLV. *Poteſtas præpoſitionum una generali notione comprehenſa, non eſt adeo difficilis ut videtur.*

Quibus ita poſitis, conſequi videtur eam demum explicationem propriæ poteſtatis ſive ſignificationis in præpoſitione difficillimam eſſe, quando voce & notione una generali dicitur nota alicujus relationis, reſpectus, aut habitudinis, ſive ut Priſcianus loquitur, *tranſitionis*. Quæ difficultas ut ſuperetur, notandum ſolummodo, eam omnem habitudinem ſive tranſitionem ab alia ad aliam rem, primo in ſenſu de præſentibus, hinc in imaginatione de abſentibus

eſſe, atque ab ea imaginatione intellectum pendere, non omnino agentem, ſed, ut monumus, aliquatenus patientem: quem non omnino purum ſed miſtum, non ſimplicem ſed compoſitum intellectum in communi ſermone ſequimur. Ita enim primum nos ſenſus videtur docere, non ſeparata tantum ſive abſoluta, ut ſunt dolor, calor, lumen, figura, motus, atque alia in vocibus ſecundi, tertii & quarti ordinis; verum etiam conjuncta, puta *dolorem & calorem in nobis*, *lumen in & à ſole*, *vinum in vaſe*, *nubes ſub cœlo*, *aquam ex nubibus*, *amorem & benevolentiam erga amicos*, *odium in & contra inimicos eſſe.* Ubi vocibus *in*, *à*, *ſub*, *ex*, *erga*, *contra*, quando iſtis nominibus præponuntur, intelligimus earum rerum habitudines inter ſe in cogitatione, quam primum ab aliquo in nobis ſenſu accepimus, ſive interno, ſive externo. Et ſic porro poſſemus omnem aliam in præpoſitionibus ſignificationem & poteſtatem declarare, atque eam quam ſignificant habitudinem, in aliquibus ſaltem, primo à ſenſibus deducere. Quatenus tam de conjunctis habitudine quadam, quam de ſeparatis, cogitatio primum à ſenſu, & cum hoc ſenſu, qualiſcunque intellectus à natura junctus, atque illi mancipatus eſt in communi ſermone. Quo poſito, magna difficultas de intellectu non eſt, quantum poteſt, agente & ſeparato. Quandoquidem communiter intellectus, qui in nobis eſt, non ita omnino liber, ab imaginatione, imaginatio à ſenſu, accipit notionem & cogitationem, ad quam, primum quidem in ſimplicibus ſive abſolutis, deinde vero in comparatis, vis & poteſtas ſermonis accommodata eſt.

XLVI. *Secundum genus vocum quinti ordinis, in Adverbiis, quarum vis & poteſtas per appoſitionem cum verbis intelligitur.*

Jam porro, Adverbia etiam nihil aliud quam notas cogitationum eſſe, ſaltem in aliquibus manifeſtum eſt, ſi modo pro-

propriam in iis poteſtatem ſpectemus, uti eam Grammatici deſcribunt. Dicunt enim, ratione ſignificationis, eſſe quædam *adverbia*, *interrogandi*, *reſpondendi*, *affirmandi*, *negandi*, *hortandi*, *prohibendi*, *jurandi*, *dubitandi*, *comparandi*, *ſimilitudinis*, *demonſtrandi*, *ordinandi*, &c. Quod quid aliud eſt, quam adverbia iſtos in nobis animi actus ſive iſtas cogitationes ſignificare? non quidem, ut hæc ipſa nomina ſive verba, *interrogare*, *affirmare*, &c. item *interrogatio*, *affirmatio*, &c. quibus loquimur de cogitationibus, ſed ut notas inter loquendum, etiam de quacunque alia re. Fere, ut interjectio ſic eſt inter loquendum nota alicujus paſſionis. Quando igitur adverbio ſignificatur talis cogitatio aliqua, vel expreſſum ſive appoſitum eſt verbum, vel ſuppreſſum intelligitur ſive ſuppoſitum. Et ſunt quidem in omni ſorte lingua duo adverbia, qualia latinorum *ita & non*, quæ videntur conſiſtere ſine verbis poſſe, & ſignificare aſſenſum aut diſſenſum, ſive affirmationem aut negationem. Sed in his quoque verbum, ellipſi, qua facimus compendium ſermonis, omiſſum eſſe, manifeſtum eſt. Quatenus, quando dicimus, *ita*, *non*, antecedentem alium ſermonem ſupponimus, qui ſine verbo non conſiſtit: atque ad hoc quaſi antecedens verbum referimus voces iſtas quaſi conſequentes. Sicut, quando dicimus, *an*, *cur*, *quare*, verbum ſubſequi intelligimus. Eſtque adeo de his præcipue adverbiis verum quod Grammatici dicunt, *adverbium quaſi adjectivum verborum eſſe*: quia adjectam verbis cogitationem ſignificant, ut ſunt notæ cum iis interrogandi, reſpondendi, affirmandi, negandi, & ſic de cæteris.

XLVII. *Videri adverbia quædam plus quam notas cogitationum eſſe, fere ut nomina aut verba: à quibus tamen diſtinguuntur.*

Adverbia pleraque alia videntur plus quam notæ talium in nobis cogitationum eſſe: quia ſunt notæ cogitationum,

quæ involvunt rei notionem, quam poſſumus voce alia ſignificare. Talia primum ſunt non pauca ſuæ forte originis adverbia, *ubi*, *unde*, *inde*, *horſum*, *ſurſum*, *intus*, *foris*, *ſupra*, *infra*; quæ loci: *quando*, *cras*, *heri*, *nunc*, *nuper*, *diu*, *ſemper*, *manè*; quæ temporis: *quoties*, *toties*, *ſæpe*, *iterum*, *ſemel*, *bis*, *ter*, quæ, vel temporis, vel numeri involvunt notionem. De quibus idcirco etiam dicendum fuit in quarto ordine. Deinde multo plura, orta à nominibus aut verbis, mutata nominis aut verbi terminatione, quæ mutatæ in iis ſignificationis nota eſt: ut *cupide*, *jucundè*, *frigidè*, *benè*, *malè*, *rectè*, *obliquè*, *celeriter*, *tardè*, à cupidus, jucundus, &c. *punctim*, *cæſim*, *indulgenter*, à pungere, cædere, indulgere. Denique quædam nomina, ut de pronominibus non dicam, etiam non mutata terminatione, inter loquendum vim & poteſtatem adverbii aſſumunt. Ut *fors*, *forte*, *domi*, *ruri*, *Romæ*, *veſperi*, *multum*, *nimium*, *altum*, *ſublime*, & talia. *Quæ, in quocunque caſu poſita ſint, manent indeclinabilia, licet jungantur aliis caſibus nominis, pronominis, vel participii: ut ſublime volans, ſublime volantis, ſublime volanti*, inquit Priſcianus, cujus hic iterum autoritate nos tuemur.

XLVIII. *Ratio hujus diſtinctionis, univerſim complectens vim & poteſtatem adverbii, quod à nomine aut verbo oritur.*

Qua ratione adverbia quæ à nomine aut verbo oriuntur, ſervant quidem nominis aut verbi ſignificationem & qualitatem quandam, ſed alteratam, ſicuti in aliquibus etiam terminatio alteratur. Atque id nos primum uſus inter loquendum docet in particularibus, & tum quoque ratio, quæ generalis eſt, confirmat hunc uſum. Verba pleraque actionem vel paſſionem, nomina rem ſubſiſtentem aut qualitatem, adverbia modum ſignificant, quo actio vel paſſio, res vel qualitas, cogitatur affici poſſe. Atque eſt rei aut qualitatis

tatis in nomine, actionis aut paſſionis in verbo, varia & multiplex conſideratio; quæ ut intelligi poſſit, nomen quidem per numeros & caſus, verbum per numeros, tempora & perſonas, terminatione & ſignificatione variabile eſt. Sed vero in adverbio, iſtius modi, quem ſignificat, una & ſimplex conſideratio, atque ideo terminatio una & ſimplex eſt, diciturque dictio invariabilis. Quod ut exemplo quodam illuſtremus, primum hæc verba *cædere*, *pungere*, actionem ſignificant, iſta quidem terminatione abſolute ſive infinitive, ut Grammatici loquuntur, terminatione alia, ut *cædo*, *cœdis*, *cædimus*, definite, numeri, perſonæ, & temporis conſideratione, ſecundum quam diverſa terminatio eſt. Adverbia *cæſim*, *punctim*, iſtos ſive agendi ſive lædendi modos ſignificant, una & ſimplici conſideratione, ſicut terminatio eſt una & ſimplex. Deinde hæc, nomina, *cupidus*, *frigidus*, *Tullius*, *vir*, *ſublime*, *altum*, *domus*, *rus*; corpora, res vel qualitates ſignificant, ſic in nominativo poſita abſolute ſive per ſe, in genitivo vel alio caſu, ut *Tullii*, *Tullio*, *ruris*, *ruri*, &c. relate ad aliud ſeu tranſitive, in ſingulari de uno, in plurali de pluribus. At *Tullianè*, *viriliter*, *cupidé*, *frigidè*, &c. propria adverbii terminatione; *ſublime*, *altum*, *domi*, *ruri*, ea ſaltem ſignificatione quæ propria adverbii eſt, modum ſignificant, quo cogitamus rem vel actionem alterari & affici poſſe: ut *domi latet*, *altum ſapit*, *Tullianè diſſerit*, *temperanter vivit*. Atque eſt modi cujuſque in his vocibus una & ſimplex conſideratio, ſicut una terminatio eſt. Quia vel propriam habent adverbii terminationem, ut *Tullianè*, *viriliter*, *temperanter*; vel ſi propria terminatio adverbii non ſit, ut in vocibus *domi*, *ruri*, *ſublime*, *altum*, *in quocunque caſu poſita ſint*, *manent indeclinabilia*, & conſiderantur ſine caſu. Atque ita nos Priſcianus docet *diſcernere nomina*

vim adverbii recipientia vel non. Quod diſcrimen ille quidem Grammaticis rationibus explicat, nos Philoſophicis, quæ altioribus fundamentis nituntur.

XLIX. *Tertium genus vocum quinti ordinis in conjunctionibus: & quæ ſit vis & poteſtas conjunctionis.*

Superſunt Conjunctiones in vocibus quinti ordinis. Hæ notæ cogitationum ſunt quas habemus de nexu orationis, quæ compoſita ex pluribus ſententiis eſt. Et vel expreſſæ ſunt plures ſententiæ quas nectit conjunctio, ut, *Si Deus eſt, mundus regitur providentia*; vel ita omnino expreſſæ non ſunt plures ſententiæ, ut, *Non formoſus erat ſed erat facundus Ulyſſes*, ubi in antecedente nomen Ulyſſes ſuppreſſum intelligitur. Ita vero ſæpè etiam verbum in parte unâ orationis expreſſum, in altera ſuppreſſum eſt, ut conjungi tantum nomina videantur, quamvis revera ſententiæ junguntur. Sicut in iſto Virgiliano, *Unà Eurusque Notusque ruunt, creberque procellis, Africus*: quod aliud nihil ſignificat, quam ruit Eurus, & ruit Notus, & ruit Africus. Idcirco vis & poteſtas conjunctionis varia eſt, ſicut eſt varia habitudo ſententiarum inter ſe: fere ut dictum eſt de præpoſitione, quæ variam ſignificat habitudinem, quam cum uno ſeorſim nomine ſpectamus. Quaſdam ſententias jungi cogitamus conſecutione ſive neceſſitate ſequelæ, quæ intelligitur; & *conjunctio conditionalis* vocatur. Alias jungimus quidem & cogitamus eſſe junctas, verum ſine iſta conſecutione, nudo & ſimplici nexu, & *copulativa* idcirco dicitur. Sic porro ſunt conjunctiones *disjunctivæ*, quæ disjungunt; *adverſativæ ſive diſcretivæ*, quæ diſtinguunt & opponunt ſententias; *illativæ*, quando præcedit, *cauſales*, quando ſequitur ratio ſive cauſa dicti in oratione. Et ſic porro aliis poteſt verbis vis & poteſtas aliarum conjunctionum deſcribi, atque univerſim intelligi. Quanquam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

quam multo facilior hic intellectus in particularibus ſit, quando conjunctio in ipſo corpore orationis ſpectatur. Sicut vis & poteſtas præpoſitionis in & cum nominibus, adverbii, in & cum verbis potiſſimum ſpectanda eſt, atque ideo etiam facilius in particularibus atque in ipſo ſermone intelligitur, quam ita univerſim aliis verbis explicatur extra ſermonem.

L. *Sextus ordo in vocibus, nomina & verba comprehendit, de interno animi actu & cogitatione.*

Sic fuerunt in Quinto ordine voces quæ tantum notæ cogitationum ſunt inter loquendum, præpoſitiones, adverbia, conjunctiones; eo fere modo, quo in primo ordine interjectiones erant notæ paſſionum. Jam porro conſtituimus ſextum ordinem in iis vocibus quæ internum in nobis animi actum ſignificant & cogitationem, tanquam nomina & verba quibus loquimur: ut fuerunt talia nomina & verba paſſionum. Et quidem in nominibus & verbis paſſionum dicebamus ea eſſe, quibus grammatici quaſdem earum notas interpretantur; quando dicunt, *ó, ah, heu*, dolentis, *phy* faſtidientis eſſe, & ſic de cæteris. Atque ita etiam diximus, *an, cur*, interrogantis, *ita, etiam*, reſpondentis atque affirmantis, *non*, negantis, *et*, copulantis, *aut*, disjungentis, *ergo* concludentis eſſe. Eaque interpretatio, ut vidimus, pariter difficilis eſt; quia ſicut in paſſionum, ita in cogitationum notis multa ſunt, quæ vix poſſumus hoc pacto per nomina & verba interpretari, de qua difficultate plura diximus §. VI. VII. Et tamen multo plura ſunt nomina & verba, quam notæ iſtæ. Quia tam cogitationum, quam paſſionum multarum nomina & verba quidem, non autem tales notæ ſunt. Præterquam, quod nomina & verba variabiles dictiones ſint: quæ altera in iis cauſa majoris atque minoris multitudinis eſt. Quamobrem ſicut ad eam mul-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

multitudinem comprehendendam, primum in paſſionum nominibus diverſa genera fuerunt atque ordines diverſi, ita hic iterum erunt in cogitationibus. Verum in his generibus recte definiendis aliquanto major difficultas erit, quam in iſtis fuit. Siquidem diverſa genera paſſionum, ipſa in nobis natura, videtur corporeo quodam ſenſu diſtinguere, in corde, ſtomacho, atque aliis partibus: ut jam de motu non dicam, in quo eſt nota paſſionis, & quo, tam in aliis quam in nobis, paſſio manifeſta fit. Sed vero in proprio actu ſuo animus ipſe debet diſtinctionem facere, atque in ſe invenire genera cogitationum, quæ ita in corpore & corporeo ſenſu vel motu non invenit.

LI. *Primum genus hic eſſe ipſas voces ſecundi ordinis: quando ſignificatio à paſſione ab interna cauſa ad animi actum & cogitationem trnnsfertur.*

Primæ cogitationes, quas ita animus invenit apud ſe atque in communi ſermone exprimit, dici poſſunt illæ eſſe, quas natura cum primis paſſionibus junxit, in animi affectu, naturali appetitu, atque alio ſenſu interno. Etenim prima ætate fere tantum paſſiones in anima ſunt, primum ab interna, deinde etiam ab externa cauſa; ſicut eſt ſenſus internus & externus. Has idcirco paſſiones primæ voces ſignificant. Poſtea multiplex animi actus & cogitatio accedit. Atque, ſicut paulatim uti incipit animus libertate quadam, & tam ad ea quæ intra ſe agit & cogitat, quam ad ea quæ patitur ac ſentit attendere: primum quidem conjuncta, poſtea vero etiam ſeparata eſt cogitatio iſta. Ita fit ut eædem voces quæ in ſecundo ordine paſſionem in anima ſignificabant, ab interna cauſa, quæ in nobis eſt cum vel ſine alia cogitatione: in ordine ſexto poſſint cogitationem ſignificare, cum vel ſine hac ipſa paſſione. Ac præterea tam in ſexto quam in ſecundo ordine adhuc alia ſignificatio eſt

de

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

de eo omni motu ſive actu corporis, qui primum cum paſſione, deinde etiam cum cogitatione à natura junctus eſt, ut tam in aliis, quam in nobis ſit nota paſſionis atque cogitationis. Quas notas diximus eſſe in nutu, vultu, geſtu, oculis præcipue. Hujus autem adeo diverſæ in una voce ſignificationis, hæc una & ſola ratio ſive generalis regula eſt, quod *eorum quæ ſic poſſunt conjuncta in natura eſſe, vel etiam ſeparata, ſignificatio poſſit modo conjuncta, modo ſeparata in vocibus intelligi.* Hoc ſolum intereſt, quod ſignificatio de paſſione, in ordine ſecundo, de cogitatione, in ordine ſexto, primaria, alia autem quæ accedere poteſt, ſecundaria ſit.

LII. *Significationem de animi actu & cogitatione, præcipue in affectum nominibus, manifeſtam atque uſitatam eſſe.*

Non jam neceſſe eſt ut hanc adeo diverſam in iiſdem vocibus ſignificationem pluribus probemus. Quia ex iis quæ obiter dicenda fuerunt, §. XI. de diverſa in vocibus ſecundi ordinis ſignificatione, diverſitas intelligi poteſt in ſexto ordine. Atque hic etiam expoſita fuit ratio & vera cauſa ſive generalis regula diverſæ ſignificationis, conjunctæ aut ſeparatæ. Præterquam quod non tam ratione quam uſu inter loquendum debeat ea omnis vis & poteſtas in vocibus intelligi. Notandum ſolummodo, in affectuum nominibus, qualia ſunt, *admiratio*, *amor*, *odium*, *cupiditas*, *lætitia*, *triſtitia*, *ſpes*, *metus*, *confidentia*, *deſperatio*, *ira*, *indignatio*, *invidia*, *miſericordia*; atque in cognatis verbis; *admirari*, *amare*, &c. maxime obviam eſſe eam omnem de qua diximus ſignificationem, non ſolum de paſſione, verum etiam de cogitatione in anima, atque de nota in corpore, per quam paſſio vel cogitatio inter loquendum manifeſta fit. Et facile advertimus, iſta nomina communiter prius & ſæpius quidem de paſſione quam in corpore

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

pore ſentimus, atque de nota paſſionis, quam videmus, ſæpe tamen etiam de cogitatione intelligi, quam ita non ſentimus vel videmus. Atque poſterior intellectus de cogitatione tum ſaltem admittendus eſt in affectuum nominibus, quando anima ut diximus, utens libertate ſua attendere incipit, tam ad ea quæ intra ſe agit & cogitat, quam ad ea quæ in corpore patitur ac ſentit. Ita enim experitur apud ſe, quod non ſolum à corpore verum etiam à ſe ipſo poſſit affici, ſecundum intellectum in *admiratione*; ſecundum voluntatem in *amore*, *odio*, *cupiditate*; ſecundum opinionem in *ſpe*, *metu*; ſecundum internum & proprium ſenſum *in lætitia*, *triſtitia*, cujus ipſe apud ſe cauſam invenit: & ſic de cæteris, quæ ſic in animo ſunt, ut dici poſſint ab animo eſſe. Quæ propria ſignificatio ſexti ordinis eſt, conjuncta in his vocibus cum ſignificatione ſecundi ordinis, atque etiam ſeparata; ſicut paſſio & cogitatio conjunctæ vel ſeparatæ eſſe poſſunt.

LIII. *Hanc ſignificationem etiam eſſe in nominibus Fames & Sitis, ſed non ita propriam.*

Nomina *Fames & Sitis* quod attinet, in iis ſimiliter prima & propria ſignificatio de paſſione in anima eſt, quæ à corpore advenit, atque eſt conjuncta cum ſenſu & motu corporeo, in ore & ſtomacho præcipue: quæ in iis eſt ſignificatio ſecundi ordinis. In ſexto ordine poſſunt hæ voces diverſam à paſſione quam in corpore ſentimus, cogitationem in animo ſignificare; verum non ita proprie ut quidem affectuum nomina, quia paſſio & ſenſus in fame & ſiti magis ad corpus & minus videntur ad animum pertinere, quam quidem in amore, odio, lætitia aliiſque proprie dictis paſſionibus ſive affectibus animi. Talis eſt primum confuſa de cibo & potu cogitatio ſecundum ſenſum, qui ad edendum & bibendum corpore & animo impellit nos;

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

nos; deinde diſtincta ſecundum intellectum, quando expreſſe volumus edere aut bibere, cum vel ſine iſto ſenſu famis aut ſitis. Cujus idcirco diſtinctæ cogitationis proprium nomen eſt, *voluntas & velle*: ſicut iſta confuſa cogitatio communiter *appetitus* vocatur, nomine uno generali, fames aut ſitis, nomine ſpeciali. Similiter animus apud ſe habere poteſt alias cogitationes de aliis rebus, quibus frui volumus, cum vel ſine ſenſu in corpore qui impellit nos; atque ita ad multa impellimur animo tantum. Talis eſt quæ dicitur *ſitis & fames auri, argenti, honoris, ſcientiæ, veritatis, virtutis*: quorum non tam ſenſus in corpore, quam imaginatio ſive cogitatio in animo eſt. Quæ quidem ſignificatio ſatis uſitata, verum adhuc minus propria eſt, quam de voluntate edendi atque bibendi. Quia hanc voluntatem natura junxit cum ſenſu, quem primo & proprie vox fames aut ſitis ſignificat; non iſtam auri, argenti, honoris, &c. quorum in nobis voluntas & deſiderium quidem, non autem naturalis appetitus eſt, ſicut cibi & potus.

LIV. *Significatio de animi actu & cogitatione in voce dolor & voluptas.*

Similiter in voce *Dolor* & *Voluptas*, prima & propria ſignificatio de paſſione in anima eſt, quæ corpore ſentitur atque eſſe poteſt conjucta cum motu corporeo, in quo eſt nota paſſionis. Attamen etiam aliqua in his eſſe poteſt ſignificatio de cogitatione: quatenus primum iſte ſimplex ſenſus cum affectu, lætitia vel triſtitia, amore vel odio præcipuè; deinde affectus ut vidimus junctus cum cogitatione eſt; atque tam poteſt animus à ſe ipſo ſecundum cogitationem, quam à corpore ſecundum paſſionem affici. Qua ratione una vox *dolor* aut *voluptas* poterit tria ſignificare: primo paſſionem quæ ſentitur quaſi in membris externis,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

manu, pede, capite & corpore reliquo; deinde paſſionem quæ ſentitur in corde & præcordiis præcipue, quæ duæ ſunt ſignificationes ſecundi ordinis; denique id quod animus ipſe apud ſe ſentit, quando vel doloris aut voluptatis cauſam in ſe ipſo invenit, vel ad illorum ſenſum in corpore accommodat ſe, unum amplectendo, alterum fugiendo, quæ una & ſola ſignificatio eſt ſexti ordinis.

LV. *Quæ ſit vel non ſit ſignificatio iſta in cæteris ſenſuum internorum nominibus, calor, frigus, gravitas, &c.*

Cætera quod attinet in vocibus ſecundi ordinis ſenſuum internorum nomina, in his ſignificatio ſexti ordinis de eo quod animus apud ſe ſentit ſecundum cogitationem, ſive de propria qualitate & conditione animi, adeo obvia non eſt. Quia id quod primo & proprie ſignificant, paſſio in anima ſcilicet, quæ à corpore advenit & ſentitur in corpore, communiter ita cor atque animum non afficit, atque ideo tam non videntur iſta pertinere ad animum, quam quidem dolor, voluptas, fames, ſitis, amor, odium, atque omnes alii affectus animi. Attamen etiam in his vocibus aliquod diſcrimen eſt, unam & alteram, de animo & corpore ſive paſſione & cogitatione ſignificationem quod attinet. Quatenus aliquæ, ut *robur*, *imbecillitas*, *ſanitas*, *morbus*, *ſomnus*, *vigilia*, *laſſitudo*, *tarditas*, *promptitudo*, id tantum ſignificant, quod ſentimus in nobis ab interna cauſa, inſtar famis, ſitis, doloris & voluptatis: Aliæ ut *calor*, *frigus*, *gravitas*, *levitas*, *durities*, *mollities*, id quod tam ab externa cauſa extra nos, quam ab interna videmur in nobis ſentire. Atque ideo, ſi forte *calor*, *frigus*, *gravitas* & talia ad animum referantur, & ſignificent qualitatem & conditionem ejus, cenſeri poteſt magis aliena atque impropria ſignificatio eſſe, quam ubi *robur*, *imbecillitas*, *fortitudo*, *ſanitas & morbus* ad animum referuntur: quia nimirum hæc in nobis interna tantum, atque

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

que ideo propius juncta cum animo, iſta interdum videntur externa eſſe. Quanquam, ut in aliis, ita hic quoque non tam debeat ratio quam uſus ſpectari, quo uſu fit, ut tam in voce *gravis, levis, mollis, durus*, quam in *ſanus, æger, fortis, debilis, vigilans, tardus*, à corpore ad animum, atque à paſſione ad cogitationem tranſlata ſignificatio intelligatur.

LVI. *In ſecundo genere ſexti ordinis primum numerantur nomina paſſionum ab externa cauſa. Ubi tranſlata ad animum ſignificatio minus propria atque uſitata eſt.*

Sic fuit primum genus in vocibus ſexti ordinis primas comprehendens cogitationes quas natura junxit cum paſſionibus ab interna cauſa. Atque has cogitationes vidimus primum per ipſa nomina paſſionum ſignificari. In quibus una ſecundi ordinis de qualitate paſſionis, quam in noſtro corpore ſentimus, altera ſexti ordinis tranſlata ad animum ſignificatio eſt. Jam porro dicamus, ſecundum genus primum eſſe in nominibus propriis paſſionum ab externa cauſa, in quibus una tertii ordinis de qualitate paſſionis, ſecundum quam de qualitate aliorum corporum judicamus, altera ordinis ſexti ſignificatio eſt, in nobis ad animum tranſlata. Talia ſunt *color, lumen, ſplendor, lux, tenebræ, ſonus, odor, ſapor, calor, frigus*, & quæ pertinent ad iſta, *album, nigrum, clarum, obſcurum, perſpicuum, ſalſum, inſulſum, acerbum, amarum, dulce, fatuum, inſipidum*, item *acerbitas, dulcedo, perſpicuitas*, &c. denique etiam verba multa, *lucere, calere, ſplendere*, &c. Notandum ſolummodo quod in primo genere vox una, *amor amare, dolor dolere*, non minus proprie atque uſitate qualitatem animi & cogitationem ſignificet, quam qualitatem corporis noſtri & paſſionem in eo. Quod ſic dici non poteſt in ſecundo genere de una voce *color, lumen*, &c. Quia hæc ita non videntur interna in animo eſſe, & natura in eorum ſenſu qui ex-

ternus eſt, ita non junxit cum qualitate paſſionis, quam primo & proprie ſignificant relate ad ea quæ ſunt extra nos, qualitatem cogitationis, quam poſſunt in nobis ſignificare. Non inquam ſic natura junxit atque una voce comprehendit *lumen in oculis* quod in ſole videmus, cum eo quod *lumen in intellectu & ſermone* dicitur, non *dulce*, *amarum*, *acerbum*, *ſalſum*, *inſulſum*, *fatuum*, *in lingua & cibis*, cum eo quod tale in *dictis*, *factis & cogitatis* appellatur: ſicut *amor in corde* cum amore in voluntate à natura junctus & hinc ſolum una voce comprehenſus eſt. Et ſic de cæteris nominibus paſſionum ab externa cauſa, in quibus hoc pacto non tam conjuncta quam ſeparata ſive ad aliud ſubjectum tranſlata ſignificatio eſt, atque ideo etiam non tam propria atque uſitata, neque ita communiter nota, ſicut in nominibus paſſionum ab interna cauſa, ſignificatio de cogitatione communiter nota eſt.

LVII. *Deinde generalia iſta, ſenſus, ſentire, viſus, videre, &c. In quibus tranſlata ad animum ſignificatio magis propria atque uſitata intelligitur.*

In ſecundo genere ſexti ordinis jam porro numeramus nomina paſſionum ab externa cauſa, in quibus magis propria atque uſitata eſt ſignificatio in nobis ad animum tranſlata. Quia non tam ad qualitatem paſſionis in iis, quæ videtur qualitas alicujus corporis eſſe, quam ad animi actum attendimus, atque ea attentio expreſſe ſignificatur his vocibus. Talia ſunt primum quinque generalia iſta, *viſus, videre*, *auditus audire*, *olfactus olfacere*, *guſtus guſtare*, *tactus tangere*; deinde unum adhuc magis generale, *ſenſus ſentire*. Et primum quidem hæc una generalis vox ſenſus ſentire, ante omnia unum & communem animi actum ſignificat, qui à natura eſt junctus cum paſſione, tam ab

ab interna quam ab externa cauſa. Hujus proprium nomen, quod tamen non conſideramus hoc loco, *perceptio* & *percipere* eſt. Atque ea ſignificatione tam dicimur dolorem voluptatem, famem ſitim, lætitiam triſtitiam, quam calorem, frigus, ſaporem, odorem, lumen & colores ſentire, percipere. Quatenus animus pariter ad externa & interna attendit, atque tam ea quæ cogitat & agit, quam quæ patitur ac ſentit, experitur apud ſe. Deinde vox ea *ſenſus ſentire*, id in nobis ſignificat, in quo non tam ſimplex *ſenſus* quam *aſſenſus* eſt. Hujus proprium nomen, quod etiam non conſideramus hoc loco, *judicium & judicare* eſt, quod præcipuè in externis ſpectatur, ad quæ referimus & quaſi extendimus perceptionem, quando in nobis ab externa cauſa eſt. Similiter ergo in quinque iſtis nominibus, *viſus videre*, *auditus audire* &c. quæ uno generali *ſenſus ſentire*, comprehenduntur, ſignificatio una erit, de ſola per ſe perceptione ſeu ſimplici ſenſu, altera de judicio & aſſenſu. Eſt autem ea omnis ſignificatio in his quinque nominibus atque uno iſto, primum conjuncta, poſtea ſeparata: ſicut in nobis paſſio & cogitatio primum conjuncta poſtea ſeparata eſt, quatenus paulatim uti incipit animus qualicunque libertate qua actum in his unum ſine alio conſiderat, atque advertit, quod tam facere hoc poſſit in externis, de quibus hic loquimur, quam in internis, de quibus ante locuti fuimus. Atque ideo ſicut in internis, *amor amare*, *dolor dolere*, de quibus ſupra dictum eſt, ita in his externis, *viſus videre* &c. adhuc alia ſignificatio eſt, de eo omni in corpore actu ſive motu, in quo eſt nota paſſionis & cogitationis, quando videmus, audimus. & quocunque modo ab externa cauſa ſentimus Hoc ſolum intereſt quod in quinque nominibus propriis ſingulorum ſenſuum, magis ad paſſionem & notam paſſionis in corpore, in uno & ge-

& generali, magis ad animi actum & cogitationem attendamus. Quatenus à lumine & coloribus in viſu, quod pulchre Ariſt. obſervat Libro III. de anima cap 2. τὸ ὁρῶν ἐστιν ὡς κεχρωμάτισται,. *id ipſum quod videt colore quaſi delibutum eſt*, à ſonis in auditu, ab odoribus in odoratu, à ſaporibus in guſtu, à calore, frigore, aliiſque in tactu afficimur & patimur, & hanc paſſionem, ut ſentitur in animo & informat animum, imbuitque illum qualitate ea quam percipit, in ſe ac ſi ſit extra ſe: primo & proprie ſignificant iſta quinque ſenſuum externorum nomina. Ex quo ſequitur perſpicue, quod ſi non eſſet ullus talis ſenſus, non viſus, auditus, olfactus, guſtus, tactus, propriam horum ſenſuum perceptionem, atque apparentem in ſenſu qualitatem, quæ per errorem ea ſpecie qua eſt in nobis ſupponitur extra nos, pariter nullam fore. *Quia neceſſe eſt, ut ſimul corrumpantur ſimulque ſint ſalva, auditus & ſonus, & ſapor itidem ac guſtus, cæteraque ſimiliter*, inquit Ariſtoteles III. de Anima cap. 2. At in uno generali nomine *ſenſus ſentire*, atque etiam in particularibus quibusdam, puta *viſus videre*, quatenus ſignificatio magis expreſſa eſt de animi actu, atque eum ſæpius & fere uſitatius ſignificant ſine paſſione, quæ à corpore adveniens ſuis propriis nominibus color, calor ſimilibusque fallit nos: ſublato ſenſu externo corporeo, propriam iſtam paſſionem quod attinet, non deſineret ſuo modo vera eſſe ſignificatio de hoc ipſo actu animi ſenſuque illius interno, qui in animo poteſt ſine corpore eſſe, & non ut propria unius ſenſus paſſio, *color*, *calor*, &c. refertur ad corpus.

LVIII. *In tertio genere ſexti ordinis primum ea generalis vox eſt, cogitatio cogitare, quæ omnem poteſt animi actum comprehendere.*

Ita paulatim natura ducit nos ad eas voces in quibus non am-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

amplius tranſlata, verum propria videtur ſignificatio eſſe, de interno animi actu, etiam ſine paſſione, quæ à corpore advenit, & ſentitur in corpore. Quod idcirco tertium atque ultimum genus eſt. Verum hoc genus in vocibus ſexti ordinis infinitum eſt, ut vix poſſit certo numero comprehendi. Quia eorum quæ animus intra ſe agit, formæ adeo incertæ & mille modis compoſitæ ſunt. Conemur tamen & dicamus ante omnia hanc ſignificationem eſſe in una iſta & communi voce, *cogitatio cogitare*, qua ſæpius jam interpretati fuimus propria nomina paſſionum, primum in interno, deinde in externo ſenſu, quando in iis eſt tranſlata ad animum ſignificatio. Hoc unum & commune nomen, ſi iterum velimus aliis interpretari nominibus, quæ adhuc magis generalia ſunt, dici poteſt *omnem internum & proprium animi actum* comprehendere, ſicut *ſenſus ſentire* omnem paſſionem. Idcirco ſicut ſenſus ſentire primo & proprie quidem id in animo ſignificat quo ſe pati advertit à corpore; & tamen etiam poteſt internum & proprium animi actum ſignificare: ita ex adverſo *cogitatio cogitare* primum & proprie in communi ſermone hunc animi in ſe ipſo actum ſignificat, puta *imaginari*, *recordari*, *velle*, *nolle*, ad quem ſe non ſentit à corpore impelli; & tamen etiam poteſt in animo paſſionem ſignificare, ad quam ſe ſentit à corpore impelli. Quia quando animus patitur à corpore atque ita ſentit, famem, dolorem, lumen, revera etiam agit formatque in ſe qualitatem paſſionis & ſenſum, quem & quam non poteſt corpus virtute propria formare, ſed animum ut faciat hoc impellere tantum. Hoc inquam quod ita facit animus intra ſe & cujus ipſe ſibi conſcius eſt, quando hoc facit, cogitatio & cogitare dicitur; primo & proprie quidem in communi ſermone, quatenus id ſibi videtur ex ſe ipſo facere; aliquo modo tranſlate ſive

minus proprie, quando id ex ſe ipſo videtur non facere, quanquam ut dictum fuit, ſuo modo id facit, etiam in ſenſu, quo pati videtur. Hoc ſolum cum diſcrimine, quod animus in ſenſu qui à corpore advenit, minus quam in proprio actu advertat ſe hoc facere, eaque animadverſio ita expreſſa non ſit in propriis nominibus paſſionum ab externa quam quidem ab interna cauſa. Quia qualitas paſſionis ab externa cauſa ita non videtur ad animum pertinere. Atque hac ſolum de cauſa in internis quidem unum & commune paſſionis & ſenſus nomen eſt, *amor*, *dolor*, *fames*, &c. quæ idcirco etiam diximus nomina cogitationum eſſe: at in externis adhuc alia nomina ſunt magis generalia, *viſus videre*, *auditus audire*, quæ videntur aliud ſignificare, quam *ſonus ſonare*, *lumen lucere*, quatenus aliter atque magis iis expreſſa eſt interna animi perceptio ſive attentio, quæ plenam perfectamque formam cogitationis in ſenſu facit quando eam ita præciſe ſive abſtracte conſideramus. Quanquam in hoc tertio genere ſexti ordinis, ea ſolum forma cogitationis ſpectetur, quam animus apud ſe invenit in proprio ſive interno actu ſuo cujus ipſe ſibi conſcius eſt. Sicut fuſe oſtendimus talem actum animi junctum cum conſcientia, quando attendit, eſſe in ſimplici *ſenſu* ſeu *perceptione*, ut & in *aſſenſu* ſeu *judicio*, nec non in eo *conſenſu* cujus proprium nomen *voluntas & velle*, nomen minus proprium *appetitus* eſt, quatenus tam corporis quam animi actus ſignificatur nomine *appetitus*, quem hac de cauſa *ſenſitivum appetitum* vocant, non ſine ratione, Ariſtotelici, ut diſtinguatur ab *appetitu rationali*, cujus magis proprium nomen eſt *voluntas*.

LIX. *Uno & generali nomine Cogitatio innumera particularia comprehendi, quorum ſignificatio miſta & confuſa eſt.*

Quod jam attinet voces magis ſpeciales, quæ dici poſſunt

ſunt uno & generali nomine *Cogitatio* comprehenſæ eſſe in tertio genere ſexti ordinis, hæ in communi ſermone innumeræ ſunt. Eſt etiam confuſa & miſta ſignificatio in plerisque. Quatenus communiter non tam una & ſimplex quam multiplex & compoſita cogitatio uno nomine comprehenditur. Et tum quoque valdè multa nomina cogitationum adhuc ſunt vel olim fuerunt nomina paſſionum ab interna vel externa cauſa. Atque ideo vix ullum in particularibus nomen eſt de animi actu & cogitatione in animo, quod non etiam motum in corpore vel alium corporis actum ſignificet. Quia natura motum, vel alium corporis actum, primum quidem cum paſſione, poſtea etiam cum cogitatione junxit, ut tam cogitationum quam paſſionum notæ ſint. Quæ verò ita ſunt juncta in natura, eorum ſignificatio, ut ſupra notatum fuit, juncta in vocibus eſt, & aliquando quidem ſeparata, ſæpius tamen conjuncta intelligitur. Atque hic intellectus conjunctus quando confuſus eſt, ſicut primum in paſſionum ita poſtea in cogitationum nominibus, multiplicem errorem parit & confuſionem in humano ſermone.

LX. *Hujus adeo confuſæ ſignificationis exempla in vocibus quæ una cum interno animi actu externum ſermonem ſignificant.*

Ita verba iſta *loqui, interpretari, dicere, contradicere, opponere, conſentire, diſſentire, diſſerere, interrogare, reſpondere, quærere, concludere, probare, delib rare, conſulere, ſuadere, teſtari, docere, affirmare, negare, enuntiare, aifinire, dividere*, &c. & cognata nomina *locutio, dictio, interpretatio, oppoſitio, conſenſus, diſſenſus, quæſtio, reſponſio, enuntiatio, affirmatio, negatio, definitio, diviſio, ſyllogiſmus*, &c. ſatis expreſſe externum ſermonem ſignificant, quo affirmanus, negamus, reſpondemus, &c. Verum in hoc ſermone primum actus animi conjunctus intelligi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

ligitur cum corporis actu: & tum quoque actus animi in ſe ſpectatus multiplex & compoſitus eſt. Atque ea ſignificatio in multis aliis nominibus & verbis eſt, qualia ſunt *ratiocinatio ratiocinari*, *cognitio cognoſcere*, *ſcientia ſcire*, *dubitatio dubitare*, *apprehenſio apprehendere*, *conceptus concipere*, *intellectus intelligere*, *judicium judicare*, &c. Quæ quidem aliquanto magis poſſunt ac debent de interno animi actu & cogitatione intelligi, ſæpe tamen etiam de ſermone externo & verbis intelliguntur, quibus in nobis animi actum alligamus, atque aliis conamur notum facere extra nos. Atque in his etiam non tam una & ſimplex quam multiplex & compoſita cogitatio eſt; quam ſignificant voces iſtæ. Eo ferè modo quo in nominibus paſſionum viſus videre, auditus audire, &c: in quibus una ſignificatio eſt de *ſimplici ſenſu*, quo quid in idea ſive ſpecie percipimus tantum, altera de *aſſenſu*, quo judicamus; atque hoc judicium iterum poteſt compoſitum eſſe, qualicunque *ratiocinatione*, quam natura tam cum ſenſu quam cum intellectu junxit, ac ſi actus unus & ſimplex ſit, qui compoſitus eſt. Sic enim cum dicimur *ſcire*, *cognoſcere*, *intelligere*, quaſi ſimplex in animo ſenſus & aſſenſus, qualiscunque in pleriſque *ratiocinatio* eſt, qua judicium unum cum alio nectimus & deducimus ex alio. Quam quidem connexionem ſive deductionem, vox ea *ratiocinatio*, *concluſio*, &c. expreſſe ſignificat ut nomen, ſicut conjunctio *ergo* connexionis ſive conſecutionis in ſermone nota tantum eſt. In cæteris, cum dico *ſcire*, *intelligere*, *cognoſcere*, &c. ſignificatio connexionis adeo quidem expreſſa non eſt, in pleriſque tamen ſuppreſſa ſive ſuppoſita. Quatenus ſæpius unum ex alio & propter aliud, ſcire, intelligere & cognoſcere dicimur, antecedente quadam alia cognitione, quàm unum ſine alio, eâ non antecedente. Quam

cogni-

cognitionem unius ſine alio, philoſophi *intelligentiam* vocant, ex alio, *opinionem*, vel *ſcientiam*, aut *fidem*, quando nos in his authoritas movet. Quæ ita præciſe non poſſumus in communi ſermone diſtinguere, neque ſimplicia in his, *ſimplicem in idea ſenſum*, *aſſenſum*, *ratiocinationem*, eo ordine conſiderare, quem nos verus horum omnium in Philoſophia intellectus docet.

LXI. *Exempla confuſæ ſignificationis in vocibus quæ una cum animi actu motum in corpore ſignificant.*

Similiter verba iſta *averſari*, *inclinare*, *propendere*, *proſequi*, *fugere*, *amplecti*, &c. & cognata nomina, *averſio*, *propenſio*, *inclinatio*, *conatus*, &c. ſatis expreſſe motum in corpore ſignificant, quem natura junxit cum animi actu & cogitatione in animo. Hæc ſignificatio, quamquam minus expreſſa, ſæpe etiam eſt in iſtis vocibus, quæ aliquanto magis poſſunt ac debent de actu animi intelligi, ut *velle*, *nolle*, *cupere*, *optare*. Quatenus actus animi quem ſignificant hæ voces, ſæpe etiam junctus eſt cum motu in corpore aut ſaltem diſpoſitione quadam ad motum: & vix ita notum facimus animi actum in his, ut non aliquo modo de motu vel conatu ad movendum, qui in corpore eſt, debeant verba intelligi. Quod adeo verum eſt, ut fere omnia nomina & verba iſta primo & proprie motum vel conatum movendi in corpore ſignificent, cum quo, ut in nobis ſentimus actum animi conjunctum & quaſi unum eſſe, ſicut anima & corpus ſunt unum & conjunctum quid; ita eſt vox una, quæ unum & alterum de animo & corpore confuſe ſignificat. Atque ea ſignificatione confuſa & mixta has voces primum de nobis ipſis atque aliis hominibus, deinde de brutis animantibus, & tum quoque de plantis, lapidibus cæteriſque corporibus inanimatis intelligimus. Sicut ex adverſo, horum omnium ſignificatio quæ facta

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

corporea eſt, iterum poteſt tranſlata intelligi ad animum, qui ſine corpore ſubſiſtens non poteſt quicquam cum corpore commune habere.

LXII. *Exempla alia in quibus major difficultas eſt.*

Hæc vero ſatis adhuc ſimplicia ſunt, atque in iis animi & corporis actum diſtinguere adeo difficile non eſt, ut quidem in multis aliis. Qualia ſunt primum ferè omnia virtutum nomina & verba, quibus loquimur de iis, una cum oppoſitis nominibus & verbis vitiorum, *Temperantia, juſtitia, fortitudo, prudentia, modeſtia, generoſitas, humilitas, pietas, devotio, veneratio, ſanctitas, liberalitas, humanitas*; atque his contraria, *intemperantia, injuſtitia, prodigalitas, avaritia, profanitas, ſuperbia*; & quæ ad iſta referri poſſunt, *juſtus, injuſtus, humilis, abjectus, ſuperbus, avarus, liberalis, profanus, impius*, &c. Quæ ut paſſioni ita corpori ſæpe magis implicita ſunt, quam præcedentia. Quod magis difficilem diſtinctionem reddit, quid paſſioni vel cogitationi atque etiam animo vel corpori ſit tribuendum in prima & propria ſignificatione. Deinde non parva difficultas eſt in multis aliis nominibus, quæ quidem ita per ſe virtutem aut vitium non ſignificant, verum id ſaltem in quo poteſt virtus aut vitium in civili vita locum habere ex lege atque inſtituto inter homines. Talia ſunt valdè multa, partim communiter nota, ſicut virtutes & vitia quædam novimus, partim tradita atque melius intellecta à juriſconſultis, qui idcirco præ aliis profitentur interpretationem eorum. Ut *emptio emere, venditio vendere, locatio locare, conductio conducere, donatio donare, contractus contrahere, ſtipulatio ſtipulari, teſtamentum teſtari*; item *libertas, ſervitus, dominium, juriſdictio, ſervus, dominus*, &c. In quibus fere omnibus actus animi, qui multiplex & valdè compoſitus eſt, ſupponitur ad actum cor-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

corporis accedere, atque in ea omni compoſitione unum non debet ſine alio intelligi, plenam perfectamque verborum ſignificationem quod attinet.

LXIII. *Multa adhuc alia nomina eſſe in quibus confuſa & miſta ſignificatio eſt, magis expreſſa de corporis, quam de animi actu.*

Quanquam vero nomina his exemplis comprehenſa valdè multa ſint, putandum non eſt, iis omnia comprehendi, in quibus confuſa & miſta ſignificatio eſt de animi actu & cogitatione. Sicut enim paſſionum ita cogitationum formæ infinitæ ſunt, & cogitationes, quo magis liberæ eo minus ſunt determinatæ à natura quam paſſiones. Qua de cauſa non ita poſſumus in communi ſermone ad ſumma genera revocare nomina cogitationum, ut quidem paſſionum. Et quanquam forte poſſint determinari genera cogitationum in ſimplicibus, & eorum in prima Philoſophia quæ de principiis humanæ cognitionis tractat, pauca generalia nomina conſtitui (quod noſtri jam inſtituti non eſt) id hic parum juvat nos in compoſitis; ſicut in particularibus duplici ratione compoſita ſignificatio eſt, in nominibus cogitationum, primum actum animi & corporis, deinde ipſum per ſe actum animi quod attinet. Et quidem primæ compoſitionis ſive compoſitæ ſignificationis ea præcipuè exempla allegavimus, in quibus ſatis expreſſa & communiter nota eſt ſignificatio de animi actu. Poſſunt vero multa alia adduci, quæ de actu corporis intelligimus, ſuppreſſa ſignificatione de animi actu, qui forte conjunctus eſt. Talia ſunt *edere*, *bibere*, *ambulare*, *reſpirare*, *canere*, *ſtare*, *ſedere*, *ſurgere*, *deſcendere*, *adſcendere*, *movere*, *ſiſtere*, *pugnare*, *trahere*, *pellere*, *premere*, *componere*, *dividere*, *ſtruere*, *deſtruere*, &c. Quæ in eo differunt, quod quædam ex his qualitatem motus ſive actionis in nobis, alia præcipue effectum ſignificent extra nos: ſicut §. XXX. notatum fuit in

voci-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

vocibus quarti ordinis, quas diximus magnitudinem, figuram, motum atque omnem aliam qualitatem in corporibus ſignificare. Hic vero in vocibus ſexti ordinis ea iterum attingimus, quatenus cum motu vel alio actu qui proprius corporis eſt, poteſt conjunctus eſſe animi actus, atque ille revera eſt conjunctus ſaltem in homine, quando ſciens & volens, & non corpore tantum verum etiam animo iſta facit & ſe ſentit facere.

LXIV. *Paucæ voces generales, actio agere, &c. quarum prima in particularibus ſignificatio magis expreſſe de corpore, & tamen etiam de animo intelligitur.*

Superſunt paucæ voces generales, in quibus ea quam diximus confuſa ſignificatio eſt. Quales ſunt *Actio agere*, & vox ea *Actus* qua philoſophi utuntur & nos ſæpe uſi fuimus, quia aliter non poteramus exponere mentem noſtram; item *facere, efficere, operari*, & quæ plures eandem vim & poteſtatem habent. Et quidem in voce una *actio agere* quæ jam adeo generalis videtur, primum etiam fuit particularis intellectus, qui aliquo modo diſtinctus eſt in confuſa & miſta ſignificatione: ſicut omnes voces primum in particularibus intelliguntur. De hoc intellectu primo & prima in particularibus ſignificatione, quæ ſpectanda eſt in origine vocis, accipi poteſt ea Varronis interpretatio de Lingua Latina. *Actio ab agitatu facta, hinc dicitur agere geſtum tragœdus, & agitantur quadrigæ, hinc agitur pecus paſtum.* Hæc inquam dici poteſt prima & propria ſignificatio in voce *actio agere*, quæ magis expreſſe de corpore, quam de animo intelligitur, ſicut in pleriſque aliis accidit. Eſt enim *agitatus* iſte revera corporis motus, primum noſtri, deinde alterius. Hunc motum qui facere videtur, vel in ſuo tantum vel etiam in alieno corpore, *agere* dicitur actione una quam philoſophi immanentem, altera quam tranſeun-

ſeuntem vocant. Quanquam vero prima & propria ſignificatio in voce *actio agere*, &c. videatur de ſolo per ſe corpore intelligi, revera de ſolo per ſe corpore non intelligitur. Et facilè oſtendi poteſt, quando nomine *actio* primum intellectus fuit agitatus iſte quo agit geſtum tragœdus, agitantur quadrigæ, &c. quandam in ea voce ſignificationem de actu animi fuiſſe. Primum quia tam in nobis ab animo quam à corpore eſt omnis agitatus iſte, ſicut homo qui agit, animo pariter & corpore conſtat. Deinde animi actus in homine natura prior & prima cauſa agitatus in corpore eſt; ſiquidem animus ſecundum naturam corpori, non corpus animo imperat, atque animus quidem ſine corpore, non autem corpus ſine animo agit, vera & propriè dicta actione quam humanam vocant, quia non tam à corpore quam ab animo procedit, qui eſt proprius hominis.

LXV. *Significatio de animi actu in voce Actio agere, quando de factis, dictis & cogitatis intelligitur, ex Varrone confirmatur.*

Ita Varro, *Actionum trium primus agitatus mentis, quod primum ea quæ ſumus acturi cogitare debemus, deinde tum dicere ac poſtremo facere. De heis tribus minime putat volgus eſſe actionem cogitationem, tertium in quo quid facimus id maximum. Sed & cum hoc agitamus, quid & in eam rem cogitamus, in mente agimus, & cum pronuntiamus agimus. Itaque ab eo orator dicitur agere cauſam, & augures agere augurium dicuntur, cum in eo plura dicant quam faciant.* Quibus verbis Varro perſpicue nos docet, in voce *Actio agere* primum quidem ab agitatu corporis uno, quem in particularibus ab origine ſignificat, ad agitatum alium tranſlatam ſignificationem eſſe: qua ratione omnis generis facta atque etiam dicta comprehendit, quæ non ſine agitatu corporis peraguntur. Quia vero cum agitatu corporis in factis & dictis à natura junctus eſt animi agitatus, in voce

Actio agere etiam eſt ſignificatio ad animum tranſlata quæ de cogitatis intelligitur. Et recte advertit Varro ordinem naturæ in his contrarium opinioni eſſe, qua *minime putat volgus eſſe actionem cogitationem*, quæ tamen actio quam maxime ſit. Ex quo conficitur, non tam à corpore ad animum, quam ab animo ad corpus tranſlatam ſignificationem eſſe in voce Actio agere. Quanquam una & altera ſignificatio etiam dici poſſit propria eſſe: quatenus ut ſæpius dictum fuit, eorum quæ conjuncta in natura ſunt, ſignificatio conjuncta in vocibus eſt, & primum conjunctim tantum, poſtea etiam ſeparatim intelligitur. Et quidem agitatus mentis, conjunctim cum agitatu corporis, in dictis & factis, ſeparatim in cogitatis invenitur, quæ nos Varro dicit in mente agere; cum etiam corporis multiplex agitatus in dictis & factis ſit. Et ſecundum Varronem, *Cogitare à cogendo dictum, mens plura in unum cogit, unde deligere poſſit*. Quæ non tam ſimplicis quam compoſitæ cogitationis notio atque nominatio eſt, ſpectanda in origine vocis: ſicut voces ferè omnes ab origine de compoſitis confuſe intelliguntur, atque ab his ſignificatio tranſlata eſt ad ea quæ magis ſimplicia ſunt, quod notatu valde dignum putamus. Similiter poteſt agitatus corporis ſine agitatu mentis eſſe: de ipſo tamen Actio agere ita non intelligitur in prima & propria ſignificatione. Quia Actio ſecundum Varronem facta ab agitatu, & actionum trium primus agitatus mentis, eſt, ſine quo agitatus corporis in nobis non habet formam actionis, quæ dici poſſit propria hominis eſſe, ut quidem eſt forma humanæ actionis in ſolo per ſe mentis agitatu, aut ſi mavis coagitatu, à quo ut putant, dicta cogitatio eſt.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

LXVI. *Notio atque nominatio actionis generalis, ab agitatu mentis, quæ eſt in omni ſpecie actionis, confirmata à Logicis.*

Sic ſe habet prima notio atque nominatio actionis, ut multiplex & diverſa eſt in *factis*, *dictis & cogitatis*, quæ particularia atque innumera ſunt. Ex his facilè deducimus quæ in hac voce una & communis ſignificatio ſit, ſaltem prima & præcipua. Ea enim non poteſt alia eſſe quam quæ in nobis de actu animi intelligitur. Quandoquidem actionum trium atque omnium in nobis primus agitatus mentis eſt, atque ab hoc uno actio omnis humana unam & communem formam habet, ſecundum quam una & communi notione loquimur de actione. Ita Logici, *Actio eſt à qua decimur agere*. Quæ verba primum de nobis ipſis & tum quoque de aliis hominibus accipiuntur, quos homines alios, ſicut nos, ſupponimus ex animo & corpore conſtare, atque animo ſentire id à quo dicimur agere, quod etiam ſentire poſſumus ab animo eſſe. Pergunt vero Logici, quando non tam Logicam, cujus magis proprium nomen Dialectica eſt, quam Metaphyſicam tractant, *Agere eſt aliquid efficere*. Et quia nos aliquid efficere ſentimus, primum in nobis tantum, deinde etiam extra nos; ab hoc duplici effectu dicunt *actionem immanentem vel tranſeuntem* eſſe. Atque *immanens* actio iterum duplex conſtituitur, una *elicita*, quæ ſecundum Varronem in cogitatione eſt, quam in mente agimus; altera *imperata* in factis & dictis, quæ non ſine mentis agitatu, corpore peraguntur. Quæ vero hic cum Varrone *facta* appellamus, etiam duplicem dici poſſunt ſpeciem ſive formam habere, unam in nobis tantum, ut cum *agit geſtum tragœdus*, alteram quoque extra nos, ut cum *agitur pecus paſtum*, *agitantur quadrigæ*, *ſtruuntur ædes*. Atque hæc demum poſterior facti ſpecies notionem actionis parit quam *tranſeuntem* vocant: prior in actione

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

immanente numeratur, quam animus corpori imperat, atque, ut videtur, peragit in corpore.

LXVII. *Primus in hac confuſa & miſta ſignificatione, error, in Epicuro notatus, quo videntur hæ voces actum ſive motum corporis ſignificare, ubi revera eſt animi actus.*

Qua ratione mirandum non eſt, hanc adeo confuſam & miſtam ſignificationem errorem parere. Quandoquidem ſicut vox una eſt, ſive generalis, ſive ſpecialis, ita videri poteſt una & ſimplex ſignificatio eſſe: primum quidem de actu animi uno, non cogitando de alio, qui una forte voce ſignificatur, qui error valdè communis eſt; & tum quoque ſignificatio intelligi poteſt de ſolo per ſe corporis actu, ubi revera actus animi eſt, qui eſt proprius Epicuri error & ſectatorum ejus; vel etiam de actu animi, ubi nihil aliud quam actus corporis eſt, qui error Scholaſticorum & ſectatorum Ariſtotelis fuit. Etenim Epicurus Animæ nomine ſubtile & mobile corpus intellexit, atque ideo non potuit aliud quam motum corporis intelligere, primum generali nomine *actio agere*, deinde ſpecialibus iſtis, *velle*, *nolle*, *proſequi*, *fugere*, *inclinare*, *propendere*, *conari*, *pronum*, *vel proclivem eſſe* &c. quæ nos dicimus præter actum corporis in homine, primo & præcipuè actum animi ſignificare, qui non pertinet ad corpus. Et ſic quoque, ſi non aliud quam motus corporis eſt *loqui*, *ratiocinari*, *affirmare*, *negare*, *interrogare*, *reſpondere*, *concludere*; quin *ſcire*, *cognoſcere*, *intelligere*, *concipere* & talia, nihil aliud hæc dicta quam voces & verba erunt, quæ corpore formamus, ſine interno & proprio animi actu, quo ſolo aliquid poſſe ſignificari, tanquam vero & formali ſigno, partis primæ §. XXXI. probavimus. Aut ſi forte talia, puta, *loqui*, *ratiocinari* in nobis ſint ſine externa voce & verbis, idcirco ſine interno motu & ſimulachris corporeis non erunt: verum hos

hos *motus*, hæc *ſimulacra corporea & eorum incurſionem*, ut ſolo motu abſolvitur, Epicurus debet intelligere vocibus iſtis, *cognitio*, *ratiocinatio*, *intellectus*, &c. Neque aliter ſentiendum de cæteris, qualia diximus eſſe primum fere omnia *virtutum atque vitiorum nomina*, deinde ea quæ in communi vita, hominum inter ſe commercia ſignificant. Hic vero nominum iſtorum intellectus, quo nihil aliud videntur quam motum vel alium actum corporis ſignificare, verus quidem eſſe poteſt, primum de inanimatis, quæ ſolo corpore ſubſiſtunt, & tum quoque de homine & animalibus, corpus quod attinet & proprium agitatum corporis. Sed vero, quando hac ſignificatione de nobis ipſis intelligimus nomina iſta, atque de aliis hominibus, actum animi quod attinet, verus non poteſt iſte intellectus eſſe. Quia ſi anima verè corporea non eſt, atque nomine animæ corpus non intelligitur in homine; actus animæ dici non poteſt motus corporis, ut quidem dici atque intelligi poteſt eſſe junctus cum iſto motu, quia anima cum corpore juncta atque ita unita eſt, ut unum agens atque una videatur utriuſque actio eſſe, ſicut homo animo & corpore eſt unus. Atque ideo compoſita & miſta quidem, non autem una & ſimplex ſignificatio vera eſt de animi & corporis actu, ac eſt falſa & cum communi hominum ſenſu & ſermone pugnans ea omnis ſignificatio de corporis agitatu in homine, qua evertitur ſignificatio de agitatu animi qui forte conjunctus, vel etiam ſeparatus eſt, ſicut §. XXXIX. monuimus.

LXVIII. *Error ſecundus quo videntur multæ voces actum animi ſignificare, ubi nihil aliud quam actus corporis eſt, in Scholaſticis notatus.*

Ariſtotelicos ſcholaſticos quod attinet (Ariſtoteles enim ab his erroribus immunis fuit, in Schola Platonis meliora

liora doctus, hi non admittunt in homine ullam animam quæ ſubtile & mobile corpus ſit, neque ullum tale agens in cæteris corporibus. Atque ideo putant omnem actum quo vivimus & movemur à ſola in nobis anima eſſe quæ omnino diverſa à corpore ſupponitur; neque aliud quam iſtius animæ *actum* internum & proprium quem *vitalem* vocant, intelligunt nominibus, quæ vel de animo & corpore conjunctim, vel de corpore ſeorſim intelligenda ſunt. Quo errore poſito in prima & propria ſignificatione, ſequuntur mille alii errores in ſignificatione tranſlata. Quatenus primum quidem de nobis ipſis atque aliis hominibus, tum de animalibus, & ſic porro de plantis, lapidibus, igne, aëre, aqua, terra cæteriſque rebus inanimatis dicimus nomina iſta, ſi non omnia, plurima ſaltem, ut *propenſio*, *inclinatio*, *fuga*, *averſio*, *conatus*, & talia quæ confuſe actum animi & corporis ſignificant; quin *cupere*, *velle*, *nolle*, *ſcire*, *cognoſcere* & talia, quæ multo magis ad animum referuntur; item *movere*, *quieſcere*, *ſtare*, *ſedere*, *edere*, *bibere*, *adſcendere*, *deſcendere*, *trahere*, *pellere*, quæ magis expreſſe in nobis actum corporis ſignificant, non tamen ſine animi actu qui poteſt conjunctus eſſe; denique etiam generalia iſta, *Agere*, *facere*, *operari*, quæ univerſim ſignificant id quod in nobis ab agitatu mentis eſt. Ea enim omnis ſignificatio ne quidem de nobis ipſis atque aliis hominibus vera eſt, quando ut ſæpe fit ſolo corpore facimus quæ facere animo & corpore videmur: neque de animalibus, quatenus in his ſaltem motus corporis eſt, ſine interno & proprio animi actu, & tamen iis nomina cogitationum tribuimus, *ſcire*, *velle*, *cognoſcere*, &c. ut jam non dicam de nominibus paſſionum *videre*, *audire*, *ſentire*, *amare*, *odiſſe*, *timere*, &c. quæ tam in animalibus quam in homine de actu animæ ſive cogitatione intelliguntur, etiam

tum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

tum quando nihil aliud quam proprius agitatus corporis eſt. Plantas, lapides, atque alia inanimata quod attinet, de iis non poteſt unquam vera eſſe ſignificatio de animi actu, quem à motu corporis diſtinguimus: & tamen videtur vera, quando ſupponimus in ipſis agens incorporeum, quod inſtar animæ in homine ſuam per ſe ſubſtantiam ſive actum ſubſtantialem habens, ex ſe & in ſe agat ſimiliter. Quod agens uno & communi nomine atque una ſignificatione in animatis atque inanimatis, Naturam, Formam ſubſtantialem, atque etiam Animam Mundi vocant. Hinc ſolum generalis ea vox *Actio agere* ſine diſtinctione de omnibus intelligitur, & ſimilis generalis intellectus videtur in particularibus multis cogitationum, atque actionum nominibus eſſe, non ſolum in homine & animalibus, ſed etiam quandoque in rebus inanimatis.

LXIX. *Vera & magis diſtincta ſignificatio de ſolo per ſe animi actu, facile invenitur in iis vocibus, in quibus aliqua ſignificatio de motu corporis eſt.*

Quibus ita poſitis, difficile non eſt ex his tenebris lucem capere, atque in iſto duplici errore veritatem invenire & veram ſignificationem, quæ eſt in vocibus ſexti ordinis de ſolo per ſe animi actu & cogitatione. Quanquam enim ſignificatio in pleriſque confuſa & conjuncta eſt, in una voce magis in alia minus eſt confuſa & conjuncta, & in quibusdam poteſt ac debet ſeparata intelligi. Hic ſeparatus intellectus primum facilis eſt in iis vocibus quas diximus una cum animi actu motum corporis ſignificare, vel diſpoſitionem ſive inclinationem ad motum. Quandoquidem notio motus clara eſt, & clare intelligimus corpus omne tam in animatis quam inanimatis ab alio moveri, & tum quoque ſui in ſe motus notionem & ſenſum non habere, cum animus ex ſe ipſo agat & quod agit ſentiat & cognoſcat

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

ſcat in ſe. Atque in uno Epicuri, in altero Ariſtotelicorum error multum juvat nos. Quia Epicuri error [in quo multum veri eſt], ad motum qui verè eſt in corporibus tam animatis quam inanimatis, alter error Ariſtotelicorum (in quo etiam aliquid veri eſt), ad actum nos docet animi attendere, qui ſaltem vere in hominibus eſt. Nam error unus & alter non tam eſt in ſimplici notione de corporis vel animi agitatu, quam in applicatione ad ſubjectum, & mala compoſitione, ſive permiſtione & confuſione, qua notionem unam, quantum poſſunt per alteram evertunt, & negant ptopter alteram, motum corporis propter motum animi, quod ſcholaſtici faciunt, non intelligentes Ariſtotelem, quo nemo melius hæc diſtinxit; motum animi propter motum corporis, ut certe factum ab Epicuro fuit, qui non ſolum non diſtinguit duo, quæ ita debent diſtingui, verum etiam unum per alterum, animi functionem, per functionem corporis, evertit.

LXX. *Diſtincta ſignificatio in una ſimplici voce voluntas, velle, ad quam reduci multæ alia poſſunt.*

Qua ratione cum ſcholaſticis dicimus, internum & vitalem in nobis actum animi ante omnia ſignificari una ſimplici voce *voluntas velle:* atque ea ſignificatio tam in communi ſermone quam in philoſophia uſitata eſt. In cæteris vocibus, quæ huc referri poſſunt, ut *proſequi*, *fugere*, *inclinare*, *conari*, &c. ut jam non dicam de una generali voce, *actio agere*, pluribusque particularibus, *ſtare*, *ſedere*, *ambulare*, *edere*, *bibere*, in quibus, de corpore expreſſa, de animo fere ſuppreſſa ſignificatio intelligitur, ſicut voces quæ virtutes, vitia, atque hominum inter ſe commercia ſignificant, magis ad animum referuntur: in his inquam omnibus, ſignificatio de corporis agitatu conjuncta quidem & tamen etiam poteſt ſignificatio ſeparata eſſe, de ſolo per ſe animi

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

animi actu, quanquam hic ſeparatus intellectus in una voce magis, in alia minus ſit. Ita poſſumus quibusdam ex vocibus iſtis noſtram & aliorum hominum voluntatem ſignificare, quæ in animo eſt, quem actum animi ſupra diximus *elicitum* vocari. Atque in ea iſtius actus deſignatione, de agitatu ſive motu corporis non cogitamus, & ſæpe ne quidem adeſt motus, quem forte primo & propriè ſive ab origine ſignificant voces. Præterquam quod ea omnis quæ eſt in aliquibus notio & ſignificatio de corporis motu, dici non poſſit notio & ſignificatio de actu animi eſſe, cujus proprium hic nomen *Velle* eſt, unum & commune nomen, de quo ſupra diximus, *cogitare*. Qua ratione manifeſtum fit, ſpeciales voces iſtas *proſequi*, *fugere*, &c. nihil aliud quam velle ſignificare. Ea omnis quæ videtur diverſa atque alia in iis eſſe ſignificatio, primum ex eo eſt, quod ſæpius conjuncta ſignificatio ſit, quia actus corporis eſt conjunctus cum animi actu; & tum quoque ex eo, quod velle quidem unum & voluntas unus & ſimplex actus ſit, non unus tamen ſit modus volendi, quatenus ea quæ volumus unum non ſunt, & non una eorum conſideratio eſt. Sicut attendenti manifeſtum fit, aliter nos conſiderare ea quæ voluntate *proſequi*, *amplecti*, quam quæ *fugere & averſari* dicimur. Hic præciſe modus, hæc conſideratio quæ accedit, propriam in his vocibus ſignificationem parit de animi actu, qui in ſe unus & ſimplex, ita videtur multiplex & diverſus, ut ſunt voces multæ & diverſæ, *gratia*, *juſtitia*, *miſericordia*, *vindicta*, quæ omnes poſſunt, diverſa conſideratione, de uno & ſimplici actu voluntatis intelligi.

LXXI. *Diſtincta ſignificatio de animi actu in iis vocibus, quæ de ſermone & verbis intelliguntur.*

Quod attinet eas voces quarum ſignificatio confuſa & miſta eſt, quia tam de ſermone externo & verbis quam de in-

 terno

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

terno animi actu & cogitatione intelliguntur; quæ voces valdè multæ ſunt, tum generales, *affirmare*, *negare*, *concludere*, quin etiam *ratiocinari*, *ſcire*, *cognoſcere*, tum ſpeciales, *emptio*, *venditio*, *locatio*, *conductio*, *teſtamentum*, *ſtipulatio*, *obligatio*, &c: Hic etiam in una voce magis, in alia minus, confuſa & miſta ſignificatio eſt. Atque in invenienda diſtincta & ſeparata ſignificatione de ſolo per ſe animi actu, iterum nos duplex iſte error juvat, unus quo corpori, alter quo agenti incorporeo nimium tribuimus. Quæcunque in his difficultas eſt, primum ex eo oritur, quod verba ſive dicta quibus ita in nobis alligamus animi actum & cogitationem ſub ſpecie ſoni percipiantur, quæ obſcura & confuſa eſt. Quæ tamen difficultas multum minuitur, quando cogitamus ſonum, ut qualitas corporis eſt in loquendo, etiam nihil aliud quam motum ſive agitatum corporis eſſe, quem oſtendimus facilè diſtingui ab animi agitatu. Et ſoni ſpecies, quæ ſola proprie & proximè ſenſum afficit, quando verba pronunciamus atque audimus, etiam facilè diſtinguitur ab omni alio affectu atque agitatu animi, qui verborum ſono ſignificatur, atque inter loquendum cum hoc ſono junctus eſt. Quia poteſt unus agitatus animi, diverſus verborum ſonus eſſe, ut ſunt linguæ diverſæ. Cauſa altera difficultatis eſt, quod actus animi, quem ita verbis alligamus, multiplex & diverſus & valdè compoſitus ſit: ſicut animus ipſe ſentit apud ſe, quando nos dicimus *affirmare*, *negare*, *ſuadere*, *interrogare*, *reſpondere*, *promittere*, *obligare*, *teſtari*, & ſic de cæteris. Verum hæc difficultas evertere non poteſt eam diſtinctionem quæ ante omnia eſt inter motum in corpore & cogitationem in animo, & tum quoque inter ſoni ſpeciem, quæ in ſenſu eſt, quando verba audimus, & proprium animi affectum, qui corporeo ſenſu non percipitur, ſed intelligitur & ſignificatur

tur

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

tur iſtis verbis. Ut certe aliqua ſignificatio atque aliquis intellectus eſt de animi actu & cogitatione in verbis iſtis *affirmare*, *negare*, *interrogare*, *reſpondere*, *concludere*, *ſuadere*, *conſulere*, *imperare*, *teſtari ſive teſtamentum facere*, &c. Hoc ſolum cum diſcrimine, quod quædam in his nominibus ad nos ipſos tantum, ut *affirmare*, *concludere*, alia etiam ad alios referantur, ut *ſuadere*, *imperare*. Quanquam diſtinctè atque aliis verbis dicere non poſſimus de omnibus, ut quidem de aliquibus, quid in iis ſimplex vel compoſitum, & ex quibus facta compoſitio ſit. Atque in eo *Dicta* & *Facta*, ſive nomina eorum, ferè ejusdem conditionis ſunt: nec aliter putandum eſt, de *Cogitatis*, ſive de ipſis nominibus cogitationum, quæ certò ſcimus eſſe cogitationum nomina in animo, & tamen ſæpè dicere non poſſumus, quæ ſimplex, vel compoſita ſignificatio, ex quibus tandem ſimplicibus facta compoſitio ſit.

LXXII. *Voces ſeptimi & octavi ordinis in cogitationibus, cum tertio & quarto in paſſionibus comparantur.*

Sic fuerunt, primum quidem notæ cogitationum inter loquendum in ordine quinto, & tum quoque in ſexto ordine nomina & verba, quibus loquimur de cogitationibus, ut in nobis ad animum referuntur & ſpectantur ut actus animi. Sequuntur nomina & verba cogitationum, quorum ſignificatio ita in nobis ad animum non refertur, quia de rebus & qualitate rerum intelliguntur, extra ſermonem & cogitationem. Qui intellectus, ut eſt partim verus, partim falſus, iterum duos poſſumus in his vocibus ordines numerare, qui ſeptimus & octavus erit. Eo prorſus modo quo ab initio numeravimus notas paſſionum inter loquendum in ordine primo, nomina & verba quibus loquimur de paſſione, ut in nobis ad animum refertur, in ordine ſecundo; & ſic porro nomina & verba quibus ſecundum paſſionem

ſive ſpeciem in ſenſu de qualitate corporis loquimur, partim falſo partim vero ſermone, qui ordo tertius & quartus fuit. Qua ratione primum quidem ſecundum paſſionem in corpore & ſenſu, poſtea ſecundum cogitationem in animo & intellectu, quatuor ordines ſunt vocum, quarum una fere & ſimilis interpretatio eſt. Atque id non parum juvat in vera ſignificatione atque interpretatione in omnibus vocibus invenienda, etiam iis quæ ſuperſunt ſeptimi & octavi ordinis. Hæ enim ſic fere ſecundum cogitationem in animo de rebus intelliguntur; ut voces tertii & quarti ordinis ſecundum paſſionem in corpore; & ſimiliter in uno ordine falſa, in altero vera dici poteſt interpretatio eſſe, quæ de rebus cogitatis intelligitur extra noſtram de iis cogitationem.

LXXIII. *Ratio ordinis diverſa in his vocibus, quam tamen non ſequemur.*

Hoc ſolum intereſt, quod in paſſionibus cum ratione dici poſſit ea ſignificatio prior eſſe, quæ vera non eſt quando de qualitate corporis ſive rei exiſtentis intelligitur: quia ſpecies quæ fallit, primo & proprie pertinet ad paſſionem quæ corpore ſentitur. Sed vero in ſermone ſecundum cogitationem in animo, videri poteſt vera de rebus exiſtentibus ſignificatio prior eſſe: ſicut veræ rerum exiſtentium ideæ primo & proprie ad intellectum & cogitationem pertinent. Attamen quia etiam innumeræ cogitationes in animo non habent veritatem in ſe, rei exiſtentis extra animum; atque tam ſecundum cogitationem quam paſſionem plura dicuntur de ſubjecto, quæ vere non ſunt, quam quæ vere ſunt in ſubjecto; extra dictionem & cogitationem: in iis quæ ſuperſunt vocibus ſecundum cogitationem eundem ordinem ſequemur, qui antea fuit ſecundum paſſionem. Qua de cauſa primum in ordine ſeptimo qui eſt tertius in

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

cogitationibus, & reſpondet ordini tertio in paſſionibus, de ſignificatione dicemus, quæ vera non eſt ad res tranſlata extra animum & cogitationem; poſtea ſignificationem, quæ extra animum & cogitationem poteſt vera eſſe, numerabimus in octavo ordine, ut reſpondeat ordini quarto in paſſionibus, cujus ſignificatio, ut ſupra oſtendimus, etiam poteſt vera ſecundum paſſionem eſſe. Quanquam una & altera ſignificatio in communi ſermone ſæpius conjuncta quam ſeparata ſit, & forte poſſet facilius conjuncta quam ſeparata intelligi.

LXXIV. *Significatio ſeptimi ordinis quæ tranſlata ad res vera non eſt, in verbo ſubſtantivo, quo affirmatio tantum exiſtentiæ intelligitur.*

Qua ratione primum poſſumus in ſeptimo ordine numerare propriam Verbi ſignificationem, quæ ſeparata eſt quantum poteſt ſeparari, in ſubſtantivo, conjuncta cum quadam ſignificatione nominis, in adjectivo verbo. Et ut primum dicamus de *verbo ſubſtantivo*, propria in eo atque prima & ſimpliciſſima verbi ſignificatio eſt, *non ullius rei vel qualitatis in re verum affirmationis ſignum in animo eſſe*: non quidem ut affirmatio expreſſe ſpectatur ut actus animi, ſive ut qualitas & res quæ pertinet ad animum & cogitationem (quæ ſignificatio eſt ſexti ordinis in hac ipſa voce *affirmatio affirmare*) verum ut ſine iſta conſideratione refertur ad rem, atque eſt juncta in animo cum cogitatione de re. Ita verò affirmatio refertur ad rem, atque juncta intelligitur cum cogitatione de re, primum quidem quando ſimpliciter rem eſſe dicimus, ſive in nobis ſive extra nos, ut ſi dicam, *eſt dolor*, *eſt voluptas*, *eſt corpus*, *eſt anima*, *eſt homo*; deinde, quando rem dicimus hoc, illud talem eſſe, ut *corpus eſt extenſum*, *anima eſt intelligens*, *homo eſt juſtus*. Logici unum vocant *Eſt ſecundi*, alterum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

Eſt tertii adjecti. Nos utramque atque adeo omnem affirmationem verbo comprehenſam ſubſtantivo, affirmationem dicimus exiſtentiæ eſſe: hoc ſolum cum diſcrimine, quod vel ſit prima & ſimpliciſſima ſuppoſiti affirmatio, vel ſecunda & compoſita appoſiti, quod non ſeorſim verum in & cum ſuppoſito affirmamus. Qua ratione, *ut unumquodque ſe habet ſecundum exiſtentiam, ita ſe habet ſecundum veritatem, & ſemper exiſtentia ſemper vera ſunt* inquit Ariſtoteles 11. Metaph. cap. 1. his verbis docens, quæ prima ratio, quod fundamentum omnis veritatis ſit, & quod non poſſit ulla vera affirmatio rerum eſſe non exiſtentium.

LXXV. *Affirmatio exiſtentiæ unus & ſimplex animi actus eſt, quo non accedit quicquam rebus, quæ eſſe dicuntur.*

Quando ſic dicimus quod Affirmatio quæ verbo comprehenditur ſubſtantivo ſit exiſtentiæ affirmatio, duæ quidem voces ſunt, quibus verbi unius ſubſtantivi vim & poteſtatem exprimimus, hinc vero non deſinit unus & ſimplex animi actus eſſe id quod ſignificat verbum primum in humano ſermone & ſimpliciſſimum; atque actus iſte in animo quidem & cogitatione, non autem pariter in rebus compoſitionem facit. Quandoquidem qui dicit *rem eſſe*, ſimpliciter, vel cum appoſito, quod eſt exiſtentiam affirmare, hac dictione ſignificat & notum facit animi in ſe aſſenſum qui voluntatis eſt, junctum cum ſimplici ſenſu in intellectu. Et ſic quidem in affirmando dici poteſt promota cogitatio eſſe ab intellectu ad voluntatem, aut ſi mavis, promotus intellectus, ſicut promotus ſermo eſt à nomine ad verbum; atque in hac promotione unus quidem cogitandi modus ad alium accedit & jungitur cum alio: hinc vero acceſſio ſive conjunctio & compoſitio facta in rebus ipſis non eſt. Quia voluntatis affectus ſive aſſenſus, quem verbo ſignificamus inter affirmandum, non habet in

ſe

ſe id quod dici poſſit ad res pertinere; verum tota atque omnis in ſermone rei ſignificatio vel qualitatis in re, ſecundum intellectum in Nomine eſt, de quo poſtea videbimus. Et ſic ſatis manifeſtum putamus, quâ ratione propria verbi ſignificatio quod vocant ſubſtantivum, dici poſſit vera non eſſe, quando tranſlata ad res intelligitur: atque hanc non veram ſignificationem numeramus in ſeptimo ordine.

LXXV. *Horum confirmatio ex Ariſtotele, atque uberior explicatio.*

Atque in his multum nos Ariſtoteles juvat,& confirmat ſententiam noſtram, quando ſic loquitur Libro de Interpretatione cap. 3. *Neque enim eſſe & non eſſe eſt ſignum rei, ne quidem ſi ipſum Ens dixeris nudum, id enim nihil eſt.* Qua ratione nos quoque diximus verbum non ullius rei vel qualitatis in re ſignum eſſe. Et quando ſic pergit, *ſed compoſitionem quandam adſignificat*, pariter non in re compoſitionem intelligit, ſed in ſermone & cogitatione. Si quidem res poteſt una & ſimplex, poteſt aliter compoſita eſſe, neque unquam ea in rebus compoſitio invenitur, quam nominis & verbi conjunctio inter affirmandum facit. Qua ratione prima compoſitio, quam uno nomine facimus atque uno verbo *Eſt ſecundi adjecti*, ut *Eſt homo*, Ariſtoteli quoque *prima affirmatio* dicitur, quæ in nobis eſt promota cogitatio, primo & ſimpliciſſimo modo, ab intellectu ad voluntatem, quam promotam atque ita compoſitam cogitationem prima nominis & hujus verbi conjunctio ſignificat. Qua de cauſa, quando dicimus, *Homo eſt juſtus*, duobus nominibus cum verbo *Eſt tertii adjecti*, ut compoſitio ita affirmatio ſecunda erit. Et hanc nos ſecundam affirmationem ejuſdem putamus naturæ & conditionis cum prima eſſe qua exiſtentiam affirmamus, niſi quod, prima ſimplex, ſecunda compoſita ſit. Quandoquidem

dem hominem ſimpliciter eſſe, prius cogitare ac dicere neceſſe eſt, quam poſſit dici atque cogitari accedere ad hominem hoc quod juſtus ſit & eſſe quoque juſtitiam in homine: Nam non entis nullæ qualitates ſunt. Verum quia, ut faciamus compendium ſermonis, communiter ita non diſtinguimus primam & ſecundam affirmationem, & utramque uno verbo comprehendimus, quo duo nomina copulamus, ut verbum videatur copula tantum eſſe; facile in hunc errorem incidimus, quod tantum una & ſimplex affirmatio ſit, quæ compoſita eſt ac poteſt in duas reſolvi, & quod alia ſit quam exiſtentiæ affirmatio. Attamen etiam neceſſe non eſt, hæc duo, *eſſe hominem* & *eſſe juſtum*, ſic duplici affirmatione duobus ſeparatim verbis exprimere, ſiquidem *homo juſtus* poſſunt in unum cogi atque uno verbo *Eſt* una de iis conjunctim affirmatio intelligi, ſi dicas *Eſt homo juſtus*. Verum ea tum affirmatio iterum prima & ſimplex erit per Eſt ſecundi adjecti, quo omnes concedunt exiſtentiam affirmari propria verbi ſignificatione. Nec dubitari poteſt, quin cum uno & ſimplici intellectu, quo plura in unum cogimus, poſſit ac debeat conjuncta eſſe una & ſimplex affirmatio quæ non alia quam exiſtentiæ intelligitur. At ſicut in communi ſermone inter homines, non iſte unus & ſimplex, ſed multiplex & compoſitus intellectus eſt, quo primum ſuppoſita multiplicamus, & tum quoque appoſita ab iis diſtinguimus; ſimiliter affirmatio multiplex & compoſita eſt. Et tum quidem, quando plus quam una affirmatio ſimplex eſt ſuppoſiti, ut; *eſt anima*, *eſt corpus*, *eſt homo*, manifeſtum eſt non aliam quam exiſtentiæ affirmationem intelligi, quæ in ſe una & ſimplex cum ſit, multiplex & diverſa videtur, ut ſunt ſuppoſita, quæ affirmantur diverſa. Affirmatio autem appoſiti, quæ videtur compoſita eſſe, eo quo dictum fuit modo,

in

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

in duas reſolvenda, atque etiam ad unam ſimplicem reducenda eſt, ſiquidem Affirmare appoſitum de ſuppoſito, eſt cogitare ea unum eſſe atque ea ut unum affirmare, ſicut Negare eſt cogitare ea unum non eſſe, ſed plura ſeu diverſa, quæ affirmatio quaſi tacita plurium ſive diverſorum, fundamentum eſt antecedentis negationis. Atque hoc ipſum etiam Ariſt. nos docet, IX Metaph. cap. 10. quando dicit, *Eſſe quidem eſt componi & unum eſſe, non eſſe vero, non componi, ſed plura eſſe.*

LXXVII. *Juncta cum affirmatione exiſtentiæ modorum ſignificatio, quâ etiam nihil rebus accedit.*

Atque hæc eſt pura & ſimpliciſſima Verbi ſignificatio quod vocant ſubſtantivum, qua ſignificatione tantum eſt nota affirmandi ſive amplectendi voluntatis aſſenſu, id quod intellectus percipit ſimplici ſenſu. Tam pura & ſimplex ſignificatio non eſt, quando accedit Modorum, Perſonæ, Numeri & Temporis conſideratio. Quæ partim ex terminatione, ut, *ſum, es, eſt, fui, ero, eſto, ſim, eſſem,* &c. partim ex appoſito alio ſigno intelligimus, qualia in perſonis ſunt, *ego, tu, ille, vos, illi,* &c. Et primum quidem facile intelligimus non eſſe ſignificationem in *Modis*, quæ magis quam exiſtentiæ affirmatio, debeat tranſlata ad res intelligi. Atque id nos docent imprimis nomina modorum, *indicativus, imperativus, optativus, ſubjunctivus*, quippe quæ cogitationem in animo ſignificant, qua indicamus, imperamus, optamus, unam orationem alteri ſubjungimus, &c. Nam harum tantum cogitationum in animo, notæ ſunt in modis iſtis, conjunctæ quidem in animo cum nota affirmandi, quæ alia in imperativo, vel optativo, quam indicativo modo intelligitur, hinc vero modorum conjunctio facta cum rebus non eſt extra cogitationem.

LXXVIII. *De perſona, numero & tempore oſtenditur, quod eorum ſignificatio, quæ propria verbi eſt, non debeat tranſlata ad res intelligi.*

Similiter in rebus non invenitur id quod in verbo *Perſonam* facit. Quanquam enim res ſint quæ induunt ſive aſſumunt perſonam, idcirco diſtincta in rebus qualitas perſonæ non eſt, ſed accipiunt res qualitatem iſtam, quando affirmationis ſubjectum fiunt, atque affirmatio relatè ad ſuppoſitum intelligitur in ſermone & cogitatione. Siquidem triplex inter affirmandum ſuppoſiti conſideratio, aut ſi mavis, triplex relatio verbi ad ſuppoſitum, tres perſonas facit, primam quæ ipſa loquitur & cogitat de ſe, quando vel ſuppoſitum tantum vel aliud de eo appoſitum affirmat, ſecundam, cum qua ſive ad quam; tertiam de qua ſe cogitat loqui. Neque adeo ſine cauſa doctiores grammatici advertunt, perſonam quæ prima ſecunda & tertia dicitur, adeo propriam verbi eſſe, ut non debeat nominibus tribui, niſi quando affirmationis ſubjectum in oratione ſunt. Ita unum quidem nomen ſive pronomen *ego*, primæ, alterum *tu*, ſecundæ, cætera vero omnia nomina quæ infinita ſunt, Petrus, Paulus, lignum, lapis, &c. cenſentur tertiæ perſonæ, ſed verbalis ut loquuntur, ſive relatè ad verbum & conjunctim cum verbo, quod inter affirmandum atque in ipſa affirmatione cum nomine qualitatem perſonæ communicat, quæ nulla in rebus eſt. Cum perſona in verbo *Numerus* cohæret ſingularis & pluralis, atque in quibusdam linguis etiam dualis. Numerus autem ita conjunctim cum perſona ſignificatur una verbi terminatione vel appoſito alio ſigno, ut neque perſona ſine numero, neque numerus ſine perſona intelligatur, ſitque adeo numerus perſonalis, quando dicimus *homo eſt*, *homines ſunt*, *ego ſum*, *nos ſumus*, &c. Et quanquam forte res ſint quæ in ſingulari, duali & plurali

numero affirmantur, hæc ipſa præciſè diſtinctio non tam à rebus, quam à cogitatione eſt, quâ inter affirmandum ita à nobis diſtinguitur numerus, & numerum ita determinamus. Atque id vel ex eo probatur & multum confirmatur, quod unum & idem à parte rei ſubjectum, tam poſſit in alio numero, quam in alia perſona affirmari. Sicut enim ipſi de nobis loquimur & verbo affirmamus in perſona prima, alii ad nos in ſecunda, de nobis in tertia, atque hac ratione una res ſive unus homo qui ego ipſe ſum, triplicem à verbo perſonam accipit, quæ omnes poſſunt permutari: ita de una & eadem re unus in ſingulari, alius in plurali numero loquitur, ut jam de numero non dicam duali, qui in aliquibus linguis à plurali diſtinguitur. Verbum denique, quando nos eo affirmamus exiſtentiam ſuppoſiti vel appoſiti, *Tempus* ſignificat, ſive ut Ariſt. loquitur, *adſignificat*. In quo etiam non invenitur, quod dici poſſit ad res pertinere ſive de quo vera ſit ſignificatio ad res tranſlata extra ſermonem & cogitationem. Quia quanquam forte res ſint quas affirmamus cum temporis deſignatione, quod præcipue in præſens, præteritum & futurum diſtinguimus, idcirco ipſum per ſe tempus atque ea definitio temporis non pertinet ad ſubſtantiam vel qualitatem rei, verum hæc omnia in cogitatione inter affirmandum & tantum conjuncta cum affirmatione ſunt, eo fere modo quo de numero & perſona diximus. Qua de cauſa, ſicut numeri & perſonæ ita temporis ſignificatio atque deſignatio propria verbi eſt, atque eo prorſus modo quo eſt perſona in nomine verbalis, ſive conjunctim cum verbo tantum, ita tempus, quando nomen cum verbo jungitur, verbale intelligitur propria verbi ſignificatione, quæ propria verbi ſignificatio, tranſlata ad rem errorem parit, id quod §. LXXV. & LXXVI, monuimus atque ex Ariſtotele

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

confirmavimus: quod ex iis quæ non uno loco dicemus, porro manifeſtum fiet.

LXXIX. *Affirmatio exiſtentiæ quæ verbo ſubſtantivo intelligitur, prima de apparentibus in ſenſu.*

Affirmatio exiſtentiæ quæ ſic verbo comprehenditur ſubſtantivo, triplicem intellectum habet, quem non tam poſſumus in communi ſermone, quam in philoſophia diſtinguere: quia in communi ſermone exiſtentiæ affirmatio de ſuppoſito atque appoſito, fere ſine diſtinctione intelligitur. Primus inter affirmandum intellectus de *apparentibus* in ſenſu eſt, non conſiderando, an ſint, an non ſint extra ſenſum. Veteres τὰ φαινόμενα vocant, nos ea quoque cum Ariſtotele, *ſpecies* in ſenſu & *paſſiones* in anima vocavimus. Ut ſi dicam, vel ſimpliciter ſine appoſito, *eſt dolor, voluptas, fames, ſitis, calor, frigus, lumen, color, ſonus, odor, ſapor*, vel cum appoſito, *eſt ſapor dulcis, color albus, ſonus acutus*, quæ talia tantum ſecundum ſpeciem in ſenſu ſunt; eaque ſpecies, quando præſens eſt, impellit nos ad affirmandum quod ſit; item *eſt ſol, cælum, terra, ignis, aqua, domus, mola, templum*, vel *ſol eſt lucidus, ignis calidus*, quæ ex parte quidem ſunt extra ſenſum, quatenus corpora ſunt, & tamen etiam communiter ſecundum ſpeciem in ſenſu affirmantur, ſive ſuppoſita, ſive appoſita ſpectes.

LXXX. *Affirmatio ſecunda, de cogitatis in intellectu.*

Similiter ſecundus inter affirmandum intellectus dici poteſt de *cogitatis* eſſe, non conſiderando an ſint an non ſint extra cogitationem. Et quidem de cogitatis tantum affirmatio eſt in generalibus iſtis quæ de omni rerum genere intelliguntur fere ſine diſtinctione, *ens, unum, verum, bonum, neceſſarium, contingens, ſubſtantia, accidens, quantitas, qualitas, cauſa, effectum, totum, pars*, & talia quæ Metaphy-

taphyſici attributa entis vel etiam medium inter ens & nihil, Logici prædicamenta, prædicabilia, affectiones, notiones ſecundas, atque etiam una voce τὰ κατηγορȣ́μενα vocant, quorum numerus infinitus eſt. Sed verò communiter non obſervant Logici & Metaphyſici, præter generalia iſta innumera particularia eſſe, quæ quidem ſecundum cogitationem atque in cogitatione rebus accommodata, hinc vero in rebus ipſis non ſunt extra cogitationem: ut *diviſibile*, *indiviſibile*, *mortale*, *dives*, *pauper*, *dominus*, *ſervus*, *æquale*, *inæquale*, *magnum*, *parvum*, & talia, quatenus rerum inter ſe habitudines & relationes multiplicemque de iis cogitationem ſignificant, quæ etiam infinita ſunt. De quibus idcirco omnibus, tam particularibus, quam generalibus iſtis, in animo & cogitatione quidem, non verò pariter extra cogitationem affirmatio poteſt vera eſſe, tum prima ſuppoſiti, *eſt ſubſtantia*, *accidens*, *totum*, *pars*, *diviſibile*, *indiviſibile*, *mortale*, tum ſecunda appoſiti, *ſubſtantia eſt res per ſe ſubſiſtens & ſubſtans accidentibus*, *corpus eſt diviſibile*, *anima indiviſibilis*, *homo mortalis*, *dives*, *pauper*, *dominus*, *ſervus*. Hæc inquam omnis affirmatio quæ etiam exiſtentiæ eſt, tam in appoſitis quam in ſuppoſitis, intelligenda ſecundum cogitationem tantum, & regula communis, *Multa dicuntur de ſubjecto quæ non ſunt in ſubjecto*, tam in particularibus quam in generalibus iſtis vera eſt, quando modus eſſendi, ut ſæpe fit, extra cogitationem intelligitur.

LXXXI. *Affirmatio tertia, de rebus extantibus extra ſenſum & intellectum, quæ valde confuſa eſt.*

Quibus ita poſitis, difficile non eſt invenire tertium atque ultimum intellectum in affirmando, qui ad res extantes atque earum rerum qualitates ſe extendit. Cujuſmodi res extantes communi conſenſione atque accommodate ad

communem ſenſum, primum *nos ipſi ſumus*, *tum alii homines*, & ſic porro *animalia*, *plantæ*, atque *omnia corpora* alia, quorum complexio *mundum* facit in quo iſta omnia ſunt. De quibus idcirco, ut jam de aliis non dicam, quæ magis ſimplicia ſunt, ut *magnitudo*. *figura*, *motus*, *triangulus*, *circulus*, *globus*, *cubus*, triplex poteſt affirmatio intelligi, una quæ de ſpecie in ſenſu & paſſione, altera quæ de idea in intellectu & cogitatione, tertia quæ de rebus extantibus vera eſt. Et quidem prima & ſecunda affirmatio ſimpliciſſima eſt ac poteſt ſine tertia conſiſtere, tertia magis compoſita, quæ ſine prima vel ſecunda non conſiſtit; quandoquidem res extantes extra nos aliter non poſſumus affirmare quam ſecundum paſſionem vel cogitationem quæ in nobis eſt. Notandum ſolummodo id quod jam diximus, multa ſecundum paſſionem vel cogitationem in nobis eſſe, quæ pariter in rebus extantibus non ſunt extra nos. Notandum præterea, eorum quæ vel in apparentibus aut cogitatis tantum, vel etiam in rebus extantibus ſunt, affirmationem ſæpius uno verbo conjunctam intelligi, quia conjuncta iſtorum ſignificatio in uno ſuppoſito eſt vel appoſito. Quæ obſervatio quamquam ſumme utilis & neceſſaria ſit ad verum à falſo diſtinguendum, eam hoc loco latius non deducimus, tum quia ex antedictis utcunque intelligi & aliquibus ſaltem exemplis confirmari poteſt, tum quia verus horum omnium intellectus petendus ex prima philoſophia eſt. Præterquam quod omnis iſta inter affirmandum confuſio, atque veri & falſi permiſtio, non tam in Verbo ſit, de cujus jam propria ſignificatione loquimur, quam in Nomine. Siquidem verbi ſignificatio, ut §. LXXV. oſtendimus, una & ſimplex & ſatis diſtincta eſt, atque intelligitur ſine errore & confuſione, quando nominis ſignificatio diſtincta eſt, ut poteſt eſſe vel ſecundum paſſionem in ſenſu,

ſu, cum dico *dolor*, *calor*, vel ſecundum cogitationem, cum dico *triangulus*, *circulus*, *cubus*, *globus*, & talia, ſecundum abſtractionem intellectus. De his inquam atque omnibus aliis, quæ ſimiliter diſtincta & ſimplicia ſunt, una & ſimplex poteſt affirmatio intelligi, ſine confuſione atque veri cum falſo permiſtione. Sed vero in compoſitis, *homo*, *animal*, *ſol*, *cœlum*, *terra*, quando de iis affirmatio intelligitur, error & confuſio eſt. Quandoquidem ea quæ in his, vel apparentia, vel cogitata tantum ſunt, à vere extantibus non diſtinguimus, verum ſub & cum una generali & confuſa notione *Entis*, ſive rei aut qualitatis in re, quæ toto genere diverſa ſunt, ſine diſtinctione affirmamus in compoſitis iſtis, ac ſi ſimplicia ſint, non cogitando de ea quam nos jam conſideramus, compoſitione, ut non tam in rebus extantibus quam in dictis & cogitatis invenitur. Hæc adeo male compoſita notio rei exiſtentis, tum generalis omnino, cum dico *Ens*, tum ſpecialis, cum dico, *homo*, *animal*, *ſol*, *luna* &c. mille errores parit in philoſophia, quando, ut communiter fit, in iſta confuſione diſtinctam putamus veritatem eſſe, de uno genere eſſendi inter affirmandum. Quem ſuo loco videbimus, non tam Ariſtotelis, quam Ariſtotelicorum, quos ſcholaſticos vocant, errorem fuiſſe, quo illi Philoſophiam in alienos ſenſus, qui Ariſtoteli in mentem non venerunt, ſenſim & ſine ſenſu, ita detortam atque depravatam nobis dederunt, ut his temporibus videatur facta inutilis eſſe.

LXXXII. *Summa eorum quæ dicenda ſuperſunt de Nominis & Verbi ſignificatione, in ſeptimo & octavo ordine.*

Sic fuit una valde ſimplex ſignificatio in verbo ſubſtantivo, quam numeramus in ſeptimo ordine, quatenus animi actum & cogitationem ſignificat, atque ea ſignificatio tranſlata ad rem errorem parit, quoniam res non habet

in ſe-

in ſe quod intelligitur propria hujus verbi ſignificatione, verum tota atque omnis de re ſignificatio propria nominis eſt. Qua ratione advertimus Ariſtotelem recte dixiſſe: *Eſſe non eſt ſignum rei.* Quia verò addit Ariſt. *ſed compoſitionem adſignificat quam non licet ſine compoſitis intelligere*, non potuimus propriam verbi ſignificationem ſine nomine intelligere, cum quo verbum in ſermone & cogitatione compoſitionem facit, quæ tamen compoſitio in rebus non eſt, ſi verbi ſignificatio atque propria notio non pertinet ad res, verum referenda ad animum eſt. Sequitur alia ſignificatio ſeptimi ordinis in Verbis omnibus aliis, & adhuc alia in Nominibus. Præterquam quod in Nominibus multiplex ſit ſignificatio octavi ordinis, atque ea etiam poſſit in aliis *Verbis* eſſe, quæ *adjectiva* vocamus, in quibus ſignificatio nominis eſt conjuncta cum verbi ſignificatione ſive ad verbi ſignificationem accommodata ſecundum terminationem quæ verbi propria eſt. Sed vero propter hanc adeo confuſam & miſtam ſignificationem ratio ordinis, obſcura & incerta eſt in vocibus ſeptimi & octavi ordinis, ut partim Nomina, partim Verba ſunt; ac præterea ſeptimi & octavi ordinis ſignificatio ſæpius conjuncta quam ſeparata intelligitur.

LXXXIII. *Propria Nominis ſignificatio de Re tres facit ordines ſecundum paſſionem, tres ſecundum cogitationem, partim verâ partim falſâ ſignificatione.*

Et primum quidem ex dictis manifeſtum eſt, Nomen eam partem orationis eſſe, quæ Rem ſignificat vel qualitatem in re, de qua, quando verbum accedit, affirmatio intelligitur. Verum hac adeo generali notione ſive ſignificatione, quæ una & confuſa eſt, nomina omnia in uno ordine non numeramus, ſed in diverſis ordinibus, puta in ordine ſecundo propria nomina paſſionum ab interna cauſa,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

ſa, quæ per errorem poſſunt noſtro corpori tribui, ut *lætitia*, *triſtitia*, *dolor*, *voluptas*, *fames*, *ſitis*; in ordine tertio nomina paſſionum ab externa cauſa, ut *calor*, *frigus*, *lumen*, *color* & talia, quæ per errorem videri poſſunt nomina qualitatum extantium in corporibus aliis eſſe; in ordine quarto, nomina paſſionum ab externa cauſa, quorum ſignificatio cum aliquâ veritate poteſt de noſtro vel alio corpore intelligi, ut quæ *magnitudinem*, *figuram*, *numerum*, *motum*, *quietem*, atque etiam *tempora* ſignificant ſecundum ſpeciem in ſenſu, quæ de his partim vera partim falſa eſt. Atque ſimiliter ulterius progrediendo, numeravimus in ordine ſexto nomina cogitationum, ut in nobis ad animum referuntur, atque ſpectantur ut actus animi, fere ut paſſiones ab interna cauſa; & ſic porro in ordine ſeptimo cœpimus numerare nomina cogitationum, quæ per errorem poſſunt de aliis rebus extantibus intelligi; in ordine octavo nomina cogitationum, quæ de aliis extantibus rebus vera ſunt.

LXXXIV. *Nominis ſignificatio de Re intelligitur, quam eſſe ſupponimus, propter conjunctam cum nomine verbi ſignificationem, tacitè.*

Ut autem perſpicuè intelligamus quod hactenus ſatis clarum non eſt, qua ratione dicatur nominis ſignificatio vera vel falſa per omnes ordines, atque etiam in ſeptimo & octavo, qui de rebus extantibus ſecundum cogitationem intelligitur, cum videatur ratio veri & falſi ſine verbo non conſiſtere: Notandum, revera eſſe in omni nomine quandam verbi ſignificationem, quatenus non conſiſtit prima Rei notio atque nominatio ſine exiſtentiæ affirmatione, quam diximus verbo ſignificari. Hoc ſolum intereſt, quod exiſtentiæ affirmatio verbo expreſſa, nomine autem ſuppreſſa ſit, non tam expoſita in ſermone quam ſuppoſita. Attamen hanc ſuppoſitionem ſive anticipationem de Rei

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

quam nomen ſignificat exiſtentia, putamus non tam à propria nominis quam verbi ſignificatione eſſe, quæ conjuncta fuit in prima notione atque nominatione rei. Quandoquidem propria nominis ſignificatio ſeparata quantum poteſt ſeparari, omnino ſimplex, abſoluta & in ſolo per ſe Rei intellectu eſt, cum propria verbi ſignificatio referenda ad voluntatem ſit, in qua non eſt quicquam, quod cum ratione dici poſſit ad rem pertinere, quam ſignificat nomen, ſive voluntas, ut hic facimus, in actu primo ſimpliciſſimo circa verum quod affirmamus, ſive in actu ſecundo magis promoto, circa bonum quod amamus, ſpectetur. Quia vero tam in nobis natura cum rei intellectu ſive ſimplici ſenſu qualemcunque voluntatis aſſenſum, quam cum aſſenſu voluntatis ſimplicem in intellectu ſenſum junxit: ſimiliter juncta poteſt ſignificatio eſſe tam in Nomine quam in Verbo, juxta primam & veriſſimam regulam ſermonis atque interpretationis, *Eorum quæ conjuncta in cogitatione ſunt, una & conjuncta poteſt ſignificatio in vocibus eſſe.* Atque ideo cum Ariſtotele diximus, verbum quo affirmamus, ſine nomine non intelligi, quod in ſe habet ſubjectum affirmationis; & jam iterum dicimus ex oppoſito, nomen ſine verbo non intelligi, quia nomen de re intelligitur quam eſſe ſupponimus, atque ſine hac ſuppoſitione nominis ſignificatio plena & perfecta non eſt: Quanquam, quod notandum, ſit quædam propria & primaria nominis & verbi ſignificatio, una ſecundum intellectum, alia ſecundum voluntatem, quæ ſeorſim ſpectanda atque una ab altera ſeparanda eſt quantum poteſt ſeparari. Quia *eorum quæ conjuncta ſunt tam poteſt diſtincta & ſeparata quam una & conjuncta ſignificatio intelligi.* Hunc nos diſtinctum intellectum conſideramus, quatenus proprius veræ philoſophiæ eſt. Extra philoſophiam, vel in communi

muni ſermone, vel in aliis diſciplinis, neque debent neque poſſunt hæc omnia ita diſtincte intelligi, ipſeque ille intellectus diſtinctus atque diſtinctus ſermo qui in Philoſophia laudabilis eſt, extra philoſophiam, ubi alio communiter intellectu atque alio ſermone utimur, laudabilis non eſt, quia confuſionem & mille errores parit: de quo plura diximus parte prima generali §. XIII.

LXXXV. *Omne Nomen de Re intelligitur quæ vere eſt, vel in apparentibus aut cogitatis tantum, vel etiam in aliis extantibus rebus.*

Quod jam porro attinet propriam ſignificationem nominis de Re aut qualitate rei quæ eſſe ſupponitur, nulla in eo difficultas eſt, ſi modo tres eſſendi ſive exiſtendi modos, duos in apparentibus & cogitatis, ſive in paſſione & cogitione tantum, tertium qui etiam de rebus aliis extantibus intelligitur, primum recte diſtinguamus, & tum quoque notionem Rei, quam nomina ſignificant, tam late accipiamus, ut hos omnes eſſendi modos pariter comprehendat, ſicut notio Rei tam late debet accipi, ſi velimus eâ omne nominis ſignificatum comprehendere. Ita enim perſpicue intelligimus, quod res ea aut qualitas in re, quam nomen ſignificat, ſi forte in extantibus non eſt extra nos, poſſit in apparentibus vel cogitatis eſſe in nobis, hoc eſt in paſſione aut cogitatione quam nomina primo & proprie ſignificant. Et, ſi in extantibus ad quæ ſignificatio poſtea tranſlata fuit, res aut qualitas forte inter ea non eſt quæ videmus, poterit de genere eorum eſſe quæ intelligimus, quandoquidem tam in nobis intellectus quam ſenſus poteſt rerum vere extantium eſſe, hoc ſolum cum diſcrimine, quod ſenſus corporalia tantum, intellectus corporalia atque incorporalia attingat. Et ſic demum clariſſime intelligimus, Rei omnino non exiſtentis in nobis vel extra nos, nomen non eſſe, atque ideo omne nomen, cujus aliqua

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

ſignificatio eſt, ut debet eſſe, ſi nomen ſit, de Re exiſtente intelligi & quæ ſupponitur eſſe.

LXXXVI. *In recto uſu ſermonis Cicero in Topicis loquitur de nominibus rerum quæ non ſunt: & quis poſſit hujus ſermonis abuſus eſſe.*

Id quod adeo manifeſtum eſt de nominis ſignificatione, quam dico non poſſe de re omnino non exiſtente intelligi, non advertimus communiter; quia ita non diſtinguimus rei notionem, atque omnem in re quam nomina ſignificant modum eſſendi non conſideramus, ſed eum præcipuè quo quid in apparentibus eſt & ſecundum ea videtur in rebus extantibus eſſe quæ corpora ſunt. Putare autem, omnino non eſſe, quæ iſta conſideratione non ſunt, eſt communi hominum ſermone abuti; quandoquidem dicta ſecundum quid & certo tantum reſpectu in recto uſu ſermonis, abſolute & ſimpliciter dicta ſupponimus, qui ſermonis abuſus eſt. Quæ obſervatio de uſu & abuſu ſermonis, quia alicujus momenti eſt, lubet eam authoritate Ciceronis confirmare: quia authoritas forte magis quam ratio movebit. Atque ille primum quidem in Topicis quæ ad Trebatium juriſconſultum ſcripſit accommodate ad juris ſcientiam, de eo quod in recto uſu ſermonis *eſſe* dicimus vel *non eſſe*, atque adeo de nominibus rerum quæ ſunt vel non ſunt, his verbis mentem expoſuit. *Definitionum autem duo ſunt genera prima; unum earum rerum quæ ſunt, alterum earum quæ intelliguntur. Eſſe ea dico quæ cerni tangive poſſunt, ut fundum, ædeis, parietem, ſtillicidium, mancipium, pecudem, ſupellectilem, penus, & cætera, quo ex genere quædum interdum nobis definienda ſunt. Non eſſe rurſus ea dico, quæ tangi demonſtrarive non poſſunt, cerni tamen animo atque intelligi poſſunt: ut ſi uſucapionem, ſi tutelam, ſi gentem, ſi agnationem definias, quarum rerum nullum ſubeſt quaſi corpus, eſt tamen quædam conformatio inſignita & impreſſa*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

preſſa in intelligentia, quam notionem voco: ea ſæpe in argumentandi definitione explicanda eſt. Ex hoc inquam loco Ciceronis manifeſtum fit, quod quidem nomina rerum ſint, quas dicere poſſumus non eſſe, quatenus non ſunt in apparentibus, ſive ut Cicero loquitur in iis quæ cerni tangive poſſunt, idcirco tamen dici non debent, omnino non eſſe, quia ſaltem in cogitatis ſunt, ſive ut Cicero loquitur, in iis quæ intelliguntur, quæque ſecundum propriam & particularem in intellectu notionem definiuntur, atque una ab aliis diſtinguuntur. Quæ definitio atque diſtinctio intelligi non poteſt de iis quæ omnino non ſunt. Ut jam non dicam, ea quæ omnino non ſunt, non poſſe in rebus numerari: Cicero tamen ea quæ dicit non eſſe, in rebus numerat, quas res putare omnino non eſſe, quia iſto modo non ſunt de quo cogitamus, & loquimur præcipuè, & qui magis afficit nos; eſt communi conſuetudine ſermonis abuti, quia ſermo communis non tam de rebus ut ſunt, quam de animi affectu & ſenſu intelligitur. Secundum hunc animi in nobis affectum atque ſenſum multa etiam pro nihilo habemus quæ vere ſunt aliquid, quia id non ſunt, quod deſideramus: *interim fiet aliquid ſpero*, ait unus apud Terentium, cui alter reſpondet, *Hoc aliquid nihil eſt*, *aliquid boni* intelligens, quod non ſperandum putabat, & futurum non credebat.

LXXXVII. *De abuſu ſermonis, quo fit ut videantur nomina rerum non exiſtentium eſſe, locus Ciceronis ex libro de Fato: ex quo loco generalis regula colligitur inveniendi rem exiſtentem in nomine.*

Verum de hoc abuſu ſermonis qui mille errores parit, iterum lubet Ciceronem adire, cujus hæc verba in Libro de Fato legimus. *Communi igitur conſuetudine ſermonis abutimur, cum ita dicimus, velle aliquid quempiam aut nolle ſine cauſa. Ita enim dicimus ſine cauſa, ut dicamus ſine externa*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

& *antecedente cauſa, non ſine aliqua. Ut cum vas inane dicimus, non ita loquimur ut Phyſici, quibus inane eſſe nihil placet; ſed ita ut verbi cauſa, ſine aqua, ſine vino, ſine oleo, vas eſſe dicamus. Sic cum ſine cauſa animum moveri dicimus, ſine antecedente & externa cauſa moveri, non omnino ſine cauſa dicimus.* Quibus verbis, ſicut Cicero nos docet, ubi cauſa externa & antecedens non eſt, dici non debere quod cauſa omnino non ſit, & *fieri quicquam ſine cauſa, ne omnes à phyſicis irrideamur*, & ubi vas ſine aqua, vino vel oleo eſt, idcirco dici & cogitari non debere quod inane & omnino ſine corpore ſit: Ita ne nos Philoſophi irrideant qui altius rimantur iſta, putamus dici non debere, quando volumus ut Philoſophi loqui, quod rei omnino non exiſtentis ullum nomen ſit. Quia nomen non magis poteſt ſine rei exiſtentis ſignificatione, quam vas ſine comprehenſione corporis conſiſtere, atque ſicut in vaſe, quando unum corpus non eſt, intelligitur aliud eſſe, & vas ſolum dicitur inane, quia corpus de iſto genere non eſt in vaſe, quod eſſe debere cogitamus; ita in nomine, quando ſignificatio rei unius non eſt, intelligi debet rei alterius ſignificatio, & nomen dicitur tantum rei non exiſtentis, quod quaſi inane ſit, non quia res omnino non eſt quam ſignificat, ſed quia de genere earum rerum non eſt, quæ communi conſuetudine ſermonis præ aliis nominantur & numerantur in rebus. Ut concludere liceat hac una *generali regula*, qua putamus in omni nomine poſſe rei alicujus exiſtentis ſignificationem inveniri: *Quando in nomine res una vel unus eſſendi modus ſeponitur ſive removetur, alius ſupponitur, neque adeo unquam à nomine ita removetur omnis res atque omnis univerſim modus eſſendi, ut non ſupponatur vel ſuperſit quicquam, de quo poſſit ac debeat intelligi ſignificatio nominis.* Eo fere modo quo in corpore non ſic removetur & abeſt omnis for-

ma,

ma, quin aliqua ſuperſit, quia una alteri ſuccedit, atque ut Phyſici loquuntur, *corruptio unius eſt generatio alterius.* Quanquam per errorem videri poſſit perire & abeſſe omnis forma in corpore, quando una perit, atque ita corruptio unius communiter non videatur & non dicatur ſemper eſſe generatio alterius, ut quidem Philoſophi cum veritate hoc dicunt. Quandoquidem ea quæ verè fiunt & ſunt, tam in corruptione quam in generatione, pariter in rebus extantibus non numeramus, atque ea pariter ita non afficiunt nos, ut nomen acceperint, inter extantes res.

LXXXVIII. *Applicatio iſtius regulæ ad nomina rerum quas dicimus non eſſe, quibus tamen comprehenſa non eſt rei exiſtentis remotio, ſed poſitio in cogitatis vel apparentibus.*

Quando dico *non poſſe removeri omnem rem exiſtentem à nomine*, remotio ſive negatio duobus poteſt modis accipi, vel extra vel intra ſignificationem nominis. Primum enim valdè multa nomina ſunt, quæ nos in ſexto & ſeptimo ordine numeramus, quorum propria ſignificatione comprehenſa non eſt rei exiſtentis remotio ſive negatio ſed poſitio ſive affirmatio tantum. Quas res quando cum Cicerone dicere volumus, *non eſſe, quatenus cerni & tangi non poſſunt & nullum ſubeſt quaſi corpus, ut ſi uſucapionem, ſi tutelam, ſi gentem, ſi agnationem definias*: dictio *quod res iſtæ non ſint*, primum extra ſignificationem nominis eſt, & tum quoque attendenti ad vim dictionis, manifeſtum fit, eâ dictione non intelligi quod res non ſint abſolute & ſimpliciter atque in ſenſu diviſo, intelligendo *non eſt in ſecundo adjecto*, de primo & ſimpliciſſimo modo eſſendi in cogitatis, qui ita ſupponitur ſive affirmatur in omni nomine, ut non poſſit ſine contradictione negari ſive removeri; verum comparate atque in ſenſu compoſito, intelligendo *non eſt in tertio adjecto*, de modo eſſendi conjuncto ſive com-

compoſito, qui ſicut non ſupponitur in omni nominis ſignificatione, ita ſine contradictione negatur. Qua ratione recte quidem dico, *non eſt uſucapio res quæ tangi demonſtrative poſſit, ſive uſucapio non eſt corpus*, ſicut Cicero *non eſſe* intelligit in his, appoſitum quod ſuppreſſum intelligitur, de ſuppoſito negando: non autem recte dico *uſucapio non eſt*, ſimpliciter negando ſuppoſitum. Quia hoc ipſo quod uſucapio nominatur, atque etiam inter homines exercetur, eſſe ſupponitur, & ſine hac ſuppoſitione, quæ ſuppreſſa affirmatio eſt, neque exerceri uſucapio, neque intelligi ſignificatio nominis poteſt. Eſt verò notatu dignum, quod hic dicimus de ſuppoſito in cogitatis, uno & ſimplici modo eſſendi, ſimiliter dici poſſe de ſuppoſito in apparentibus, in quo ſimiliter unus & ſimplex modus eſſendi invenitur; ut *fames*, *ſitis*, *dolor*, *voluptas*, *calor*, *frigus*, *lumen*, *color*, *ſonus*, *odor*, *ſapor*, item *motus*, *quies* & talia, quatenus hæc nomina paſſionum ſunt, in ſecundo, tertio vel quarto ordine. Nam hæc etiam vere ſunt, ſaltem in apparentibus, id quod ſecundum ſpeciem ſive paſſionem in ſenſu nominibus ſuis ſignificantur & ſupponuntur eſſe. Cumque adeo dicimus aliquando, quod iſta non ſint, dictio negans non intelligitur abſolute & ſimpliciter de ſuppoſito in apparentibus, quod non poteſt negari, verum comparate & ſecundum quid de ſuppoſito in extantibus, quod poteſt negari, quando, ut ſæpe fit, unus & alter modus eſſendi, in extantibus atque apparentibus, conjunctus non eſt.

LXXXIX. *Univerſim concluditur atque exemplis confirmatur, non poſſe de ulla re quam nomen ſupponit, verbo dici non eſt, niſi quando negatio in appoſito intelligitur.*

Quâ de cauſâ univerſim atque ſine dubitatione concludo, non poſſe de ulla re quam nomen ſignificat cum veritate

tate

tate dici *non eſt* in ſecundo adjecto. Adeo ut ſimplex negatio iſta, vel omnino abſurda, inuſitata & contradictoria ſit, vel quando in aliquibus abſurda, inuſitata & contradictoria non videtur, ut *chimæra non eſt*, quod dicimus communiter; *lumen, color aliaque apparentia non ſunt*, quod dictum ab antiquis philoſophis fuit; item *ſpatium imaginarium non eſt*, *atomi non ſunt*, de quo diſputant philoſophi; *antipodes non ſunt*, de quo olim fuit diſputatum; non ſimplex & abſoluta in ſecundo adjecto ſuppoſiti, verum compoſita & comparata in tertio adjecto appoſiti negatio relate ad ſuppoſitum intelligitur. Ut ſenſus ſit, chimæram quæ in cogitatis ſupponitur, rem apparentem vel extantem non eſſe, quod appoſitum, in ſimplici negatione *chimæra non eſt*, ſuppreſſum intelligitur; colorem, lumen, ſonum & talia in rebus extantibus non eſſe extra nos, id quod in nobis atque in apparentibus ſunt, neque aliud antiqui philoſophi intelligunt, quando τὰ φαινόμενα atque τὰ ὄντα opponunt, quæ pariter habent veritatem ſive exiſtentiam, ſed diverſam atque in diverſo genere entis; ſimiliter ſpatium quod ſaltem imaginarium in cogitatis ſupponitur, in rebus extantibus non eſſe, vel ſi ſit, hoc ipſum non eſſe inane atque imaginarium ſpatium; homines qui olim noti erant, antipodas, parva corpuſcula quæ nota ſunt, atomos non eſſe, & ſic de cæteris ſive veris ſive falſis. In quibus omnibus affirmatio ſive anticipatio antecedens in ſuppoſito, ratio negandi in appoſito eſt, quia non intelligitur unum ſive conjunctum appoſitum cum tali ſuppoſito, ſed diviſum atque omnino diverſum: juxta illud Ariſtotelis IX. Metaphyſ. cap. X. *eſſe quidem eſt componi & unum eſſe, non eſſe vero non componi ſed plura eſſe.* Ubi ille *eſſe & non eſſe* in tertio adjecto intelligit, & eſſe quidem, in unitate appoſiti cum ſuppoſitio quod eſt, non eſſe, in di-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

verſitate conſtituit appoſiti atque ſuppoſiti, quæ ſeparatim ut *plura* affirmamus quando ea conjunctim ut *unum* negamus.

XC. *Quando ſic videtur negari ſuppoſitum cum appoſito, confuſa & male compoſita nominis ſignificatio eſt, quam diſtinguimus, atque ita advertimus, omni nomine rem aliquam exiſtentem ſignificari.*

Quanquam vero appoſitum, propter quod videtur ſuppoſitum negari, ita in omnibus obvium vel expreſſum non eſt, ut quidem in aliquibus, intelligi debet ſuppreſſum vel implicitum ſuppoſito, ut confuſa & miſta atque male compoſita ſignificatio ſit, quæ ſeipſam evertit & contradictionem parit atque multiplicem errorem in communi ſermone ac diſputatione quæ ad illum accommodata eſt. Qua de cauſa nominis ſignificationem diſtinguimus, & modum eſſendi quo quid affirmamus vel negamus, unum conſtituimus in cogitatis, ſive ut Cic. loquitur *in iis quæ intelliguntur*, alterum in apparentibus quæ tantum ſentiuntur, tertium in iis quæ ſecundum apparentia & cogitata numerantur & nominantur in extantibus rebus. Et ſic demum ſublata difficultas & contradictio atque inventum remedium erroris eſt, quo communiter putamus, tam earum rerum quæ non ſunt quam quæ ſunt nomina eſſe. Quandoquidem hac diſtinctione poſita, primum confirmata & multum illuſtrata intelligitur regula generalis inveniendi rem exiſtentem in nomine, de qua ſub finem §. LXXXVII. diximus, *Quando in nomine res una vel unus eſſendi modus ſeponitur ſive removetur alius ſupponitur*, &c. Et tum quoque concluſio generalis, *Non poſſe de ulla re, quam nominis ſignificatio comprehendit, verbo dici non eſt, niſi quando negatio in appoſito intelligitur:* ut non tam contradictio ſit, quam de una re in uno modo eſſendi intelligimus, quam diverſa dictio, quam rerum diverſitas & diverſus in re quam

nomen

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

nomen ſignificat modus eſſendi parit. Atque tam concluſio quam regula generalis per omnia quæ allegavimus exempla perſpicuè probatur, quando advertimus quod affirmans dictio quidem ſine negante conſiſtat, non negans ſine affirmante quæ in nomine ſuppreſſa vel verbo expreſſa intelligitur. Quia negatio neque in animo intelligi neque in ſermone exprimi poteſt ita ut plenum ſenſum habeat, ſine antecedente vel conſequente affirmatione, ptopter quam & cum qua negatio vera intelligitur. Sicut antecedens affirmatio eſt, quando dico *chimæra* [*in cogitatis*] *non eſt* [*in extantibus*] At quando ſimpliciter dico *chimæra non eſt* [*in extantibus*] affirmatio quæ omiſſa ſive ſuppreſſa in antecedente fuit, addendo [*ſed in cogitatis*] expreſſa in conſequente intelligitur. Ac ſimiliter antecedens vel conſequens affirmatio in omnibus aliis ratio negandi eſt, quam nos affirmationem intra ſignificationem nominis ſpectamus ſuppreſſam, quando de re quam nomen ſignificat verbo dicimus *non eſt*. Atque per omnia quæ allegavimus exempla probatur, affirmantem ſignificationem tam in nomine appoſito quam in ſuppoſito inveniri, ut negatio verbo expreſſa cum nota negandi, omnino extra ſignificationem nominis ſit.

XCI. *Applicatio ſuperioris regulæ ad nomina, quibus comprehenſa eſt rei exiſtentis remotio ſive negatio.*

Conſequens eſt, ut de nominibus dicamus, quorum propria ſignificatione comprehenſa videtur rei exiſtentis remotio ſive negatio, atque oſtendamus, quæ tandem notio rei exiſtentis ſuperſit, quando intra ſignificationem nominis ſupponitur remotio ſive negatio rei. Ut ſine exceptione vera inveniatur regula generalis quâ putamus in omni nomine poſſe rei alicujus exiſtentis ſignificationem inveniri. Talia ſunt primum pauca generalia, *negatio*, *privatio*, deinde innumera particularia, partim ſimplicia, ut *coecus*,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

nudus, *pauper*, &c. partim compoſita cum præpoſitione *in* quæ vim habet negandi, ſicut in aliis linguis ſimiles aliæ particulæ ſunt quas grammatici *particulas privativas* vocant. Harum loco eſſe poſſunt notæ negandi, *non*, *ne*, quæ primum in particularibus negant, ut *non-doctus*, *ne-hilum*, deinde etiam videntur univerſim negare, ut *non-ens*, *nihilum*, *nihil*. In his inquam omnibus difficile non eſt, rei exiſtentis ſignificationem invenire quæ propria nominis eſt, ſi modo advertamus eandem hic cauſam erroris eſſe quæ in præcedentibus fuit, quod modum eſſendi non diſtinguamus, atque etiam male applicemus. Quo fit ut ſignificatio nominis quæ negata intelligitur in modo eſſendi uno atque de una re, videatur abſolute & ſimpliciter negata intelligi de omni re atque in omni modo eſſendi. Quod verum non eſt, primum quia in particularibus remotio ſive negatio rei unius debet conjuncta intelligi cum poſitione ſive affirmatione rei alterius, ut qui in extantibus, quæ corpora ſunt, negat rectum, affirmat curvum, atque ſine eo non intelligimus quid *non-rectum* ſit. Deinde quando rei alterius poſitio in particularibus tali pacto conjuncta non videtur, ſicut in ſimplici nota negandi *in*, *non*, *ne*, atque in nominibus generalibus *negatio privatio*, in his inquam ſignificatio intelligenda de cogitatis eſt.

XCII. *Quæ notio rei exiſtentis ſuperſit, in nominibus quibus comprehenſa eſt rei exiſtentis negatio.*

Primum ergo dicamus, nomina hæc, *negatio*, *privatio*, in nobis rem exiſtentem in cogitatis ſive modum cogitandi ſignificare quo appoſitum à ſuppoſito removemus, quod appoſitum quando tantum removemus, *negatio* dicitur, quando præterea cogitamus, id quod removetur, pertinere ad rem ſive cum re debere conjunctum eſſe, *privatio* vocatur. Quæ in his nominibus eſt ſignificatio ſexti ordinis vera &

ra & diſtincta de ſolo per ſe animi actu, qui ſpectatur ut res quam nomen ſignificat. Poteſt vero in his nominibus etiam per errorem ſupponi ſignificatio ſeptimi ordinis falſa & confuſa, tranſlata ad aliam rem in nobis vel extra nos, cum debeat tota ſignificatio in nomine *negatio*, *privatio*, *negativum*, *privativum*, &c. eo prorſus modo quo in *affirmatio*, *poſitio*, *poſitivum*, &c. ad animum referri atque intelligi de actu animi, quo negamus, &c. quem nos juxta cum illo quo affirmamus ad voluntatem referimus. Quandoquidem primus & ſimpliciſſimus voluntatis actus eſt, amplecti verum quod videmus in re, quam rem vel unum nomen in ſimplicibus, ut *corpus*, *cubus*, vel plura in compoſitis ſignificant, ut *corpus quadratum*; & tum quoque fugere falſum, quod non quidem in ſimplicibus attamen in compoſitis invenitur. Quia ſimplicia vere ſunt id quod dicuntur & ſignificantur eſſe nominibus ſuis, in aliquo ſaltem modo eſſendi; non autem omnia compoſita ſunt ut dicuntur & ſignificantur nominibus ſuis, quia ut ſupra oſtendimus, nominis ſignificatio ſæpe confuſa & male compoſita eſt ex iis quæ non cohærent & unum non ſunt in uno modo eſſendi. Dicamus præterea, notas negandi, *in*, *non*, etiam ſpectandas in animo eſſe atque intelligendas de actu animi, verum propria ſignificatione quinti ordinis, quæ comprehendit notas cogitationum inter loquendum, præpoſitiones, conjunctiones, adverbia, quorum ſignificatio diſtinguenda eſt à propria nominis & verbi ſignificatione, quibus loquimur. Verum, quia notæ cogitationum inter loquendum, atque inter eas *in*, *non*, haud ita ſeparatim ſed conjunctim cum nominibus & verbis intelliguntur inde compoſitis; hic intellectus, ut confuſus & conjunctus eſt, iterum parit ſignificationem ſeptimi ordinis, quæ ſignificatio, tranſlata ad rem quam nomen aut

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

verbum ſignificat, errorem parit. Qua ratione facilè intelligimus, id quod in his compoſitis particula privativa *in*, vel nota negandi *non*, *ne*, ſignificat, ſi dicam *non-juſtus*, *injuſtus*, *nehilum*, *nihil*; primum non inveniri in re quam ſignificant ſimplicia nomina *juſtus*, *hilum*, ſed in animo tantum hanc notam negandi conjunctam intelligi cum notione rei, quam rem nomen ſignificat ut exiſtentem vel extantem, atque per notam negandi iſta affirmans ſignificatio everſa intelligitur. Atenim ex ante dictis manifeſtum eſt, hac ratione negando quidem everti ſive removeri à nomine unam in particularibus rem in uno modo eſſendi, non autem poſſe omnem rem abſolute & ſimpliciter removeri, ut in extantibus particularibus alterum non ſuperſit (puta *curvum*, quando unum, puta *rectum* remotum eſt) atque ut in generali remotione omnis rei extantis, cogitata vel apparentia non ſuperſint. Atque eorum quæ ita ſuperſunt affirmans intellectus, non quidem diſtinctus & expreſſus, attamen confuſus & ſuppreſſus eſt, neque ſine eo negans ſignificatio habet plenum ſenſum ſuum. Quanquam per errorem negans intellectus videri poſſit habere plenum ſenſum, quia quando res una negatur, pariter non attendimus ad aliam rem quæ tum debet affirmata intelligi, quia iſta alia res pariter non afficit nos, ſicut §. LXXXVII. de rerum formis diximus in generatione & corruptione, atque de Terentiano *aliquid* & *nihil* §. LXXXVI. monuimus. Ex quo ſequitur perſpicue, etiam ſimplicia nomina privationum *coecus*, *nudus*, *pauper*, &c. ſine rei alterius exiſtentis poſitione ſive affirmatione non intelligi, quanquam hic intellectus communiter confuſus atque non tam expreſſus quam ſuppreſſus eſt. Quibus ita poſitis, id quod præcipue probare voluimus verum eſſe, his notatu valde dignis verbis ex Platone concludimus: *Animadvertis igitur*,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

tur, quod neque proferri, neque recte dici, neque cogitari non ens, ſecundum ſe ipſum poteſt, ſed incogitabile, ineffabile, inpronuntiabileque, & irrationale exiſtit: Quibus verbis ideo elegantibus Plato in dialogo, cui nomen *Sophiſta* dedit, ſophiſtarum, tam noſtri, quam ſui temporis, ineptis ſe cavillationibus atque erroribus opponit.

XCIII. *Concluditur, quod ſignificatio in Verbo quidem ſimplex & ſeparata, in Nomine autem compoſita atque cum Verbi ſignificatione juncta ſit.*

Sic inventa atque ex primis cauſis demonſtrata eſt ea in vocibus ſignificatio qua Nomen à Verbo diſtinguimus; quatenus Verbo propriè tantum ſignificatur animi affectus quo affirmamus, primo & ſimpliciſſimo actu voluntatis, Nomine res ea quæ affirmationis ſubjectum intelligitur, in nobis vel extra nos. Atque ideo diximus quod non debeat Verbi ſignificatio tranſlata ad Rem intelligi. Hoc ſolum intereſt, quod in Verbo hæc una tantum ſignificatio ſit, qua affirmamus, pura, ſimplex & ſeparata quantum potuit ſeparari ab iſtius Rei notione quam Nomen ſignificat; non autem pariter notio Rei in Nomine ſeparata intelligitur ab omni affirmatione. Quia Rem eſſe ſupponimus quando eam nominamus, & hæc ſuppoſitio qualiscunque affirmatio eſt, quam natura primum cum notione Rei in cogitatione, & tum quoque cum ſignificatione nominis in ſermone junxit.

XCIV. *Hinc ſequi videtur, quod Verbo opus non ſit ad affirmandum ſuppoſitum in uno Nomine ſeorſim, vel appoſitum in pluribus conjunctim.*

Hinc vero ſequi videtur, quod ſermo affirmans poſſit nominibus abſolvi ſine verbo. Si enim ipſa per ſe nomina ſupponunt & affirmant rem quam ſignificant, quid opus verbo ad affirmandum? Neque multum refert, an nomen

ſit

ſit unum tantum, an, duo vel plura ſint; quia eodem prorſus modo plura nomina videntur nominis unius vim & poteſtatem habere, quo nomen unum quandoque habet plurium poteſtatem atque in plura nomina reſolvi poteſt. Quod facile intelligimus, ſi modo advertamus, quod ſignificatio nominis de re quam eſſe ſupponimus ut plurimum compoſita & miſta ſit ex notionibus ſive ideis diverſarum rerum, quas diverſas notiones, ideas, res, modo in unum cogimus atque ita coactas in unum uno nomine comprehendimus, modo diſtinguimus, quæ diſtinctio & ſeparatio facit, ut ſint duo vel plura nomina. Ex quo conſequi videtur, quod ille idem affirmans intellectus, qui ſine verbo invenitur in ſingulis nominibus ſeorſim, inveniri poſſit in pluribus conjunctim, quia eandem poſſunt vel ſimilem ſignificationem habere. Atque hoc ſaltem in aliquibus manifeſtum & communi conſuetudine ſermonis confirmatum eſt: quandoquidem hæc ſingula nomina, *Rex*, *Poëta*, *Philoſophus*, *Globus*, *Cubus*, *Horologium &c.* compoſitam ſignificationem habent, atque *Rex* idem eſt quod aliquis *Homo Rex*, vel iſte homo Rex, qui forte inter Gallos Ludovicus, inter Anglos Carolus appellatur, atque plures alias qualitates habet, quas aliis poſſumus nominibus ſignificare, vel etiam comprehenſas intelligere hoc uno nomine; ſicut *Poëta* ſignificat hominem Poëtam vel Virgilium, qui etiam plures qualitates habet, & ſic de cæteris. Et, ſi hoc pacto unum nomen, quia ſignificatio compoſita intelligitur, poſſit in duo reſolvi, quæ eandem rem ſignificant, cur non in plura, quando ea res plures qualitates habet, quas ad eam omnes pertinere, diſtinctius per plura nomina, quam per unum vel duo intelligimus? Ut ſi dicas, id quod dictum à quam plurimis fuit, *Ludovicus*, *Rex*, *Chriſtianiſſimus*, *Pius*, *Juſtus*, *Victor*,
&

& plura ſi velis, quæ ſimiliter per appoſitionem cum hoc uno ſubjecto poſſunt juncta cogitari. Cur non hæc omnia inſtar nominis unius unum & conjunctum ſine verbo habent affirmantem intellectum? Et ſi poſſunt ſine verbo ſimiliter affirmata intelligi unum, duo & plura nomina, quis tum uſus, quæ propria ſignificatio verbi relinquitur? Cur unquam verbo affirmamus ſuppoſitum in ſecundo adjecto [ut Logici loquuntur] *eſt Rex, ſunt Antipodes, dies eſt, ego ſum, Deus eſt, Angeli ſunt*, vel appoſitum in tertio adjecto, *Ludovicus eſt Rex, dies eſt brevis, opus eſt longum*, quod dictum poſtremum, ſi Hebræi ſine verbo affirmatum intelligunt, quando dicunt *dies brevis, opus longum*, ſicut Hippocrates olim dixit, Vita brevis, ars longa, cur unum & alterum non pariter affirmatum in omni Lingua intelligitur?

XCV. *Nomen cum nomine junctum aliquando, non tamen ſemper, nomen unum ſeorſim, nunquam ſine verbo affirmatum intelligitur.*

Hæc difficultas ut ſuperetur, primum concedimus poſſe in nominibus diverſis per appoſitionem junctis talem eſſe affirmantem intellectum, ut verbo non ſit opus ad affirmandum. Quia ipſa per ſe nominis cum nomine conjunctio ſive appoſitio, ſignum poteſt affirmationis eſſe, quando id conſuetudo ſermonis permittit. Atque id ſaltem in Hebræa Lingua manifeſtum & conſuetudine iſtius ſermonis confirmatum eſt. Hinc vero non ſequitur, ſola per ſe nomina appoſitione juncta ſine verbo, in omni Lingua atque in omni ſermone affirmare. Quia ut in multis aliis, ita in his conſuetudo ſermonis poteſt diverſa eſſe, atque hæc diverſa conſuetudo facit, ut nomen cum nomine junctum, vel omnino non affirmet, vel affirmatio figurate intelligatur, per ellipſin verbi. Ita cum dico, *Homo bulla*, hoc dictum Hebræi proprie, Latini figuratè intelligunt af-

 fir-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

firmatum; verum iſte affirmans intellectus, ſive proprius ſive figuratus, ſimiliter in omnibus aliis Linguis non invenitur; & ne quidem in Hebræâ Lingua ita locum habet in omnibus aliis dictis, ut ſola nominis appoſitione affirmatio abſolvatur & verbo non ſit opus ad affirmandum. Deinde quanquam nomina diverſa inter ſe juncta ſine verbo ita poſſint habere affirmantem intellectum, non ſequitur inde quod ſimilis affirmans intellectus in uno nomine ſeorſim inveniatur vel poſſit inveniri. Quia in uno nomine ſeorſim non eſt facta conjunctio ſive appoſitio iſta, quæ ſine verbo, quando id conſuetudo ſermonis permittit, parit affirmantem intellectum in nominibus diverſis conjunctis. Quibus ita poſitis perſpicue ſequitur verbo opus eſſe ad affirmandum duplici in caſu, primum quando volumus rem affirmare quam unum nomen ſeorſim ſignificat, ut *dies eſt*, prima & ſimpliciſſima affirmatione ſuppoſiti; deinde quando volumus rem affirmare in appoſito nominibus diverſis, ut *dies eſt brevis*, affirmatione ſecunda magis compoſitâ ſive copulata. De qua ſimplici & compoſita affirmatione plura diximus §. LXXVI. oſtendimuſque quod non alia ſit quam exiſtentiæ affirmatio, tam quæ de appoſito, quam quæ de ſuppoſito intelligitur.

XCVI. *Nominis & Verbi intellectus affirmans diſtinguitur, quatenus Verbo expreſſa, Nomine ſuppreſſa affirmatio intelligitur, quæ tacita ſuppoſitio eſt.*

Ut jam porro perſpicue intelligamus hanc concluſionem non pugnare cum iis quæ de ſignificatione Nominis diximus, quod nempe omne Nomen Rem ſignificet quam eſſe ſupponimus, quæ ſuppoſitio qualiſcunque affirmatio eſt; quodque tam poſſit ea res nominibus diverſis quam nomine uno comprehendi: Reliquum eſt ut aliquanto diſtinctius ob oculos ponamus, in quo Verbi affirmans intel-

lectus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

lectus diverſus ſit ab affirmante intellectu quem Nomini tribuimus. Et primum quidem ex ante dictis manifeſtum eſt, quando dico *dies eſt*, *antipodes ſunt*, *dies eſt brevis*, *Ludovicus eſt Rex*, *Alexander fuit*, *bellum erit*, eum qui pronuntiat verbum, notum facere, ſe judicare ſive affirmare quod ſit res, atque proprium de eo animi ſenſum vel aſſenſum exponere, quæ nobis *expreſſa affirmatio* dicitur, quam in verbo cum Numeri & Perſonæ, atque etiam cum Modi & Temporis diſtinctione intelligi §. LXXVII. & LXXVIII. oſtendimus. Qui verò nomina iſta, vel ſingula ſeorſim, *dies*, *antipodes*, *Ludovicus*, *Rex*, vel plura conjunctim, *dies brevis*, *Ludovicus Rex*, ſine verbo pronuntiat, hac una dictione notum non facit, ſe judicare ſive affirmare, quod ſit res, & proprium de eo animi ſenſum non exponit. Poteſt enim ipſi ignotum eſſe, an ſit dies, poteſt de eo dubitare, poteſt dubium vel ignotum eſſe, an antipodes ſint, an dies brevis an longa, an Ludovicus Rex ſit, an Alexander fuerit, an bellum futurum ſit, poteſt hæc ſingula negare, poteſt putare, quod adeo nota ſint ut affirmatione opus non ſit. Ex quo perſpicuè ſequitur, quod ſignificatio nominum iſtorum ſine expreſſa affirmatione intelligatur, qua is qui loquitur interponit judicium ſuum & removet à ſe ignorantiam, dubitationem & negationem, atque id inter loquendum notum facit, quia forte ignotum aliis eſt. Hæc propria verbi ſignificatio eſt, quæ non pertinet ad nomen, ſecundum hanc primo & præcipuè nomen à verbo diſtinguitur, atque hæ duæ diverſæ partes orationis ſunt, quarum ſignificatio debet diverſa eſſe. Attamen, quod notandum, iſtorum atque aliorum nominum ſignificatio non intelligitur ſine affirmatione tacita ſive ſuppreſſa, quæ ſine Numeri Perſonalis, atque etiam ſine Modi & Temporis diſtinctione intelligitur. Quando-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

quidem is qui nomen pronuntiat & ſine verbo comprehendit ſignificationem nominis, ſaltem ſupponit quod ſit res, conſenſione eorum qui eodem ſermone utuntur, & eandem admittunt ſignificationem nominis, quæ conſenſio non malè *anticipatio* vocatur. Hanc ſuppoſitionem ſive anticipationem ſupra probavimus ita pertinere ad nomen, ut ſine ea non habeat plenam & perſectam formam nominis; ſicut nomen habet plenam & perfectam formam, ſine expreſſa affirmatione, quam verbum ſignificat quando ad nomen accedit in ſermone, quod manifeſtum ſignum diſtinctionis eſt.

XCVII. *Suppreſſa affirmatio in ſuppoſitis ſubſtantivis ſeparatis, quæ res ſubſiſtentes ſunt, cum corpore, vel ſine corpore.*

Hac de cauſa verbo communiter non affirmamus quod ſit res, quam unum nomen ſeorſim in ſuppoſito ſignificat, quæque etiam nominibus poteſt diverſis ſignificari quando pro uno nomine ſupponuntur. Atque univerſim iſta prima & ſimplex affirmatio valdè rara & fere inuſitata eſt in communi ſermone. Quia communiter, ut faciamus compendium ſermonis, non ſine ratione putamus, quod neceſſe non ſit, verbo expreſſe affirmare id quod communi conſenſione affirmatum cum nomine intelligitur. Iſta communis conſenſio in nomine, quando ſatis nota eſt, inutilem affirmationem in verbo facit. Ut, *nos eſſe atque alios homines qui nobis ſimiles videntur, eſſe animalia, plantas, ignem, aerem, aquam, terram, ſolem, lunam, aliasque ſtellas, montes, valles, campos, ſylvas, maria, fluvios, metalla, lapides, eſſe mundum* qui iſta omnia atque alia innumera corpora comprehendit, quæ Naturæ opera ſunt atque Naturalia vocantur. Item eſſe *urbes, pagos, domos, templa, turres, naves, molas, ſtatuas, gladios, ſagittas, veſtes, nummos*, & talia innumera, quæ Naturæ opera non ſunt,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

ſunt, verum ab hominibus excogitata & ad uſum vitæ fa-
cta inter homines. Atque hæc poſſumus *ſuppoſita ſub-
ſtantiva ſeparata* appellare, quatenus primum Naturæ
deinde Artis opera iſta communi conſenſione res ſubſi-
ſtentes ſunt, & hæc ſingula per ſe ſubſtantiam & corpus
habere, quia cerni & tangi poſſunt, communiter & natu-
ra notum eſt. Quia vero ita communiter & natura notum
non eſt, pariter quoque res ſubſiſtentes ſine corpore exi-
ſtere; quorum unum & commune nomen *Spiritus* eſt,
Deus, *Angelus*, *Mens*, *Anima*, pluraque alia, nomina pro-
pria ſunt; in communi ſermone quem natura docet, iſta
nomina eo modo in ſuppoſitis ſubſtantivis ſeparatis non
numeramus. Attamen hæc etiam poſſunt in ſuppoſitis ſub-
ſtantivis ſeparatis numerari, ſermone proprio Philoſopho-
rum, atque Theologorum, & eorum omnium, qui ut nos
putamus, tam putant ſpiritum ſine corpore, quam corpus
ſine ſpiritu ſubſiſtere, quin ſpiritum magis quam corpus,
& ſuâ propriâ naturâ etiam prius rem ſubſiſtentem eſſe:
id quod nos tam ſana & vera Philoſophia, quam Religio
Chriſtiana docet. Hanc, ſive opinionem, ſive ſuppoſitio-
nem, non tam natura & communis ſenſus, quam ratio
dictat, qua partim intelligimus ſive concludimus qualicun-
que cum ratione, partim fide credimus, de re ſubſiſtente
ſine corpore veram ſuppoſitionem eſſe, quam ſui nominis
ſignificatio comprehendit. Neque inter eos ſive eorum re-
ſpectu, qui hoc ita credunt, intelligunt, atque tacite af-
firmatum ſupponunt, cum nominibus iſtis, *Deus*, *Ange-
lus*, *Mens*, *Anima*; opus eſt alia affirmatione, quæ Verbo
expreſſa intelligitur cum numeri perſonalis & temporis di-
ſtinctione, atque modo indicativo, ut Grammatici lo-
quuntur. Et multo minus opus eſt probatione in his, quæ
tutius credimus & ſupponimus, quam, an vera ſint, ſolli-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

cite inquirimus. Eo fere modo, quo *nos eſſe atque alios homines*, & talia quæ cerni & tangi poſſunt, opus non eſt Verbo ita expreſſe affirmare, vel in communi ſermone confirmare rationibus, quandoquidem communi conſenſione iſta ſingula plus ſatis affirmata cum nominibus ſupponuntur. Hoc ſolum intereſt, quod in corporalibus quæ cernuntur & tanguntur, id quod unus ſupponit, neque negare, neque ignorare, neque ſerio quiſquam poſſit in dubium vocare, quia ſuppoſitionem Natura docet, quæ una & communis omnium hominum eſt. Idcirco iſta diximus ſuppoſita ſubſtantiva ſeparata eſſe in communi ſermone, quem communis omnium hominum de rebus iſtis conſenſio parit, propter quam conſenſionem affirmatio verbo expreſſa inutilis eſt. Sed verò, quando res cerni vel tangi omnino non poteſt, ſed ſolum intelligi, ut quædam corporalia quæ ſua ſubtilitate omnem ſenſum fugiunt, at imprimis ea omnia quæ ſine corpore exiſtunt; in his inquam, id quod ab aliquibus tacite affirmatum cum nomine ſupponitur, pariter ſupponi ab omnibus neceſſe non eſt. Quandoquidem iſte intellectus, (ſaltem purus & diſtinctus) quatenus ſuppoſitionem & nominationem rei ſubſiſtentis parit, vel omnino ſine corpore, vel de ſubtili corpore quod omnem ſenſum fugit; non eo modo unus & communis eſt omnium hominum intellectus, quo modo unus & communis eſt ſenſus, qui parit ſuppoſitionem & nominationem rei ſubſiſtentis cum corpore, quod incurrit in ſenſum. Ex quo perſpicue ſequitur, in his incorporalibus, ut jam de corporalibus non dicam inviſibilibus, affirmationem verbo expreſſam adeo inutilem non eſſe, ut quidem eſt in corporalibus, quæ videmus. Quia, quanquam cum nomine ſine verbo [ſi dicas *Deus*, cum vel ſine appoſito] tam poteſt vera & ſincera affirmatio conſiſtere, quam cum verbo

bo [ſi dicas *Deus eſt, affirmo, confiteor, credo quod ſit Deus, quod ſit Anima, quod ſint Spiritus.*] Non ſic tamen nomine, ut quidem verbo, affirmatio expreſſa intelligitur, ſolumque per ſe nomen notam non facit affirmationem, quæ aliorum ignorantiæ, dubitationi, & negationi ſive contradictioni opponitur, verum communi conſuetudine ſermonis, verbum cum nomine junctum, iſtius ſive oppoſitionis ſive oppoſitæ & expreſſæ affirmationis, nota eſt.

XCVIII. *Suppreſſa affirmatio in ſuppoſitis ſuſtantivis conjunctis, quæ tali pacto res ſubſiſtentes ſeparatæ non ſunt.*

Præterea ſupponimus valdè multa quæ quidem conjuncta cum his & tamen etiam propriis ſignata nominibus ſunt, ac ſi res ſubſiſtentes & ſeparatæ eſſent, quod non ſunt, quia non ſic intelliguntur in ſe ipſis corpus vel aliam ſubſtantiam habere, quanquam conjuncta cum corpore vel aliâ ſubſtantia ſint. Quæ idcirco *ſuppoſita, ſubſtantiva conjuncta* vocabimus. Ita ſupponimus cum nominibus ſuis, quod ſit *dolor, voluptas, fames, ſitis, lætitia, triſtitia, intellectus, voluntas, affirmatio, negatio, emptio, venditio & talia*, quæ partim nomina paſſionum ſunt ab interna cauſa, partim nomina cogitationum quarum cauſa maxime interna eſt. Has ſive paſſiones ſive cogitationes, ut quiſque experitur & ſentit, ita ſupponit eas ſimiliter alios homines experiri; & hoc pacto ſuppoſitio cum nominibus iſtis facta communi conſenſione videtur. Similiter ſupponimus cum nominibus ſuis, quod ſit *lumen, color, ſonus, odor, ſapor, calor, frigus, gravitas, levitas, durities, mollities &c.* Quæ ita paſſionem in animô ſignificant ſive ſpeciem in ſenſu, ut videantur etiam (quia paſſio ſive ſpecies ab externa videtur cauſa advenire) qualitatem alicujus corpore ſignificare, puta ignis qui caloris, ſolis qui luminis ſenſu afficit nos. Hoc ut quiſque experitur apud

ſe

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

ſe, à Natura doctus ut videtur, ita ſupponit ſimiliter alios homines experiri, & hanc in Natura conſenſionem efficere, ut conſenſio in nominis ſignificatione ſit. Verum hæc ſignificatio relata ad aliud corpus non tam bene exprimitur nomine ſubſtantivo ſuppoſito, *calor*, *frigus*, quam quidem adjectivo appoſito, *calidum*, *frigidum*, atque tam in ſubſtantivo quam in adjectivo, ſuppoſitio valde confuſa, incerta & in multis falſa eſt. Porro, cum dico *magnitudo*, *figura*, *motus*, *quies*, *punctum*, *linea*, *ſuperficies*, *corpus*, *ulna*, *miliare*, *ſtadium*, *hora*, *dies*, *locus*, *ſpatium*, atque alia innumera magis particularia, ſuppono quod ſit res quam intelligo nominibus iſtis. Atque hæc ſuppoſitio adeo confuſa, incerta & falſa communiter non eſt: quia nomina iſta primo quidem ſecundum paſſionem ſive ſpeciem in ſenſu, deinde vero etiam ſecundum cogitationem ſive ideam in intellectu [ut quiſque experitur apud ſe quando nominis ſignificationem intelligit] qualitatem & formam ſignificant, quæ eſt extra intellectum aut ſaltem poteſt eſſe: quod ſic dici nequit de nominibus *lumen*, *color*, *calor*, &c. quatenus paſſionem ſive ſpeciem in ſenſu ſignificant eâ forma ſive qualitate, quæ neque eſt neque poteſt eſſe extra ſenſum. Denique, cum dico, *cauſa*, *effectus*, *ſubjectum*, *adjunctum*, *ſubſtantia*, *qualitas*, *genus*, *ſpecies*, *totum*, *pars*, *proportio*, *ſimilitudo*, *relatio*, *reſpectus*, *ens*, *eſſentia*, *exiſtentia*, *potentia*, *facultas &c.* attendenti manifeſtum fit, aliquid ſupponi quod intelligitur nominibus iſtis, ſive in apparentibus ſecundum ſpeciem in ſenſu, ſive in cogitatis ſecundum ideam in intellectu, ſive in ipſiſmet extantibus rebus. Et uti quiſque intelligit hæc nomina, quando in ſermone utitur iis atque id quod intelligit ſupponit, ita ſimiliter putat hoc ipſum ab aliis intelligi & ſupponi. Ac ſi in his quoque conſenſio à natura in cogitatis ſit, quæ conſen-

ſen-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

ſenſionem in nominis ſignificatione parit, ſicut in nominbus paſſionum diximus à natura conſenſionem in apparentibus eſſe. Qua ratione ſimiliter fere confuſa, incerta & in multis falſa ſignificatio ſive ſuppoſitio eſt, in iſtis paſſionum atque in his cogitationum nominibus: quatenus tam eſt in nobis multiplex cogitatio quæ errorem parit quando tranſlata ad rem in extantibus intelligitur, quam eſt in nobis multiplex talis paſſio; tam in cogitatis quam in apparentibus poteſt vera eſſe regula Logicorum, *Multa dicuntur de ſubjecto quæ non ſunt in ſubjecto.* Hæc dicta, aut ſi mavis ſuppoſita in cogitatis, tertio & poſtremo loco in ſuppoſitis ſubſtantivis conjunctis numeramus, quia ſuppoſitio in cogitatis, quæ tranſlata ad rem errorem parit, per omnem ſe humanum ſermonem extendit, quatenus conjuncta eſt cum omnium aliorum Nominum atque etiam cum omnium Verborum ſignificatione: ut jam de dictionibus cæteris non dicam, quas grammatici inter partes orationis numerant.

XCIX. *Suppoſita ſubſtantiva ſeparata quæ numeramus primo loco, magis compoſita eſſe, & ſimplicia conjuncta ſine abſtractione non intelligi.*

Notandum vero, ſuppoſita quæ conjuncta dicimus & recenſemus ſecundo loco, ſi non iſta omnia quæ in exemplis numeravimus, pleraque ſimplicia eſſe, ſine quibus ſignificatio in compoſitis [quæ ſeparata vocamus] non intelligitur. Attamen compoſita ſeparata numeramus primo loco, quatenus in communi ſermone quem natura docet prima eorum nominatio eſt, quia compoſita primò & magis quam ſimplicia afficiunt nos & quoque magis implent cogitationem noſtram. Ita factum eſt, ut multo plura compoſita quam ſimplicia ſuppoſita ſint, atque ſuppoſitorum ſimplicium nomina ſæpius à compoſitis quæ ante-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

cedunt abſtracta, quam ipſa per ſe primum formata inveniantur: Et quæ forte ipſa per ſe primum formata ſunt in communi ſermone [quod de aliquibus ſimplicibus conjunctis credibile eſt, *ut calor*, *dolor*, *lumen*, *ſonus*, & talia quæ multum afficiunt nos] iſta etiam non ſine qualicunque abſtractione ſimplicia ſunt & per abſtractionem tantum, ut ſimplicia intelligi & ſupponi poſſunt cum nominibus ſuis.

c. *Simplex per abſtractionem ſignificatio in ſuppoſitis ſubſtantivis conjunctis, quæ in nobis paſſionum vel cogitationum nomina ſunt.*

Ita ſimplex illud quod intelligitur & ſupponitur nomine *dolor*, à corpore noſtro, id quod intelligitur & ſupponitur nomine *color*, à corporibus aliis ſic debet abſtractum intelligi, ut hæc nomina præciſe tantum ſignificent & ſupponant id quod ſentimus, iſtam paſſionem in anima, iſtam ſpeciem in ſenſu tantum, non qualitatem corporis noſtri vel alterius corporis. Communiter autem iſtorum nominum ſignificatio ad qualitatem noſtri corporis vel aliorum corporum tranſlata intelligitur, quæ non ſimplex & abſtracta, verum compoſita ſignificatio eſt. Quia ſicut anima intimè unita & quaſi permiſta eſt cum corpore & per hoc ſuum corpus quandam unionem & connexionem habet cum aliis corporibus; ita neceſſe fuit eam notionem quam cum nominibus iſtis *dolor*, *calor*, *dolere*, *calere*, formamus de paſſione in ſenſu ab interna vel externa cauſa, cum duplici iſta unione ſive relatione intelligi. Atque iſte intellectus unitus ſive conjunctus facit, ut ſignificatio, quam nos jam in iſtis paſſionum nominibus ut ſimplicem ſpectamus, in communi ſermone aliquo modo compoſita & confuſa ſit, atque ut non poſſit ſine qualicunque abſtractione ſimplex & diſtincta ſignificatio intelligi. Similiter nomina cogitationum, *amor*, *odium*, *ſpes*, *metus*, *affirmatio*, *ne-*

gatio,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

gatio, *teſtamentum*, *donatio*, item *amare*, *odiſſe*, *ſperare*, *affirmare &c.* quia in communi ſermone compoſitam & confuſam ſignificationem habent de actu animi & corporis conjunctim; ut verè ſimplicia ſuppoſita ſint, actus animi internus ab actu corporis externo abſtrahendus & quantum poteſt ſeorſim conſiderandus eſt; ut jam non dicam de paſſione, à qua nomen cogitationis etiam abſtrahendum eſt, quando, ut communiter fit, conjuncta atque uno & communi nomine comprehenſa ſignificatio eſt.

CI. *Simplex per abſtractionem ſignificatio, quæ ſecundum cogitationem in nobis, poteſt vera de extantibus eſſe extra nos, quæ corpora ſunt.*

Porro ſimplex illud quod poteſt intelligi atque cum nominis ſignificatione ſupponi, cum dico, *punctum*, *linea*, *ſuperficies*, *corpus*, *triangulus*, *circulus*, *globus*, *cubus*, *motus*, *quies*, *magnitudo*, *figura*, *&c.* non intelligi & ſupponi ſine abſtractione, notum eſt. Quandoquidem nomina iſta primum quidem de apparentibus ſecundum ſpeciem in ſenſu, deinde etiam de cogitatis ſecundum ideam in intellectu, & tum quoque de extantibus intelliguntur; & ſignificatio de extantibus iterum poteſt compoſita vel ſimplex eſſe, quatenus in extantibus plura ſunt conjuncta atque ad plura vel pauciora ſe unius poteſt nominis ſignificatio extendere. Ex quo perſpicuè ſequitur, quod ſignificatio horum nominum diſtinguenda atque abſtrahenda ſit, quando unum & ſimplex volumus ſuppoſitum intelligere, *longitudinem ſine latitudine*, *latitudinem ſine craſſitie*, non cogitando de propria materia & qualitate corporis alicujus, puta ligni, lapidis, aquæ, terræ, &c. Ita verò Mathematici ea quæ intelligunt nominibus iſtis, non quidem ab intelligibili attamen à ſenſibili materia abſtrahunt, deinde etiam ſingula ſeorſim conſiderant & ſupponunt, quæ duplex abſtractio eſt. Et quia id quod ita ut unum & ſim-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

plex intelligitur atque per abſtractionem ſupponitur, puræ Matheſeos objectum eſt, hæc ſuppoſitio atque *abſtractio Mathematica* vocatur. Secundum hanc ſive abſtractionem ſive ſuppoſitionem omnis iſtarum rerum definitio, omniſque de iiſdem demonſtratio intelligitur, primum quidem in cogitatis, deinde etiam in extantibus. Quandoquidem ſignificatio quæ ſupponitur in primis & ſimpliciſſimis cogitatis, cum dico, *punctum*, *linea*, *ſuperficies*, *corpus &c.* ſuo modo vera etiam in extantibus eſt, veritate & ſignificatione magis promotâ ſive tranſlatâ ad rem, quæ octavi ordinis & poſtrema in humano ſermone eſt. Iſta verò magis promota veritas non invenitur in ſignificatione omnium nominum, quibus Mathematici utuntur, neque Mathematica abſtractio ſive demonſtratio omnis in extantibus terminatur, verum communiter ſubſiſtit in cogitatis, non conſiderando an prima ſint rerum extantium cogitata, an ſecunda conjuncta cum primis: ut ſi dicam *Ratio*, *proportio*, *æquatio*, quorum nominum ſignificatio hujus loci non eſt.

CII. *Ex Ariſtotele demonſtratur, quam ſit vera in his nominibus ſignificatio de extantibus quæ corpora ſunt.*

Ita putamus regulam quam tradit Ariſtoteles II. Phyſ. cap. 2. ubi de hac abſtractione Mathematica loquitur, οὐδὲ γίνηται ψεῦδος χωριζόντων, *abſtrahentium non eſt mendacium*, per omnia veram eſſe, primum quidem in apparentibus, deinde in cogitatis, & tum quoque in extantibus:- ſi modo hæc tria [quæ communiter juncta & ſæpe unius nominis ſignificatione comprehenſa ſunt] rectè diſtinguamus atque applicemus. Quia ſicut partes, quando eas natura in toto diſtinguit & ſeparat, ſunt in toto quod ſupponitur ante partes, nec poteſt totum in partes diſtingui quæ non ſunt: ſimiliter non poteſt ſimplex per abſtractionem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

ctionem ſignificatio intelligi atque diſtingui ſi omnino non ſint ſimplicia quæ diſtinguimus atque ut diſtincta ſupponimus in ſermone. Et quia pars ſequitur conditionem totius, quatenus & qua parte totum in extantibus eſt; partem in extantibus eſſe neceſſe eſt: & contra, quatenus totum ſaltem in apparentibus vel cogitatis eſt, de his debet ſimplex per abſtractionem ſignificatio in partibus intelligi. Ita verò in communi ſermone primum hæc ſingula, *ignis*, *aer*, *aqua*, *terra &c.* deinde hoc unum *Mundus*, quo iſta omnia atque infinita alia comprehendimus, ſunt quaſi totum, atque unum nomen in his confuſe ſignificat totum. *Materia* & *corpus*, quatenus una utriuſque nominis ſignificatio eſſe poteſt, conjunctam cum iis ſubſtantiam, atque id præciſe ſive abſtracte ſignificant quo Mundus atque omnia & ſingula corpora Mundi res ſubſiſtentes ſunt, ſive ſuppoſita ſubſtantiva in extantibus quæ ſeparata vocamus. Et rectè Ariſt. advertit VII. Metaph. cap. 1. & 3. Materiam [non quidem ſenſibilem verum intelligibilem] eſſè τὸ ὂν ὄντως, πρώτως, ἁπλῶς, τὸ πρῶτον ὑποκείμενον, *proprie*, *primò & ſimpliciter ens*, *primum ſubjectum*, corporalia in extantibus quod attinet, ſepoſitis apparentibus & cogitatis, quæ non pertinent ad corpus, ut quidem abuſu ſermonis videntur pertinere propter unionem Mentis cum Corpore. Plura nomina iſta, *globus*, *cubus*, *conus &c.* apud Mathematicos, non ita corpus ſimpliciter τὸ ὂν ἁπλῶς, verum τὶ ὂν, aliquod tale corpus ſive ſubſtantiæ corporeæ ſic formatam in cogitatione partem ſignificant. Denique *punctum*, *linea*, *ſuperficies*, *triangulus*, *circulus* & talia, non ita partem corporis, quæ ipſa corpus eſt, verum terminum ſignificant, qui in corpore, atque, ut Ariſtoteles loquitur, *aliquid corporis* eſt, cum *calor*, *dolor* ipſaque per ſe apparentia & cogitata in nobis, ita non ſint aliquid corporis, verum ali-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

quid mentis, quæ eſt unita cum corpore & non minus quam corpus habet ſubſtantiam ſuam. Hoc ſolum intereſt, quod *punctum cujus pars nulla* [ut Geometræ loquuntur negativè, ſupponentes poſitivum τὸ ὂν lineæ ſatis notum eſſe] ſit, non pars ſed tantum terminus, cum linea, qui eſt terminus ſuperficiei, lineæ, ſuperficies, qui eſt terminus corporis, ſuperficiei, tam poſſit pars eſſe, quam corpus poteſt eſſe corporis pars. Ut in hac omni abſtractione incipiendum ſit, non à puncto, methodo ſynthetica, ut communiter fit, verum à corpore methodo analytica. Quandoquidem in corpore ſenſibili verè eſt corpus intelligibile; ut primum in quo omnia ſunt, & quod ſupponi debet ante alia. Ut in rudi ligno vel lapide Mercurius totaque in eo Mercurii materia & forma eſt atque ſupponitur eſſe, quando ἀφαιρέσει *ſeparatione è lapide Mercurius fit*, quo exemplo Ariſtoteles, libro. I. Phyſ. cap. 7. formæ ex materia originem ſive formationem talis corporis declarat. Tali pacto *corpora naturalia ſuperficies habent & ſolida & longitudines & puncta quæ contemplatur Mathematicus; ſed non ut eſt quodque corporis naturalis finis, nec accidentia contemplatur, quæ talibus accidunt: quapropter mente ſeparat, neque cum ſeparat efficitur error*, II. Phyſ. cap. 2. Quam veritatem adeo aperte traditam ab Ariſtotele putamus magni momenti eſſe, ut verum poſſimus à falſo diſtinguere in ſermone & cogitatione, de his atque ad eorum exemplum de aliis rebus.

CIII. *Simplex per abſtractionem ſignificatio quæ non ſic in extantibus ut quidem in cogitatis poteſt vera eſſe; & quam ſit difficilis abſtractio iſta.*

Quando ſic inventa eſt ſimplex per abſtractionem ſignificatio in ſuppoſitis ſubſtantivis conjunctis, quatenus ſecundum cogitationem in nobis dici poſſunt rem in extantibus

tibus ſignificare extrà nos, & ſignificatio ad rem tranſlata vera eſt: Reliquum eſt ut videamus quæ tandem ſimplex per abſtractionem ſignificatio ſit in ſuppoſitis ſubſtantivis conjunctis quæ ſic dici non poſſunt ſecundum cogitationem in nobis rem in extantibus ſignificare extra nos, quandoquidem ſignificatio ad rem tranſlata vera non eſt. Atque de iſto genere fuerunt ſuppoſita ſubſtantiva conjuncta quæ §. XCVIII. tertio atque ultimo loco numeramus, quia ſignificatio ſive ſuppoſitio, quæ in his nominibus ſaltem in cogitatis poteſt vera eſſe, per omnem ſe humanum ſermonem extendit atque cum omnium aliorum nominum & præcipuè cum verbi ſignificatione juncta eſt. Ut abſtractio ſive diſtinctio ſumme neceſſaria ſit, quando unum & ſimplex volumus ſuppoſitum intelligere in cogitatis, ſeparatum quantum poteſt ſeparari ab omni alio ſuppoſito, quod forte conjunctum atque unius nominis ſignificatione comprehenſum eſt. Quanquam cogitata, quatenus non ſunt ullius rei extantis cogitata, ſola per ſe intelligere, puta notionem *cauſæ* ſive *cauſalitatis*, ſine re quæ cogitatur eſſe cauſa, quæ res poteſt corporalis vel incorporalis eſſe, notionem *diviſibilitatis*, ſine re quæ ut diviſibilis ſpectatur atque primo & proprie corpus vel aliquid corporis fuit in communi ſermone; notionem *affirmationis* ſine re quæ affirmationis in nomine ſubjectum intelligitur; & ſic porro ipſam per ſe notionem *ſubſtantiæ*, *eſſentiæ*, *exiſtentiæ*, *relationis*, *proportionis*, *qualitatis*, *potentiæ &c.* tam facile non ſit, quam quidem Rem, de qua dicitur quod *cauſa* vel *effectus* ſit &c. ſine hoc dicto vel cogitato intelligimus. Eo fere modo quo corpus facilius ſine figura vel motu, atque etiam ſine colore vel calore, quam figuram, motum, colorem, calorem, & talia ſine corpore intelligimus. Hoc ſolum intereſt, quod

ens,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

ens, ſubſtantia, qualitas, cauſa, proportio, ſimilitudo, diviſibilitas &c. non ſic afficiant nos quatenus tantum in cogitatis ſunt, ut quidem in apparentibus calor vel color, in extantibus, figura, magnitudo vel motus nos afficit; fere ut umbra minus afficit nos quam corpus & non exiſtit umbra ſine corpore, ut quidem corpus ſine umbra exiſtit. Quod ab una parte facilem abſtractionem reddit, de qua idcirco diximus priori loco, ab alia parte difficilem, de qua jam nobis ſermo eſt. Quandoquidem res quam nomina iſta confuſe ſupponunt in primis rerum extantium ſive exiſtentium cogitatis, quaſi corpus, quæ ſupponitur in cogitatis ſecundis, quatenus ſimiliter rerum extantium cogitata non ſunt, quaſi umbra eſt; atque has umbras primo & propriè iſta nomina ſignificant confuſe junctas cum corpore. Neque magis difficile eſt cogitata in his prima ſine ſecundis, quam corpus ſine umbrâ intelligere; non contra ſic poſſunt ſine cogitatis primis ſecunda intelligi, quæ ſaltem conjuncta ſunt. Quia ſicut umbra in ſole ſequitur corpus, atque ſine corpore non eſſet umbra, ita in claro intellectu tanquam ſole, cogitata ſecunda, quæ aliud nihil quam cogitata ſive modi cogitandi ſunt, ſequuntur prima rerum aliarum extantium ſive exiſtentium cogitata. Has umbras cum corpore unius nominis ſignificatio comprehendit in ſuppoſitis ſubſtantivis conjunctis de quibus jam nobis ſermo eſt. Hoc ſolum cum diſcrimine, quod de umbris, à quibus nomina impoſita ſunt, primo, proprie & magis diſtinctè, de corpore ſaltem confuſe & conſequenter ſignificatio intelligatur: ac ſi una & ſimplex res, una qualitas, unum attributum ſint, umbra cum corpore, ſicut nomen unum & communiter valde ſimplex eſt, atque ſignificatio in communi ſermone ſine diſtinctione intelligitur.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

CIV. *Uno & altero exemplo in particularibus oſtenditur, qua ratione abſtracta horum nominum ſignificatio ſaltem in cogitatis intelligatur: ſive de corporalibus ſive de incorporalibus loquamur.*

Hæc nomina, quamvis infinita ſunt, ad duo poſſunt ſumma genera revocari, de quibus §. LXXX. ſummatim diximus. Et primum quidem valde multa occurrunt quorum ſignificatio ad rem unam in particularibus tali pacto accommodata eſt, ut eadem notione ſive ſignificatione accommodata non intelligatur ad aliam rem. Huc ſpectant ea quæ Logici Propria vocant vel Proprietates, etiam multa accidentia, attributa, adjuncta. Ita *diviſibile* ſive *diviſibilitas*, Corpori, *indiviſibile* ſive *indiviſibilitas* Menti tribuitur, quæ corpus non eſt. *Immortale* ſive *immortalitas* ſic dicitur de Mente quatenus in ſe vitam habet, ut dici de corpore non poſſit, quod in ſe vitam quæ Mentis propria eſt, non habet, quanquam, in homine corpus, vivens ſuam longe aliam vitam, cum viva mente conjunctum ſit. Et quia per quod unumquodque tale eſt idipſum eſt magis tale, ut Philoſophi loquuntur, Mens æterna ſive ſpiritus ſempiternus, Deus, ante omnia immortalis, neque aliud in Deo æternitas quam immortalitas, & contra immortalitas æternitas eſt, *vitæ interminabilis tota ſimul & perfecta poſſeſſio.* Qua in definitione, quam Boetio tribuunt, id quod nomine uno *Vita* ſignificatur, quaſi corpus eſt, τὸ ὂν τοῦ θεοῦ unum & ſimplex in cogitatis primis; id quod nominibus diverſis, *poſſeſſio*, *perfecta*, *ſimul*, *tota*, *interminabilis*, quaſi umbræ ſunt in cogitatis ſecundis, τὰ κατηγορούμενα, quibus iſta vitæ notio ſive Dei viventis idea circumſcribitur noſtro conſiderandi modo, qui non unus & ſimplex verum multiplex & diverſus eſt. Atque concreta illa *immortale*, *æternum*, ſic ſatis expreſſe umbram cum corpore ſignificant, abſtracta *æternitas*, *immortalitas*, quia

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

etiam omnino ſine ſuo quaſi corpore intelligi non poſſunt, ſaltem tacite ſupponunt corpus, τὸ ὂν τοῦ Θεοῦ. Atque hoc ſenſu compoſito ſive concreto recte dicunt Theologi ***attributa Dei ſunt Deus***: quod recte dictum non putamus, quando abſtracta per ſe de noſtro modo conſiderandi intelliguntur; ac ſi de Deo in cogitatis nihil à nobis intelligi poſſit, nihil ſupponi ſive affirmari, quod Deus ὄντως in extantibus non ſit. Ut ſit Deus, non ſeparatim ſed conjunctim, ſaltem in noſtris primis & ſecundis cogitatis, Vivens æternum ſive Spiritus ſeipſo vivens vitam perfectiſſimam, quæ tota intellectualis, ſive intelligens volens & potens eſt, interno & proprio actu, qui modo perfectiſſimo ſubſtantivus ſive ſubſtantialis eſt. ***Nec vero Deus ipſe qui intelligitur à nobis alio modo intelligi poteſt quam mens ſoluta quædam & libera, ſegregata ab omni concretione mortali, omnia ſentiens & movens, ipſa prædita motu ſempiterno; hoc è genere atque eadem è natura eſt humana mens***, inquit Cicero, libro 1. Tuſc. Ubi ille Mentem divinam & humanam ex Anaxagoræ & Platonis opinione deſcribit, τὸ ὂν τοῦ Θεοῦ in cogitatis primis unum & ſimplex uno nomine Mens, τὸ κατηγορούμενον in cogitatis ſecundis, diverſis aliis nominibus comprehendens.

CV. *Latius deducitur exemplum petitum à nominibus corporalium rerum, atque eorum ſignificatio in extantibus cum ſignificatione in cogitatis comparatur.*

Similiter ***corpus*** non ſeparatim ſed conjunctim in primis, & ſecundis cogitatis, dicitur ***extenſum, diviſibile, mobile, impenetrabile***, partim continuum & quieſcens, partim diviſum & motum, ***potens*** unum in aliud agere, unum alteri reſiſtere, diverſos in nobis ſenſus excitare, à quibus diverſæ qualitates quas ſupponimus in corpore, accipiunt ea ipſa nomina quæ primo & proprie paſſionem in ſenſu ſigni-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

ſignificant, calor, color, lumen &c. Quæ tamen omnia uno modo conjuncta cum corpore non ſunt, neque uno modo pertinent ad corpus in quo & cum quo ſupponuntur. Quandoquidem in extantibus ſola per ſe extenſio abſolvit ſubſtantiam corporis, ut ſit corpus actu ſubſtantiali ſive *forma corporeitatis*, ut loquuntur, ſuo modo unum & ſimplex, quod clariſſime atque diſtinctiſſime nomine extenſionis intelligimus. Ex quo perſpicuè ſequitur, omne aliud ſuppoſitum ſubſtantivum quod in extantibus poteſt conjunctum intelligi cum corpore extenſo, quia non poteſt alia conjuncta ſubſtantia eſſe, de Modo ſive accidente accipi, quo corpus affici ſive variari intelligitur, quia non eſt in corpore, quatenus ſaltem extenſum eſt, omnium quæ in re extenſa eſſe poſſunt tota ſimul & perfecta poſſeſſio, ſicut in æterna Mente, quæ ipſa Vita æterna ſive vivens æternum eſt, ſine variatione vel ſucceſſione. Primæ autem quæ in corpore intelligi poteſt affectionis ſive variationis proprium nomen *Motus* eſt, quo primum dividi in partes corpus intelligitur, quod ante diviſionem unum & continuum eſt *quiete*, quæ motui contraria, alia oppoſita qualitas, aliud reale accidens eſt. Ita *diviſio* & *motus* ſive *dividi* & *moveri* unum ſunt, quatenus corpora tam motu diviſa, quam diviſione mota intelligimus: eo prorſus modo quo *continuitas* & *quies* ſunt unum. Idcirco ſi eſt motus in mundo quo corpora dividuntur & manent diviſa, ut certe eſt, hæc duo nomina *diviſio* & *motus*, una ſignificatione poſſunt in ſuppoſitis ſubſtantivis conjunctis numerari, quorum ſignificatio tam in extantibus quam in cogitatis vera eſt, quatenus verum & reale accidens ſignificant [ſolutionem continui] quod corpus extenſum non quidem à ſe attamen in ſe habet extra cogitationem noſtram. Neque aliter ſentiendum de quiete & continuitate, quatenus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

non ſic omnia in motu ſunt quo corpora dividuntur, quin quies ſuperſit in iis quæ cohærent & unum ſunt. Similiter *magnitudines* & *figuræ*, quas partim ex motu & diviſione, partim ex quiete & continuitate conſequi neceſſe eſt, verè ſunt in corpore atque in extantibus formant diverſa corpora, naturalia, ut loquuntur. Non enim hic loquimur de magnitudine vel figura corporis Mathematici, quæ ſic ſeparata, ut ſupponitur per abſtractionem, in extantibus, non eſt. Neque etiam magnitudinem comparate intelligimus quam Geometræ & Logici *Quantitatem* vocant, ut *bicubitum*, *tricubitum*, *pes*, *amphora*, *modius*, quatenus hæc nomina menſurarum certam ſive determinatam in cogitatis rationem, proportionem & comparationem ſupponunt, ſicut *magnum*, *parvum*, *multum*, *paucum*, *plus*, *minus* atque abſtracta ab his, *magnitudo parvitas*, *multitudo paucitas*, proportionem ſupponunt, quæ ita ad unum, duo vel plura determinata non eſt.

CVI. *Particularia iſta diviſibile, mobile &c. ſaltem in cogitatis accommodata ad naturam corporis intelligi.*

Quibus ita poſitis, facile intelligimus, *diviſibile*, *mobile*, *diviſibilitas* & talia, ſaltem in cogitatis conjuncta cum corpore ſive ad naturam corporis accommodata eſſe, & hoc ſenſu dici *propria* corporis. Quia corpus unum in extantibus non diviſum & non motum, ut ſupponimus, non habet quicquam in ſe quo dici diviſibile & mobile poſſit in pleno ſenſu quem iſtorum nominum ſignificatio comprehendit. Quandoquidem diviſibile & mobile in pleno ſenſu ſignificat poſſe dividi cum effectu relate ad cauſam, qua poſita in actu, corpus tam dividi & moveri quam diviſibile & mobile intelligitur. Et quidem *poſſe*, non magis quam *eſſe*, qualitatem rei in extantibus ſignificat extra nos, ſed in nobis animi affectum, opinionem, ſpem de eo quod

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

quod futurum cogitamus in uno propter aliud ſive relate ad aliud: ſicut verbum *eſſe* hunc in nobis animi affectum ſignificat quo affirmamus, nude & ſimpliciter ſine relatione ad cauſam propter quam ſit. Per hanc noſtram ſpem ſive opinionem in animo conceptam, perque eam quæ communiter conjuncta eſt imaginationem futuræ diviſionis in uno propter aliud, nulla quidem in corpore de quo cogitamus, attamen aliqua mutatio accidit in animo, qui aliter ſe affectum ſentit, quando cogitat corpus diviſibile ſive poſſe dividi, quam quando hoc non cogitat, atque iterum aliter, quando apud ſe dividit corpus, & rurſus aliter, quando relate ad præſens quod ſentit, ſive præſentem diviſionem in cogitatis, ſpem concipit, ſimiliter in futurum diviſum iri corpus: Atque in his omnibus de præſenti ſolum certa ſcientia eſt in noſtris de extenſo, diviſo & diviſibili cogitatis, de futuro ſpes & opinio tantum, quatenus diviſibile in futurum ſupponit cauſam dividentem, de qua in noſtris futuris cogitatis certi non ſumus. De Divinis enim in Mente æterna cogitatis jam non loquimur, cujus uno, ſimplici & puro actu, qui ſemper præſens eſt, corpus in extantibus diviſum & motum atque in hoc pleno ſenſu diviſibile & mobile intelligitur, tam ſua quam aliena vi, quando in hoc ſtatu poſitum eſt.

CVII. *Oſtenditur quid veri vel falſi ſit in dictis Philoſophorum huc pertinentibus, Proprium eſt inſeparabile à ſubjecto, emanat à forma ſubjecti &c.*

Ita putamus dicta illa Philoſophorum, *Proprium eſt inſeparabile à ſubjecto, Forma ſubjecti eſt cauſa emanativa Proprietatis, qua poſita proprium poni neceſſe eſt non interveniente actione:* Hæc inquam dicta putamus vera eſſe, ſaltem in cogitatis, quæ ſecunda vocamus, quatenus cum primis connexa intelliguntur & ſequuntur ex primis, quan-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

do attendimus , circumſpicimus & advertimus in noſtra poteſtate eſſe dividere & movere corpus , ſi non in extantibus [quod tamen poſſumus per noſtrum corpus] ſaltem in cogitatis. Quæ magis promota cogitatio eſt ab uno & ſimplici ſuppoſito in cogitatis primis ad aliud in cogitatis ſecundis , ad idea corporis extenſi , quæ comprehendit primum quod intelligi in corpore poteſt , ad ideam *diviſibilis* , *impenetrabilis* , *æqualis* , *inæqualis &c.* quorum abſtracta *diviſibilitas* , *æqualitas &c.* tacite ſupponunt , concreta includunt extenſum, quæ compoſitio atque acceſſio in cogitatis eſt. Iſta vero *conſecutio* ἀκολȣθία in cogitatis, quando corpus diviſibile cogito quia extenſum cogitatur , *Emanatio* eſt , quam Philoſophi cauſæ tribuunt quæ ab hoc effectu *Emanativa* vocatur , atque non efficiens extra nos ſed ſaltem ratio nos movens in animo eſt ad affirmandum expreſſe , vel ſupponendum tacite , diviſibile propter extenſum junctum cum corpore eſſe. Ita poſito corpore in extantibus extenſo [Philoſophi exiſtentiam ſubjecti vocant] hoc proprium , *diviſibile* , pariter poni neceſſe non eſt. Neque poſito extenſo in cogitatis , continuo diviſibile in cogitatis ponitur , non interveniente actione. Quia quanquam actio non interveniat corporis extra nos, actio noſtræ in nobis cogitationis intervenit , per quam dividimus corpus in præſens , atque intelligimus eſſe aptum dividi quia extenſum eſt , omni alio futuro tempore, ut hoc negari non poſſit , quod eſt *inſeparabile* eſſe. Simplex connexio ſine iſta illatione ſive conſecutione , quando vel expreſſe dico , *extenſum eſt diviſibile* , vel ſuppono *diviſibile in extenſo* , vocatur *inhærentia* , atque ea non amplius cauſæ & effectus, verum ſubjecti & adjuncti notio eſt, orta ex diverſo modo conſiderandi , tum in ſermone , tum in cogitatione. Omniſque emanatio , connexio & conſecutio

in

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

in his, ut & diſtinctio cauſæ, effectus, ſubjecti, adjuncti, mille errores parit & magnæ confuſionis cauſa in ſcientiis poteſt eſſe, quando ſignificatio horum nominum tranſlata ad rem intelligitur. Ac ſi diviſibile ad corpus accedat, à forma corporis promanet, iſtaque omnis acceſſio, conſecutio & diſtinctio, uti conſuetudine ſermonis ſupponitur in cogitatis, pariter ſupponenda ſit extra cogitationem. Ut in his [quæ generalis obſervatio eſt] hoc unum vitandum extremum ſit, *ne putemus verum vel falſum omnino ſive per omnia eſſe, quod verum vel falſum ab una tantum parte eſt*, ut certe ſuppoſitio in nominibus, de quibus jam nobis ſermo fuit, ab una parte vera in cogitatis, ab altera parte falſa in extantibus intelligitur, nec tamen ideo eſt omnino ſive ab omni parte, aut ſi mavis ſimpliciter, vera vel falſa. Latet enim tam in uno quam in altero dicto ſophiſma ſive fallacia à dicto ſecundum quid ad dictum ſimpliciter, ut Logici loquuntur.

CVIII. *Generalia ſuppoſita ſubſtantiva in cogitatis non ſignificare acceſſionem ſive compoſitionem in rebus: quod ſpeciatim in nomine Ens ex Ariſtotele confirmatur.*

Superſunt ſuppoſita ſubſtantiva conjuncta in cogitatis generalia quorum ſignificatio ſive ſuppoſitio tam de corporalibus quam de incorporalibus poteſt intelligi. Quatenus cogitata quæ proprie ſignificantur his nominibus non magis ad unius quam alterius rei naturam accommodata ſunt, atque tam poſſunt cum re una in cogitatis quam cum altera jungi. Ex quo ſequitur, quod ſimplex per abſtractionem ſignificatio, quæ in his difficilis eſt, non poſſit tranſlata ad rem intelligi. Quia *Ubi res diverſæ ſunt toto genere ſive tota ſubſtantia* [ſicut Mens & Corpus, atque ea omnia quæ ab una parte aliquid corporis ſunt, ut figura vel motus, à parte alia aliquid mentis, ut idea figuræ vel motus

motus ipſaque in nobis corporis idea] *hæ inquam res non poſſunt quicquam commune habere quod pariter in una & altera ſit*, non unam ſive communem ſubſtantiam, non unum & commune accidens, quod à parte rei eſt modus ſubſtantiæ, quæ regula ſine exceptione vera eſt : Et tamen, quæ regula etiam eſt vera, *una poteſt de rebus adeo diverſis cogitatio eſſe*, *unus & communis conſiderandi modus*, quando affirmamus, negamus, componimus, dividimus, comparamus &c. quorum omnium, tam in uno quam in alio rerum genere, fundamentum invenitur ſive ratio propter quam ſuppoſitio ſive ſignificatio conjuncta in cogitatis vera atque adeo generalis eſt communi conſuetudine ſermonis. Talia verò valde multa ſunt, primum ea quæ Philoſophi *Tranſcendentia*, vocant, *Ens*, *eſſentia*, *exiſtentia*, *ſubſtantia*, *accidens*, *unum*, *verum*, *bonum*, aliaque *attributa entis* ut loquuntur ; deinde ea quæ Logici *categorias*, *thematum ſimplicium affectiones*, *notiones ſecundas*, *argumenta* vocant : De his inquam omnibus manifeſtum eſt, quod propria ſive abſtracta ſignificatio in cogitatis intelligatur ſecundis, quæ cum antecedentibus primis [Logici *notiones primas* vocant] conjuncta intelliguntur. Atque id putamus ante omnia clarum eſſe cum dico *ens*, *eſſentia*, *exiſtentia*, quatenus hæc nomina originem à verbo trahunt primo & ſimpliciſſimo quod non ullius rei in ſermone verum affirmationis ſignum eſt, propriam & præciſam verbi ſine nomine ſignificationem quod attinet. Ab hoc verbo non poſſunt nomina iſta ſignificationem accipere acceſſionis ſive compoſitionis in Re, ut quidem in cogitatis accipiunt ſignificationem iſtam. Quandoquidem *Eſſe & non eſſe non eſt ſignum rei*, *ne quidem ſi ipſum ens dixeris nudum*, *id enim nihil eſt*, *ſed compoſitionem ſignificat*, *quam non licet ſine compoſitis intelligere.*

Ita

Ita Ariſtoteles de Interpretatione cap. 3. de ſignificatione primum in verbo *Eſt*, deinde in nomine *Ens*, atque etiam de ſigno negationis loquitur. Et facile colligitur ex his, ſignificationem in nomine *Ens* quæ adeo ſimplex videtur, revera compoſitam eſſe; quatenus primo aliquam Rem dicit, ſine qua Re, quæcunque demum ſit, nomen ens non intelligitur; deinde non nude & ſimpliciter nomen *Ens* de re in idea ſeu cogitatis primis ſimplicibus, verum de Re cum adjecto ſive cum acceſſione in cogitatis ſecundis intelligitur, quæ qualiſcunque compoſitio eſt: iſtam acceſſionem, hoc adjectum, prima & propria ſive præciſa & abſtracta verbi *Eſt* & nominis *Ens* ſignificatio comprehendit. Ita ὁ ὢν *Is qui eſt*, τὸ ὂν *Ens*, *id quod eſt* ſignificat. Ubi pronomina, *Is, Id, Qui*, atque ſimiliter, *Quid, Aliquid*, quia adeo generalia ſunt, ac debent eſſe, ut ſint vere Pro-nomina, aliter non poſſunt quam in cogitatis intelligi generalibus & valde confuſis, niſi quando cum applicatione ad particulare ſubjectum intelliguntur, Mentem, Deum, Corpus, vel ea quæ aliquid Mentis, Dei, aut Corporis ſunt, ut non ſit amplius τὸ ὂν αὐτὸ ψιλὸν, *ipſum ens nudum*, verum hoc, illud ens, notum in particularibus. Iſta applicatio, ſine qua in communi ſermone non intelliguntur hæ voces, magis diſtinctam cognitionem parit. Hac ſolum de cauſa §. LXXVI. adeo circumſpecte monuimus atque non uno loco inculcavimus, verum eſſe id quod Ariſtoteles aperte docet libro de Interpretatione cap. 3. quod in extantibus *nihil* ſit, id quod primo & proprie verbum *eſt*, vel ſolum per ſe nomen *Ens*, atque etiam nota negandi *Non*, ſignificat. Prorſus uti Plato hoc ipſum adverſus illorum temporum Sophiſtas monuerat, his verbis, non minus notatu dignis, in ſuo Sophiſta: *Id quoque nobis patet, quod dictio Aliquid circa ens aliquod ubique pronuntiatur,*

tur, atque impoſſibile eſt, ipſum Aliquid ſolum & quaſi nudatum ab omnibus his quæ ſunt, ſeorſim pronuntiare.

CIX. *Locus ex Carteſio allegatus, quo evinci poteſt, id quod Ariſt. de uno generali nomine Ens dicit, pariter dicendum de omnibus eſſe.*

Non jam allegabo plura loca quibus evinci poſſit tam divini Platonis, quam Ariſtotelis, qui ſe aliquanto magis ad humanitatem accommodavit, opinione univerſim verum eſſe de his generalibus, id quod Ariſtoteles ſpeciatim de uno nomine *Ens* vel *non-ens*, Plato etiam de nomine *Aliquid* obſervat. Neque jam probabo id quod veriſſimum eſt, Ariſtotelem eas omnes res, quas nominum ſignificatio comprehendit, ſaltem in cogitatis ſpectare, quatenus ad ea ſermo communis, quem natura docet, ita accommodatus eſt, ut *perveſtigare tantum opus ſit quid homines cogitent, ſentiant, opinentur*, inquit Cicero libro I. de Oratore. Non urgebo ſpeciatim, quam pauca, quam ſimplicia ſint τὰ ὄντα ὄντως, Ariſtotelis opinione, quam ille à Platone hauſit, quamque Carteſius confirmavit, in clara luce poſuit, atque, ut omnem aliam veritatem, ita hanc quoque ſuis veris & altioribus fundamentis ſuperſtruxit; quam ſint multa ex adverſo quæ quidem ut Res, ut Entia, ut *Aliquid* ſpectantur, conſuetudine ſermonis [eſt enim perſonatus ſermo inter homines ac debet eſſe] & tamen ſunt, ut cum Ariſt. loquar, ἐγγύς τι τοῦ μὴ ὄντος *tale quid quod parum à non-ente diſtat.* Non inquam ita ſpeciatim in cæteris generalibus iſtis, *unum, verum, bonum, neceſſarium, contingens, ſubſtantia, accidens, actus, potentia, perfectio, eſſentia, forma*, aliiſque innumeris, oſtendam, quod acceſſionem in rebus non ſignificent ſed ſaltem in cogitatis, uti hoc ſpeciatim de uno nomine *ens* atque de diverſis pronominibus probavimus; quia ſic per ſingula ire, inſi-

infiniti laboris eſſet, ne dicam, inutilis labor. Satius erit, ut compendio ſtudeamus, accommodatè ad hanc Ariſtotelis doctrinam, pauca ex Carteſio verba allegare, quæ ſi rectè intelligantur, in ſe præcipuum noſtræ aſſertionis fundamentum habent. *Cum volo, cum timeo, cum affirmo, cum nego, ſemper quidem aliquam rem ut ſubjectum meæ cogitationis apprehendo, ſed aliquid etiam amplius quam rei iſtius ſimilitudinem cogitatione complector; & ex his aliæ voluntates ſive affectus, aliæ judicia appellantur.* His in verbis quæ pagina ſecunda Tertiæ Meditationis leguntur, Philoſophus duo in noſtris cogitatis diſtinguit, quorum ſignificatio in uno poteſt nomine diſtingui, quando conjuncta ſunt: 1. *Rem quam ut meæ cogitationis ſubjectum apprehendo*, ſive ea res in nobis ſit ſive extra nos. 2. *Aliquid etiam amplius*, quod non pertinet ad eam rem, quemadmodum poteſt videri pertinere, quando id nominis unius vel plurium conjuncta ſignificatio comprehendit. Et quidem verba iſta *aliquam rem &c.* hoc ipſum ſignificant, quod nos per cogitata prima intelligimus: ſiquidem tam Carteſius quam Ariſt. rem omnem quam nominis ſignificatio comprehendit, in cogitatis ſupponit, quatenus mens rèrum omnium de quibus cogitat, formas induit, atque intelligendo & ſentiendo fit, quin eſt, ea omnis res quam primò & propriè ſentire vel intelligere dicimur, ut fere totidem verbis Ariſt. docet III. de An. cap. 8. Notandum ſolummodo, duplici conſideratione aliquid dici poſſe *primum* in cogitatis, primum in cognitione & nominatione, vel *quod ad nos*, ratione cognitionis confuſæ quæ incipit à compoſitis, vel *natura*, ratione cognitionis diſtinctæ, quæ incipit à ſimplicibus: quod quia ex ante dictis §. XCIX. manifeſtum eſt, exemplis non declaro. Verba quæ ſequuntur, *aliquid etiam amplius quam rei iſtius ſimilitudinem &c.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

comprehendunt ſecunda cogitata, quæ non continent in ſe quicquam quod dici poſſit ad rem ſive ad formam rei pertinere: ſunt enim *aliquid amplius*, *aliam præterea formam habent*, inquit Carteſius, vel, ut Ariſtoteles loquitur de generali ſuppoſito *Ens*, *compoſitionem adſignificant*, ſive acceſſionem, quæ in recto uſu ſermonis ut acceſſio in ipſis rebus non ſpectatur, ſed ſaltem in cogitatis.

CX. *Brevis applicatio hujus dicti ad ſuppoſita in cogitatis generalia, quæ voluntatum, affectuum & judiciorum qualitatem adſignificant.*

Ita Carteſius eo in loco accommodate ad ſcopum ſuum duobus iſtis nominibus, *voluntates ſive affectus & judicia*, comprehendit hoc *amplius* quod accedit ad primam & ſimplicem ſine eo Rei notionem in cogitatis, & tamen non pertinet ad Rem. Atque illius unum ſaltem hactenus præ cæteris exemplum habuimus in nomine Ens, quatenus affirmandi, & *non-ens*, quatenus negandi in ſe notam habet, *quod eſt nihil*, inquit Ariſtoteles, ſcilicet in Re. Hinc vero non ſequitur, plura nomina non eſſe generalia [de particularibus ſupra dictum fuit] quæ ſimiliter ſaltem in cogitatis communibus acceſſionem ſignificant, non in Rebus, quæ in ſemet ipſis non poſſunt quicquam commune habere, quando toto genere diverſæ ſunt, ſecundum Regulam de qua §. CVIII. diximus. Primum enim modus *volendi* unus & ſimplex non eſt, neque *affectus* eſt unus & ſimplex, verum multiplex & diverſus, *admiratio*, *amor*, *odium*, *cupiditas*, *lætitia*, *triſtitia*, *ſpes*, *metus*, *pudor &c.* Atque horum ſignificatio, quia eſt *hoc amplius* quod accedit, ſic poteſt conjuncta eſſe natura vel conſuetudine in cogitatis, ut videantur cum rebus ipſis conjuncta quæ illarum in nobis cogitationum ſubjectum ſunt. Ita cum dico *bonum*, *malum*, *honeſtum*, *turpe*, *utile*, *jucundum*, *triſte*, *terribile*, *mirum*,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

rum, *venerandum*, *pudendum &c.* atque horum abſtracta pronuntio, *bonitas*, *malitia*, *honeſtas &c.* videri poteſt acceſſio facta in rebus eſſe quæ illarum in nobis cogitationum ſubjectum ſunt, cum tantum acceſſio debeat in cogitatis intelligi. Hoc ſolum intereſt, quod quædam ex his cogitatis à nobis ipſis, ab opinione, conſuetudine &c. quædam à natura habeamus. Hæc natura, quia omnem in nobis opinionem atque conſuetudinem antecedit, non à nobis verum à Deo eſt qui nobis indidit honeſti, turpis, utilis, boni, mali &c. notam indelebilem in cogitatis noſtris, non quidem de omnibus quibus hæc nomina applicantur, attamen de aliquibus, quæ pauca, valde ſimplicia, & non tam corporis, ſunt honeſta, turpia, utilia, bona, mala, quam animi, qui ipſe apud ſe invenit horum omnium primum ſubjectum, de quo, ut ipſe ſentit, πρώτως, ἁπλῶς, ὄντως, vera ſunt nomina iſta. Similiter *judicia* diverſas formas habent atque ſub diverſa formâ ſunt cum rebus conjuncta, quod in nominibus, quæ jam *ſuppoſita ſubſtantiva conjuncta in cogitatis* vocamus, diverſam ſignificationem parit. Talia poſſunt haberi *verum*, *falſum*, *certum*, *incertum*, *poſitivum*, *negativum*, *neceſſarium*, *contingens*, *poſſibile*, *impoſſibile*, *privatio*, *habitus*, *oppoſitio*, *contradictio &c.* Hæc ſimiliter tam de corporalibus quam de incorporalibus intelliguntur in noſtris cogitatis, atque non ſine errore ſupponuntur Rerum in ſe ſpectatarum affectiones eſſe: ſiquidem qualitas ſive affectio judicii eſt, quam hæc nomina ſignificant, non ſeparatim ſed conjunctim cum re in noſtris cogitatis, ad quæ ſolum cogitata acceſſio pertinet, quam primo & proprie iſta nomina ſignificant.

CXI. *Etiam eſſe generalia ſuppoſita in cogitatis quæ qualitatem intellectus ſive modum intelligendi adſignificant.*

Superſunt vero multa alia nomina, adeo hic numerus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

innumerabilis eſt, *clarum*, *obſcurum*, *confuſum*, *diſtinctum*, *ſimile*, *diſſimile*, *diverſitas*, *identitas*, *unitas*, omniaque alia numerorum nomina abſtracta, ut jam de infinitis *relatis* non dicam, ipſoque illo generali nomine quo Ariſt. utitur, πρός τι *ad aliquid*. Quæ quidem omnia ſupponunt rem unam vel plures, quæcunque demum ſit [adeo generalia ſunt] non tamen proprie rem iſtam unam vel plures, verum *aliquid amplius* ſignificant ſive adſignificant, quod in recto uſu ſermonis non ut acceſſio in rebus ſpectatur, ſed ſaltem ut acceſſio in *modo intelligendi* ſive conſiderandi, qui multiplex & diverſus eſt, tam compoſitus & comparatus, quam ſimplex & abſolutus, tam ex vocabulorum quam ex rerum qualitate ortus. Atque ex antedictis manifeſtum eſt, conjunctam in his omnibus ſignificationem, quæ cum applicatione ad ſubjectum intelligitur in cogitatis primis, quæ ſunt quaſi corpus, ut ſi *clarum* de ſenſu doloris vel caloris, *diſtinctum* de idea extenſionis intelligam, ſatis facilem: eam vero, quam intelligere conamur præciſe ſive abſtractam in cogitatis ſecundis, ut ſunt umbra ſine corpore, difficilem eſſe: Augeturque multum difficultas, quando qualitas nominis in ſermone ad qualitatem rei in cogitatione accedit & videtur pertinere ad Rem, quod in valde multis accidit Logicis & Metaphyſicis notionibus, ut ſi dicam *ſubſtantia accidens*, *ſubſtantivum adjectivum*, *abſtractum concretum*, *ſingulare univerſale*, ut jam de *unitate & multitudine* non dicam, quatenus numerus ſingularis qui eſt nominis proprius intellectu grammatico, unitatis, pluralis numerus, multitudinis ſæpe notionem parit, in noſtris cogitatis. Verum quæ huc pertinent diſtinctius explicare, atque totum hoc Augiæ ſtabulum Logicum & Metaphyſicum repurgare, neque poſſumus neque debemus hoc in loco, ubi de humano ſermone & propria atque vera vocabulorum ſignificatione agimus.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

CXII. *Error ab una parte in Ariſtotelis, ab alia oppoſita, in Carteſii ſectatoribus notatus, quatenus illi multiplicant, hi minuunt entia ſine neceſſitate.*

Qua ratione negare non poſſumus omnino perverſam interpretationem eſſe atque inſignem humani ſermonis abuſum, qui mille erores parit, quando horum nominum ſignificatio tranſlata ad rem in extantibus intelligitur, cum tantum intelligenda in cogitatis ſit, quæ nos natura vel conſuetudo in recto uſu ſermonis docet. Verum hæc perverſa interpretatio non Ariſtotelis ſed Ariſtotelicorum fuit, quos ſcholaſticos vocant, qui hoc uno potiſſimum errore Ariſtotelis Philoſophiam corruperunt. Horum perverſa interpretatio mille figmenta peperit formarum ſubſtantialium, accidentium realium, facultatum & potentiarum, quæ neque aliquid corporis neque aliquid mentis, neque ipſa mentis vel corporis ſubſtantia ſunt, & tamen diverſa à mente & corpore, atque realiter, ut putant, diſtincta. Hi movent ineptas quæſtiones, an attributa Dei ſint Deus, an attributa entis ſint ens, an detur medium inter ens & nihil, an mundus ſit finitus an infinitus, an dentur ſpatia imaginaria, ſpecies intentionales & mille figmenta, quæ quidem *entia rationis* vocant, & tamen non explicant non dicunt diſtincte, quæ in his rationis ſive cogitationis qualitas ſit, quæ non poſſit alterius rei exiſtentis qualitas eſſe. Neque enim alia de cauſa tantis ſe difficultatibns involvunt, quam quia qualitatem nominis cum qualitate rei, rem in cogitatis, ut jam de apparentibus non dicam, cum re in extantibus confundunt, entiaque & nomina abſtracta multiplicant ſine neceſſitate. Attamen etiam diſſimulare non poſſumus, id quod jam a multis annis advertimus & monuimus amicos & diſcipulos: non aliam Carteſii quam Ariſtotelis fortunam fuiſſe, ſimiliter,

non-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

non ſua quidem ſed hominum, qui rebus alioquin optimis abutuntur, culpa, ut loquitur vir doctus ab hac Philoſophia non alienus, ut neque nos ſumus, atque hac ſolum de cauſa paucula quæ ſequebantur verba, quia duriora, omittimus, quanquam valde appoſita fuiſſent. Adeo rarum & difficile eſt, ſobriè & modeſtè philoſophari, intra certos ſe terminos continere, ſcientiarum fines vocabulorumque definitas ſignificationes loco non movere, atque ulterius non provehere, neque etiam magis in arctum cogere, quam id recta ratio, atque uſus in humana vita permittit. Eo enim prorſus modo quo Scholaſtici, non Ariſtotelem, quem certè non intellexerunt, ſed ſuum errorem ſecuti, peccaverunt in uno extremo, quando confuſe atque inconſiderate in extantibus ſupponunt plurima quæ Ariſtoteles, mentibus ſenſibusque hominum accommodate, ſaltem in cogitatis ſuppoſuit, non determinando quomodo & quouſque aliter ſint vel non ſint, niſi in valdè paucis & ſimplicibus: Eo inquam modo ſectatores non pauci Carteſii, ſuum proprium vel Hobbeſii errorem ſecuti, peccant in altero extremo, quando ſimiliter confuſe atque inconſiderate contendunt, non eſſe, ita ſimpliciter atque ſine diſtinctione, quæ ſuo modo ſunt & veritatem habent ſaltem in cogitatis, ut jam de apparentibus non dicam, quorum illi nomina ſimiliter perverſe interpretantur, in arctum coacta ſignificatione. Quod eſt entia atque nomina eorum quæ ſunt ſine neceſſitate minuere: ſiquidem diminutionis atque in arctum coactæ ſignificationis, major neceſſitas non eſt, quam amplificationis, tam una quam altera cum natura humani ſermonis pugnat. Ita uno atque eodem ſophiſmate ſive *fallacia*, ut vocant, *à dicto ſecundum quid ad dictum ſimpliciter*, vel *à dicto ſimpliciter ad dictum ſecundum quid*, quo ab una parte

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

parte olim deluſi fuerunt ſectatores Ariſtotelis, jam ab alia parte oppoſita (eſt enim contrarius aut ſi mavis idem error in aliud extremum deflectens) non pauci ſectatores Carteſii deluduntur. Atque tam hi Carteſianam ut vocant Philoſophiam corrumpunt & cœperunt corrumpere a multis annis, ut jam de corruptela, quæ hinc ſequitur, aliarum diſciplinarum non dicam, quam iſti a multis ſeculis corruperunt Ariſtotelicam, & fete inutilem in aliis diſciplinis reddiderunt figmentis atque additamentis ſuis. Sicut his quoque temporibus fere inutilis & plena periculi ſuo inſigni abuſu facta eſt magni uſus Philoſophia, quam ab autore Carteſianam appellant, cujus fines dum conantur ſine fine extendere, novis additamentis, fundamenta bene poſita evertunt, atque næ intelligendo faciunt tandem, ut nihil intelligant.

CXIII. *Quam ſit abſurda diminutio iſta, quæ veræ & notæ ſignificationis eſt everſio, atque novæ, quæ ignota eſt, ſubſtitutio paucis exemplis ob oculos ponitur.*

Ita putamus, ſi liceat libere eloqui quod ſentimus, & quod monuimus à multis annis, plus periculi, plus mali, in iſta diminutione atque in arctum coacta vocabulorum ſignificatione latere, quam quidem in multiplicatione & ſignificatione libera & plena, quæ ſic in arctum coacta non eſt. Quia diminutio primum nos à multis cogit vocabulis abſtinere, ac ſi ſint *voces inſignificantes* vel *barbaræ*, ſine quibus commode loqui poſſemus & Philoſophari, ut putant. Hoc ipſum vero nos uſus docet aliquando valde incommodum eſſe, præſertim in Philoſophia: ſicut in veſtitu incommodum eſſet varietate & ornatu carere, quando ſunt in uſu, atque iis aſſueti ſumus. Hac etiam de cauſa tenuis & exquiſitus victus eo qui ſit plenior maxima ex parte periculoſior, inquit Hipp. Aph. ſect. 1. §. 5. Deinde diminu-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

tio, quatenus etiam in una voce reſtricta ſive in arctum coacta ſignificatio eſt, intra anguſtum terminum illum τοῦ ὄντως ὄντος [& quidem in corporalibus, de quibus adeo ſolliciti ſunt] etiam multum habet incommodi, quando ut communiter fit, facta per reſtrictionem ſubſtitutio alienæ, atque propriæ ſignificationis everſio intelligitur, quæ propria ſignificatio neque poteſt neque debet everti, quatenus & quouſque communi conſuetudine ſermonis confirmata eſt. Ac ſi deſinat in nomine *ortus & occaſus* vera ſignificatio communis eſſe quæ de ortu & occaſu apparente intelligitur in oculis noſtris, ſi forte ὄντως in ipſo Sole non ſit motus iſte qui ad apparentem ortum & occaſum neceſſarius eſt, de quo, quia non cogitamus, etiam non loquimur communiter, & Philoſophis relinquenda iſta loquutio non communis eſt. Ac ſi, quia in corpore quod nos ſenſu caloris afficit, eſt motus varius inſenſibilium particularum, nomen calor non amplius de paſſione in ſenſu, non de qualitate objecti, quod ita movet ſenſum, &, generali ſaltem ſive qualicunque confuſa notione, intelligitur cauſa eſſe ſenſus, verum de iſto præciſe debeat vario motu intelligi, ipſumque hoc novum nomen *motus varius* ſubſtitui, quando loquendum eſt de calore. Quæ certe ſubſtitutio, ubi ipſa in nobis natura facile errorem detegit, adeo inepta & ſophiſtica eſt, ut periculum non habeat majus in Philoſophia quam Carteſianam vocant cujus hic inſignis abuſus eſt, quam habuit ſubſtitutio accidentium realium, formarum ſubſtantialium atque ſpecierum intentionalium, loco eorum quæ Ariſtoteles mentibus ſenſibuſque hominum accommodate ſaltem in apparentibus & cogitatis ſuppoſuit. Attamen in aliquibus, ubi error paulo ſubtilior & natura in nobis proclivior ad errorem eſt, habet plus periculi & majorem confuſionem

parit,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

parit, quam falſa & inepta Scholaſticorum ſuppoſitio: Ut ſi in moralibus, *bonum, malum, honeſtum, turpe, more, atque voluntate hominum*, ſubſtituas, ut certe faciunt his temporibus plurimi, pro eo quod *eſt naturâ bonum, malum*; quæ non tam ſubſtitutio, quam everſio eſt, quia, ſi non eſt quicquam per ſe & natura bonum ante humanam omnem voluntatem, non eſt ullum bonum. Si pro cogitatione motum corporis, pro idea in cogitatis neſcio quæ ſimulacra corporea, denique pro ipſa in nobis Mente Corpus ſupponas, ac ſi ut aliqui fingunt, *cogitatio opus corporis cogitantis ſit, & ſimilis eſſe poſſit in homine & beſtia cogitatio, non quicquam amplius quam corpoream rei ſimilitudinem complectens.* Quibus ita poſitis, ſequitur, id quod Dicæarchus apud Ciceronem libro I. Tuſc. dicit, *Nihil eſſe omnino animum, & hoc eſſe totum nomen inane*, inania omnia, quæ mentibus ſenſibuſque hominum accommodatè, cum nominibus diverſis, conſuetudine ſermonis, ut diverſa à corpore ſupponimus. Quod ſanè eſt evertere horum nominum ſignificationem, atque eam removere à ſermone inter homines, ut vellent, ſi poſſent, ipſas res removere.

CXIV. *Horum applicatio ad generalia in cogitatis ad quæ reſpicimus potiſſimum.*

Ac ſi abſtracta, quia ſunt voces inſignificantes in Re, puta corpore, continuo inſignificantes ſint in cogitatis de corpore, atque etiam in iis quæ non intelligimus pertinere ad corpus. Ac ſi generalia, *ens, eſſentia, exiſtentia, ſubſtantia*, abſtracta à verbo quod ſignum non eſt Rei, quæ ut res ſupponitur in ſermone qui perſonatus eſt, ſint, ut volunt, voces inſignificantes omninò ſive ſimpliciter, hoc enim ſophiſmate deluduntur. Ac ſi *affirmatio*, quam verbum eſt adſignificat cum numeri perſonalis, temporis &

 modi

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

modi diſtinctione, quia hoc totum ſignificatum non eſt corpus, non motus corporis, non ea ipſa res quæcunque demum ſit, quæ affirmationis ſubjectum intelligitur, non ſimilitudo, non imago, non idea una vel duplex; omnino non ſit, atque hoc totum ſit nomen inane, quando ſignificatio ab his omnibus diverſa ſupponitur. Ac ſi nomen *potentia* ortum à verbo *poſſum*, quod grammatici in Latino ſermone originem putant ab *eſſe* trahere, ac ſi *facultas* à *facere*, actio ab *agere*, nomen inane ſit; quia hæc ſingula ita præciſe in ſenſu diviſo non ſignificant, neque conjunctim in ſenſu compoſito notum faciunt, quid Rei ὄντως ſit, in nobis vel extra nos, à qua ſive per quam rem ſubjectum dicitur *agere, facere, poſſe.* Satis enim eſſe debet, nos clare intelligere, atque in aliquibus etiam diſtincte, quod tam nomina *facultas*, *potentia*, quam verba *facere, poſſe*, tam *actio* quam *agere*, ſupponant eſſe, quodque hoc ipſum eſſe, non quidem proprium rei attamen affirmationis ſignum ſit, quæ in his tacite ſupponit ſubjectum ſive Rem, quæ facere, poſſe, agere dicitur, quod eſt potentem, facientem, agentem eſſe, ſicut *Socrates ſapit*, ſignificat illum ſapientem eſſe, ut logica docet, quam nimium contemnunt qui forte aliter ſentiunt in his. Horum abſtracta, *facultas*, *potentia*, *actio*, veritatem habent & veram ſignificationem in concretis iſtis, quando, ut ſæpius monuimus, quia ſæpe idem error recurrit, non in ſenſu diviſo omnino ſeparatim, verum in ſenſu compoſito atque conjunctim cum applicatione ad ſubjectum intelliguntur, puta ad mentem in nobis, vel ad corpus ſeorſim, vel ad totum compoſitum conjunctim, ut jam de ſejunctis à mente noſtra aliis corporibus non dicam, quibus *facultatem*, *potentiam*, *actionem*, communi conſuetudine ſermonis tribuimus, qui ſermo verus eſt relate ad nos ſive cogitationem noſtram.

Atque

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

Atque id ſimiliter infinitis aliis poſſemus exemplis oſtendere aliorum nominum, quæ nos jam *ſuppoſita ſubſtantiva conjuncta in cogitatis* vocamus, ſive particularia, quæ ad naturam rei unius, puta mentem, corpus, hominem, vel ad diverſa genera rerum accommodata ſunt. Putamuſque horum nominum ſignificationem, neque ab humano ſermone, quo vel in communi vita, vel in diſciplinis utimur ad hujus vitæ uſum ſpectantibus removeri [ac ſi, ut loquitur Hobbeſius, *voces inſignificantes* ſint] neque per ſubſtitutionem everti debere, ac ſi non amplius *facultas*, *vis*, *actio*, *Natura*, *vita*, *anima*, verum *motus*, *materia primi elementi*, *globuli cœleſtes*, *particulæ ſtriatæ*, dicere, aliiſve debeamus novis nominibus uti, propter hoc unum, quod uſitata illa non ſignificent, non faciant notum in extantibus, id quod in iis Philoſophus deſiderat. Ex quo certe non ſequitur, quod aliud non ſignificent aliud non faciant notum, quod magis utile quin magis verum eſt communiter atque in aliis diſciplinis, & ſine quo non conſiſtit ſermo inter homines, ſine quo illi ipſi, qui contendunt has voces inſignificantes eſſe, loqui non poſſunt, & non loquuntur.

CXV. *Abſtractum in concreto veritatem habet & veram ſignificationem: & quam ſit neceſſaria hujus veritatis cognitio in philoſophia, extra philoſophiam non neceſſaria.*

Qua ratione audemus univerſim affirmare, ***Abſtractum in concreto veritatem habere & veram ſignificationem***, quando conſuetudine ſermonis vera atque uſitata eſt concreti ſignificatio. Quia abſtracta, quantum poſſunt eam præciſe formam ſive qualitatem ſignificant à qua res nomen habet in cogitatis noſtris, ſive ſit ſive non ſit rei alterius extantis forma vel qualitas. Atque hac de cauſâ forma, *ratio eſſentiæ* λόγος τῆς οὐσίας dicitur Ariſtoteli, ſicut

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

cut à muſica muſicus, à juſtitia juſtus nomen dici poteſt primum accepiſſe, quanquam in communi ſermone priora ſint concreta, *juſtus*, *muſicus*. Eo enim prorſus modo τὸ ὄν *ens*, *res*, *quid*, quaſi concreta & priora ſunt ſuis abſtractis, *eſſentia*, *realitas*, *quidditas*: ſicut *Lentulus*, *Appius*, priora ſunt abſtractis illis; *Appietas*, *Lentulitas*, quibus Cicero Appii & Lentuli in ſuis cogitatis qualitatem, vel, ut Nizolius interpretatur, *nobilitatem*, ita breviter & eleganter comprehendit; *quale* eſt prius quam *qualitas* ποιότης, *quod ipſum apud Græcos non eſt vulgi verbum ſed Philoſophorum*, inquit Cic. in Acad. Quæſt. Tam ſunt etiam Ciceronis opinione ad Philoſophiam neceſſaria abſtracta, ut jam de Mathematica non dicam, cujus demonſtratio omnis habet veritatem & certitudinem in abſtractis cogitatis. Ita etiam clarè intelligimus, abſtractum confuſe junctum cum concreto, in diſtincto & ſimplici intellectu eſſe prius concreto; eo modo quo pars conjuncta cum toto atque in toto exiſtens, natura prior eſt toto, quando de diſtincto & ſimplici intellectu loquimur. De hac omni compoſitione, diviſione atque abſtractione judicandum & loquendum eſt ſecundum naturam & conditionem partium quæ totum componunt in ſermone & cogitatione. Quas partes Ariſtotelici non male diſtingunt in integrales, formales, eſſentiales; atque Carteſius nobis viam monſtravit, aliquanto accuratius formale & eſſentiale in re diſtinguendi, quatenus formale ſaltem in cogitatis ſupponitur, eſſentiale etiam in extantibus, quanquam ab his non poteſt res ulla nomen habere, non interveniente humana cogitatione ſive ratione. De Divinâ enim ratione ſive cogitatione, quia una, ſimplex & æterna eſt, ſine compoſitione, diviſione, abſtractione, ſine umbris & involucris iſtis, de quibus dictum fuit, hic non loquor. Hanc verò Divinam rationem affecta-

re

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

re videntur Boni, qui eam in humano ſermone rerum & vocabulorum intelligentiam deſiderant, *Eam ſapientiam interpretantur, quam adhuc mortalis nemo eſt conſecutus; nos ea quæ ſunt in uſu vitaque communi, non ea quæ finguntur aut optantur ſperare debemus.* Verba Ciceronis ſunt in Lælio, quæ noſtra facimus, quia ad communem errorem detegendum, qui adeo antiquus eſt, non minus noſtris, quam Ciceronis temporibus accommodata ſunt. Mali, qui putant, *cum affirmamus hominem currere, non habere nos aliam cogitationem ab ea quam habet canis videns currere dominum ſuum*, uti hoc putavit Thomas Hobbeſius, cujus hæc verba ſunt, hi inquam Mali, quorum error etiam antiquus eſt, omne judicium quo affirmamus, omnem in nobis veram & liberam ratiocinationem, quæ plus quam copulatio nominum, plus quam imaginum corporearum neceſſaria incurſio eſt, evertunt; & hac præcipue de cauſa tam multas in humano ſermone contendunt voces inſignificantes eſſe, ridentque & contemnunt abſtracta de quibus loquimur nomina in cogitatis. Ut hic iterum vitanda duo extrema ſint, in quorum unum vel alterum deflectunt non pauci Carteſii ſectatores: ſiquidem Mali, ſuo proprio vel Hobbeſii errore ſeducti, prima Philoſophiæ quam Carteſius tradidit, fundamenta evertunt, deſtruuntque communem inter homines ſermonem. Boni, philoſophiæ iſtius principiis ſive fundamentis propriis aliena ſuperſtruunt, atque intellectum humani ſermonis abſtractum, quem admittunt, ut & illum nudum & ſimplicem, qui eſt proprius Philoſophiæ, in communem vitam, in alias artes, & diſciplinas, ipſamque Theologiam intrudunt, quantum audent & poſſunt. Ac ſi unus & communis debeat omnium hominum ſermo, unus & communis in ſermone intellectus eſſe abſolutam & intrinſecam veritatem comprehendens

dens

dens quam quærit Philoſophia, cui nimium tribuunt, ad quam omnia referunt. Ac ſi voces quæ inſignificantes & inutiles ſunt, quando rerum in ſe ipſis ſpectatarum cognitionem quærimus, ſint omnino inſignificantes & inutiles, quando hanc rerum cognitionem, vel non quærimus, vel etiam, quod in docendo accidit, his vocibus confuſe comprenſam intelligimus. Ac ſi larvæ & perſonæ in theatro omnino inutiles atque inſignificantes ſint, quia ſunt inutiles atque inſignificantes ad cognoſcendum nude hominem, qui ſub perſona ſub larva latet, qui homo non ſic in theatro debet, non ſic poteſt notus eſſe, ut quidem extra theatrum.

CXVI. *Primum fundamentum & præcipua ratio hujus omnis abſtractionis.*

Attamen in hac omni abſtractione qua ſimplex in ſuppoſitis ſignificatio invenitur, tanta difficultas non eſt, quanta videtur eſſe, quanquam in una major in altera minor ſit: ſi modo advertamus, ſignificationem quæ de paſſione vel cogitatione in apparentibus aut cogitatis intelligitur, in humano ſermone primam, maximè propriam & minus promotam; eam vero quæ de qualitate corporis atque univerſim de aliis rebus extantibus intelligitur, ſecundam & quaſi tranſlatam magiſque promotam eſſe, ut conſiſtere ſine ea ac vera eſſe poſſit prima & propria ſignificatio, cum quâ altera tantum conjuncta eſt. Ex quo perſpicue ſequitur, poſſe quidem apparentia & cogitata ſine aliis extantibus rebus nominari, ſupponi, eſſe; non contra, alias extantes res, quæ corpora ſunt, ſine apparentibus vel cogitatis, non ſine mente, quæ ipſa quidem corpus non eſt, attamen cogitat de corpore. Quia apparentia & cogitata ſola per ſe poſſunt rei notionem abſolvere quam nominis ſignificatio comprehendit & ſupponit, atque id valde frequens eſt in communi homi-

hominum ſermone. Ex quo ſequitur perſpicue quod de his debeat prima & ſimpliciſſima affirmatio intelligi. Res omnes aliæ extantes, quando eas nominamus & loquimur de ipſis, qualitatem & formam in apparentibus vel cogitatis accipiunt. Quatenus in nobis anima τόπος εἰδῶν καὶ εἶδος εἰδῶν *locus formarum & forma formarum eſt*, ut loquitur Ariſt. in libris de Animâ. Hanc formam & qualitatem in apparentibus aut cogitatis, prima & propria & minus promota nominis ſignificatio comprehendit, ſive ſit ſive non ſit alterius rei exiſtentis forma & qualitas; hanc reſpicit & ſupponit, tam is qui loquitur, quam qui audit & intelligit ſermonem. Neque alia de cauſâ tam ſæpe unus alterum non intelligit, atque illi qui loquuntur diverſum videntur de rebus iiſdem ſentire, quam quia Rei notio de qua loquuntur, una & ſimplex & ſatis diſtincta non eſt, verum, diverſa, compoſita, confuſa, ut tam poſſit ab una quam alia parte comprehendi & ſupponi. Hæc diverſa comprehenſio & confuſa diverſaque ſuppoſitio, facit, ut in uno nomine plus quam una poſſit ſignificatio eſſe, atque de re una, ut videtur, quia unum nomen eſt, diverſus hominum ſenſus, ſermo & intellectus diverſus. Iſta vero omnis diverſitas, quod notandum, non tam in verbi quam in nominis ſignificatione invenitur, quia notio affirmationis quæ propria verbi eſt, ut jam ſupra §. XCIII. monuimus, una & ſimplex in animis hominum, & ſic ſatis diſtincta eſt; notio rei, quam comprehendit nominis ſignificatio, adeo diverſa, confuſa atque etiam cum notione affirmationis, quæ verbo ſignificatur, ſic confuſe juncta, ut non poſſit ſine ea omni, de qua diximus, diſtinctione atque abſtractione intelligi. Quæ ſingula latius non deducimus atque per exempla non probamus ulterius, quia utcunque intelligi poſſunt ex iis quæ diximus, primum in vocibus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

ſecundi, tertii & quarti ordinis, quæ nomina paſſionum, deinde in vocibus ſexti, ſeptimi & octavi ordinis, quæ nomina [aut verba quod jam non diſtinguimus] cogitationum comprehendunt, quatenus ſignificatio, quæ in his omnibus primo & proprie de paſſione aut cogitatione intelligitur, magis vel minus promota eſt. Communiter autem ſive in communi ſermone ita non attendimus ad omnem in his diſtinctionem dictamque imprimis abſtractionem, atque ea quæ ex notionibus diverſis componuntur, non habentur pro compoſitis, quando notiones diverſæ ita inter ſe permiſtæ, confuſæ atque in unum coactæ ſive concretæ ſunt à natura vel conſuetudine ſermonis, ut una & ſimplex notio ſive ſignificatio videatur, quæ diverſa poteſt & compoſita intelligi: id quod jam porro aliquanto diſtinctius explicandum, atque ſimiliter latius deducendum eſt.

CXVII. *Suppoſita adjectiva, primum quaſi ſimplicia in uno nomine, quod vel ab origine ſubſtantivum potuit fuiſſe, vel eſt adjectivum ſubſtantive acceptum. Et quæ ſit nota in ſermone nominis ſubſtantivi vel adjectivi.*

Ita de *ſuppoſitis ſubſtantivis tum ſeparatis tum conjunctis* aliquanto prolixius dicendum fuit, quia ſubſtantiva in his ſimplicia non intelliguntur ſine abſtractione quæ propria primæ philoſophiæ atque ſic ſatis difficilis eſt, quando, ut oportet, apparentia & cogitata volumus ab ipſiſmet rebus extantibus diſtinguere, ſicut ea diſtinctio ſaltem in philoſophia unice neceſſaria eſt. Et hæc dici poſſunt *ſuppoſita prima*, quatenus non ſic alia multa ſine his, uti hæc ſine aliis intelliguntur, ſive confuſe ſive diſtincte, ut intelligi poteſt ex iis quæ de eo quod eſt prius vel poſterius in cognitione aut nominatione, primum §. XCIX, deinde CIX verſus finem diximus. Sequuntur *ſuppoſita adjectiva, orta ex primis*, quæ facile advertimus

timus compoſita eſſe, atque etiam ut compoſita ſpectabimus, quia notio atque nominatio rei, quam eſſe ſupponimus, multo magis intelligitur cum diſtinctione. In his etiam duo genera conſtituimus, quatenus quædam *ſuppoſita adjectiva expreſſè compoſita ex nominibus diverſis*, alia *quaſi ſimplicia* ſunt, quæ nomen unum ab appoſito habent, ſuppreſſo ſuppoſito quod tacitè conjunctum atque ejuſdem nominis ſignificatione comprehenſum intelligitur. Hac in comprehenſione ſive compoſitione adjectivum ſubſtantivi qualitatem accipit, quia conjuncta atque ſic in unum coacta ſignificatio eſt, quæ de adjectivo appoſiti in & cum ſubſtantivo ſuppoſiti intelligitur, ut unum quiddam eſſe cenſeantur non duo, quando unius ea nominis ſignificatio comprehendit. Qua ratione quædam ex his nominibus ab origine ſive ſecundum primam & propriam ſignificationem potuerunt facta eſſe ſubſtantiva, quatenus notio & ſignificatio qualiscunque ſubſtantiva ſuppoſiti, ut diximus, juncta atque in unum coacta fuit cum notione & ſignificatione adjectiva appoſiti; eo fere modo in nominibus, *pater*, *filius*, *Rex*, *dominus*, *magiſter*, *civis*, *hoſtis* &c. quæ facile advertimus ſuppoſita adjectiva eſſe; quo in nominibus, *mola*, *domus*, *navis*, *globus*, *cubus*, *culter*, *gladius*, *aqua*, *terra*, *mare*, *mons*, *ſylva*, *arbor*, *homo*, *animal*, quæ poſteriora primum in ſuppoſitis ſubſtantivis ſeparatis numeravimus, quia tam facile non advertimus, hæc etiam compoſitam ex adjectivo & ſubſtantivo ſignificationem habere. Attendenti autem manifeſtum fit, etiam ea nomina quæ maxime videntur in his adjectiva eſſe, ut *pater*, *filius*, *Rex*, *dominus*, &c. rem ſubſiſtentem ſignificare in ſuppoſitis, affectam qualitate & forma in appoſitis, ſic in unum coacta utriuſque notione, ut una quaſi ſimplex videatur nominatio ſubſtantiva

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

eſſe. Qua de cauſa iſta omnia *genus* admittunt, quod eſt proprium nominis ſubſtantivi, & pleræque linguæ, ut aliis ſubſtantivis, ita his quoque *articulum* præponunt, quo partim genus diſtinguitur, quod inter homines maſculinum & fœmininum eſt, partim ſignificatio determinatur, quæ vaga & incerta eſt, quando nomen ſubſtantivum plurium commune ſine articulo pronunciatur. Tales articuli in Lingua Græca ſunt ὁ ἡ τὸ, ſecundum tria genera quæ diſtinguuntur in ſubſtantivis; in belgica *een*, *die*, *de*, *dat*, *het*. Latini autem, qui non utuntur articulis, primum quidem terminatione, & tum quoque poſitione, ſubſtantivum ab adjectivo diſtinguunt. Atque tam in hiſce ſubſtantivis quæ facile advertimus ſuppoſitum adjectivum ſignificare, quam in aliis, ubi id tam facile non advertimus; primum una tantum ſive immobilis terminatio, & tum quoque poſitio ſive pronuntiatio in ſermone una & ſimplex eſt: ſiquidem tam unum in his quam alterum nomen, tam *Rex*, quam *mola*, *arbor*, per ſe, hoc eſt, ſine alio ſubſtantivo expreſſo perfectam ſignificationem habet de re quam nominamus ſeparatim ab aliis rebus, & verbo junctum, per ſe perfectam ſententiam facit de re quam affirmamus, atque iſta omnis ſeparata ſignificatio una tantum terminatione comprehenditur, quæ immobilis eſt in nominativo caſu. Deinde alia nomina ſuppoſitum adjectivum ſignificantia, non ſic ab origine ſubſtantiva ſunt verum adjectiva, ſubſtantivè accepta ſive ſubſtantivata, quando conſuetudine ſermonis, notio nominis ſubſtantivi tacite conjuncta eſt. Talia poſſunt eſſe apud Latinos, *dives*, *pauper*, *ſapiens*, *ſtultus*, *conjux*, *parens*, *infans*, *adoleſcens*, *ſenex*, *juvenis*, *gallus*, *italus*, *philoſophus*, *muſicus*, *muſica*, *grammatica*, *mutuum*, *depoſitum*, *debitum*, *creditum*, *bonum*, *malum*, *album*, *nigrum*, *curvum*, *rectum*,

par

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

par, *impar*, *duo*, *tria* &c. Et dico hæc adjectiva ſubſtantivè accipi, tum ſaltem quando cum iis tacite conjuncta intelligitur notio nominis ſubſtantivi, quod ſuam cum adjectivo qualitatem communicat, quatenus una cum appoſito adjectivo in his intelligitur ſuppoſitum ſubſtantivum, conjuncta ſive in unum coacta ſignificatione. Hac ſolum conſideratione habent nomina iſta notam nominis ſubſtantivi, articulo, genere, una & ſimplici terminatione, atque etiam ſeparata poſitione ſive pronuntiatione, ac ſi ab origine ſubſtantiva eſſent. Dico præterea, hæc nomina ab origine adjectiva eſſe, quatenus ſecundum primam & propriam ſignificationem, omnem habent notam & qualitatem nominis adjectivi, & pleraque communi conſuetudine ſermonis ſæpius ut adjectiva quam ut ſubſtantiva pronuntiantur. Adjectivi vero nominis qualitas eſt, primum quidem ſine articulo pronuntiari, deinde genus non admittere, & tamen aliquando diverſas terminationes, ſive ut aliqui grammatici loquuntur, perſonas habere ad genus, ut *doctus vir*, *docta mulier*. Et quando denique terminatio una tantum eſt ad omne genus, ut *fœlix rex*, *fælix regina*, nominis adjectivi poſitio ſive pronuntiatio una, ſimplex & ſeparata ſive abſoluta non eſt: primum quia communiter duci ab adjectivo poteſt comparatio, ſi dicas, *doctus doctior*, *ſenex ſenior*; & hæc diverſa ſecundum comparationem terminatio non cadit in ſubſtantivum, quatenus rem ſeparatam ſimpliciter & ſine comparatione ſignificat, atque de hac qualitate ſubſtantivi nominis Ariſtoteles loquitur, quando dicit, *ſubſtantiam magis & minus non recipere*, & hanc notam ſubſtantiæ eſſe, quam nomen ſignificat ſubſtantivum: deinde adjectivum inter nomina, ſolum per ſe perfectam ſignificationem non habet, & junctum verbo ſententiam non abſolvit, quia, cum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

dico, *bonus*, vel *bonus vivit*, ſine ſubſtantivo expreſſo vel ſuppreſſo, cogitatio ſuſpenſa hæret, de quo ſubjecto ſive ſuppoſito ſubſtantivo, intelligatur adjectivum appoſitum. Hæc inquam cogitatio hærens ſuſpenſa, aut ſi mavis, ſignificatio quæ hinc oritur vaga & non determinata ad ſubjectum, propria eſt nominis adjectivi. Et putamus ab origine fuiſſe hanc vagam ſignificationem adjectivam in multis nominibus quæ nos jam dicimus ſuppoſitum adjectivum ſignificare ſubſtantive, poſtquam conſuetudine ſermonis, adjectivum intelligi cæpit in & cum ſubſtantivo noto atque in hominum cogitatis determinato, appoſitum in & cum ſuppoſito, quod tacite conjunctum atque unius nominis, ac ſi unum ſint, ſignificatione, tali pacto comprehenſum fuit, ut non amplius vaga ſive ſuſpenſa, verum determinata ſignificatio intelligatur.

CXVIII. *Speciale exemplum ſignificationis compoſitæ in nomine Rex, quatenus ſuppoſitum adjectivum ſignificat ſubſtantivè.*

Qua ratione, ut hoc totum uno ſaltem illuſtri exemplo declaremus, communiter notum eſt, quando dico *Rex*, & ſupono id quod ſignificatur nomine iſto ; vel hunc Regem, puta Ludovicum in Gallia, Carolum in Hiſpania, vel quemcunque alium inter homines regem intelligi generali & confuſa notione. Ubi qualitas regis ad Ludovicum vel alium hominem ita pertinere cogitatur, ut *Rex* non aliter quam *Ludovicus* vel *homo* nomen ſubſtantivum ſit, ſed magis compoſita ſignificatione, quia notio regis & hominis vel Ludovici conjuncta intelligitur. Et quanquam Regis qualitas dici poſſit adjectiva in quocunque homine, quando primum accedit, poſtquam acceſſit & ad illum hominem pertinere intelligitur, ſubſtantiva fit, atque tam Regis quam hominis qualitas uno ſubſtantivo nomine comprehenditur. Quod adeo verum eſt, ut is qui Rex appellatur,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

latur, ſæpe alio nomine notus non ſit, videaturque hoc proprium nomen ſuppoſiti ſubſtantivi ſeparati ſive unius ſeparatim hominis eſſe, qui inter alia à quibus potuiſſet aliud nomen accepiſſe, qualitatem Regis habet. Et ſic de cæteris quæ ſimiliter in appoſito dignitatem, officium & quamcunque qualitatem ſive functionem; non ſeparatim ſed conjunctim cum homine ſignificant: qualia valde multa ſunt, partim ſubſtantiva ab origine, ut forte nomina *hoſtis*, *civis*, *ſocius*, *pater* &c. partim ſubſtantive accepta, ut *muſicus*, *philoſophus*. Hæc inquam omnia primo & proprie de homine intelligimus, qui vel eſt hic homo ſingularis, quem novimus, vel quicunque alius de genere hominum ad quem pertinere poteſt qualitas quam nomen in appoſito ſignificat, ſive à natura pertineat, aut conſuetudine ſive uſu, quæ altera natura eſt, ſive inſtituto & conſenſione eorum qui eodem ſermone utuntur, quandoquidem modus acquirendi qualitatem valde diverſus eſt.

CXIX. *De Significatione una aut diverſa, in nomine Rex ſimilibuſque aliis, ratione ſuppoſiti atque appoſiti, obſervatio generalis.*

Et dico primo & proprie hæc nomina de homine intelligi: quia quando nomine Rex, ut hoc uno ſaltem exemplo utamur, aliud animal præter hominem, vel Deum intelligo; non prima & propria, verum tranſlata ſignificatio eſt, fundamentum habens in ſimilitudine, quam ſuppono, primum inter hominem & aliud animal, deinde inter hominem & Deum, aliud vivens. Hoc ſolum cum diſcrimine, quod, ſicut animal quodcunque infra, Deus cogitatur ſupra hominem eſſe, ita qualitas regis in alio animali inferior, in Deo debeat ſuperior quin ſuprema cogitari, atque in nomine Rex ſignificatio diverſa eſſe in appoſito, ut ſunt ſuppoſita diverſa. Quod adeo verum eſt, ut etiam inter homines poſſit locum habere diverſa ſuppoſitio

tio

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

tio iſta,atque apud intelligentes,ſignificatio in appoſito diverſa, ſecundum qualitatem ſuppoſiti, quando nomen Rex, ut communiter fit,ab homine ad hominem transfertur, qui forte natura pares non ſunt, poteſtate,dignitate & quacuncunque qualitate, quam ſupponimus in eo qui inter homines Rex appellatur. Attamen imparitas qua Regem à rege inter homines diſtinguimus, communiter non tam in qualitate ſuppoſiti, quam in qualitate appoſiti ſpectatur. Primum quia non ſic à natura homo unus altero inferior eſt vel ſuperior qualitate ſuppoſiti, quam in Rege ſpectamus, ut eſt animal quodcunque infra, Deus ſupra hominem; verum, ſingulos homines ſi ſpectes, eos communiter cogitamus natura pares eſſe, poteſtate, dignitate & quacunque qualitate, quæ ſupponitur in eo qui Rex appellatur. Cumque adeo Reges, qui pares cogitantur qualitate ſuppoſiti, quæ à natura ineſt, etiam poſſint pares eſſe qualitate appoſiti, quæ accedit conſenſione eorum qui ſe regi patiuntur: perſpicue ſequitur, in uno & communi nomine Rex, quando ab homine ad hominem transfertur, unam & communem poſſe ſignificationem eſſe, quæ de uno ſive communi appoſito, ſecundum unam & communem conditionem ſuppoſiti intelligitur. Deinde ſi qua eſt diverſitas ſive imparitas inter eos, qui Reges appellantur, puta inter Alexandrum & Philippum, qualitatem & conditionem in his ſuppoſiti quod attinet quæ à natura ineſt; hinc non ſequitur continuò imparitas ſive diverſitas in qualitate appoſiti quæ ab inſtituto accedit, neque in nomine Rex idcirco diverſa ſignificatio eſt. Quandoquidem tacito vel expreſſo conſenſu eorum qui Regibus ſubjecti ſunt & ſentiunt hoc, atque ſecundum hunc ſenſum & conſenſum nominis ſignificationem intelligunt; Reges qui qualitate ſuppoſiti forte pares non ſunt, poſſunt pares

res

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

res haberi qualitate appoſiti. Atque etiam qualitas ſuppoſiti communiter nota non eſt, ut deberet eſſe, ſi eam nominis ſignificatio comprehenderet; & ſi forte eſt nota qualitas ſuppoſiti, diverſa, communiter ita non attendimus ad eam, ut quidem ad qualitatem appoſiti, quam nomen Rex ab origine primo & proprie magis expreſſe & diſtincte ſignificat, ſuppreſſa qualitate ſuppoſiti. Uſque adeo ut iſta omnis diverſitas qua Regem à Rege diſtinguimus, ut ſit magis vel minus Rex, communi conſuetudine ſermonis ſpectetur in appoſito: quandoquidem appoſiti, à quo Rex nomen habet, una inter homines qualitas non eſt, quia unam ſive parem qualitatem neque ipſe ſibi ſumit omnis Rex quando poteſt, neque ab iis qui ſe regi patiuntur, accipit, ſiquidem iſta ſive ſumptio ſive acceptio & conceſſio valde diverſa eſt. Neque aliter putandum de cæteris magiſtratuum vocabulis, *princeps*, *imperator*, *prætor*, *conſul* &c. Horum omnium vis & poteſtas in ſingulis eodem modo ut in nomine Rex poteſt valde diverſa eſſe quanquam communiter non attendamus ad diverſitatem, quam ſenſim & ſine ſenſu conſuetudo ſermonis ſive uſus parit; præterquam quod nominis ſubſtantivi proprium ſit, non recipere magis & minus uti nos Ariſtoteles de ſubſtantia docet: quod nihil aliud eſt, quam ſubſtantivum puta Rex, non ſic una & ſimplici terminatione ſignificare magis & minus, uti in adjectivis cum diverſa terminatione, diverſa ſecundum magis & minus ſignificatio eſt: de qua adjectivi & ſubſtantivi nominis diverſa qualitate plura diximus. §. CXVII.

CXX. *Specialis obſervatio de notione ſuppoſiti, quatenus vel de uno ſingulari aut uno genere diſtinctè, vel de diverſis confuſe intelligitur.*

Ut jam porro aliquanto diſtinctius intelligamus; qua

 ratione

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

ratione in omni nomine quod ſuppoſitum adjectivum ſignificat, quanquam ſimplex videatur, compoſita ſignificatio ſit: notatu valde dignum eſt, quod ſignificatio quam dicimus compoſitam eſſe ex notione ſuppoſiti atque appoſiti, in aliquibus quidem manifeſta, in pluribus autem obſcura & ſic in unum coacta ſit, ut in communi ſermone diſtincte non intelligatur. Et primum quidem de *ſuppoſito* obſervamus, quod in uno magis in alio minus definitum atque notum ſit ſecundum propriam & particularem naturam, in aliquibus omnino indefinitum, atque generali notione comprehenſum quæ vaga & incerta eſt, quia de rebus poteſt toto genere diverſis intelligi, ſive de omni *Ente* ut philoſophi loquuntur. Dicimus autem *ſuppoſitum definitum* & ſatis notum eſſe, quando vel de uno ſingulari quod novimus, vel de uno genere intelligitur, ſecundum unam naturam ſive qualitatem, quæ plurium communis eſt. Sicut enim, quia ſimilitudo inter duos vel plures homines intelligitur, atque inter hominem & aliud animal, quin inter hominem & Deum, quatenus *homo Dei progenies* eſt; ſuppoſitum in nomine Rex intellectum fuit, primum quidem ſpeciatim de aliquo ſingulari homine, deinde de homine quocunque qui habet qualitatem iſtam, hinc de alio animali quod infra, & ſic denique de eo quod æternum vivens & intelligens eſt ſupra hominem: ita omne aliud nomen, quod ſimiliter dignitatem, officium & quamcunque qualitatem in homine ſignificat, primum quidem de uno ſingulari homine, *patre*, *filio*, *domino*, *ſervo*, *judice*, *duce*, *imperatore*, *conſule*, *prætore*, &c. deinde de homine quocunque qui habet qualitatem iſtam, intellectum fuit; iſteque intellectus in aliquibus eſt tranſlatus ad aliud animal vel aliud vivens, quod infra vel ſupra hominem ſupponimus. Qua ratione nomina *pater*, *filius*, *hoſtis*, *domi-*

dominus, *amicus*, etiam de brutis animantibus, etiam de Deo poſſunt intelligi, ut jam de pluribus aliis non dicam, quorum ſignificatio ſimiliter ab homine ad Deum translata eſt in ſermone quo Theologi in Sacris utuntur. Audemuſque univerſim concludere ſimiliter in omni alio nomine quod ſuppoſitum adjectivum ſignificat, notionem ſuppoſiti primum ſingularem fuiſſe ſive propriam, antequam facta communis ſive generalis eſt: hoc ſolum cum diſcrimine, quod generalia quædam de uno genere, alia de pluribus vel omni genere intelligantur, quatenus notio ſuppoſiti tranſlata ab uno ad aliud magis vel minus generalis eſt. Iſta vero omnia ſuppoſita, quæ vel de uno ſingulari, vel de uno genere diſtinctè intelligimus, ut ſi *mutuum*, *debitum*, *creditum*, *meum*, *tuum*, de hoc equo ſingulari, de hoc ſpeciatim argento, vel de uno ſaltem genere intelligas, *ſuppoſita definita* vocamus; quæ autem de ſuppoſitis toto genere diverſis, *indefinita*: ut ſi hæc ipſa atque multa alia nomina, puta *unum*, *duo*, *tria*, *par*, *impar*, *æquale*, *inæquale*, *plus*, *minus* &c. quæ primum intellecta de ſubjectis corporalibus ſunt proprie & ſatis diſtincte, generali & confuſa intelligas notione, quæ corporalia atque incorporalia ſine diſtinctione comprehendit. Iſta vero comprehenſio facit, ut iterum cum diſtinctione poſſit notio ſuppoſiti intelligi, vel de corporalibus, vel de incorporalibus ſeorſim: quatenus in his locum invenit regula de qua ſupra diximus §. LXXXIV. *Eorum quæ conjuncta ſunt* [puta corporalia atque incorporalia in notione appoſiti] *tam poteſt diſtincta & ſeparata, quam una & conjuncta ſignificatio intelligi.* Quanquam ſimplex & diſtinctus intellectus conſuetudine ſermonis ita confirmatus non ſit in notione ſuppoſiti, de qua jam nobis ſermo eſt, ut quidem confuſus & compoſitus iſte. Quæ obſervatio in humano ſermone

valde neceſſaria, atque ex iis quæ ſupra dicta ſunt de ſimplicibus per abſtractionem ſuppoſitis, ſatis manifeſta eſt.

CXXI. *Specialis obſervatio de notione appoſiti, quatenus primum diſtincta & ſatis nota, poſtea confuſa & fere ignota eſt.*

Notionem appoſiti quod attinet, ea ſimiliter in his nominibus aliquando quidem nota & manifeſta, ſæpius autem ignota vel obſcura atque ita confuſa eſt ut diſtincte non intelligatur. Et primum quidem ſive in prima nominatione, quando res nomen ab appoſito accipit, ſignificatio fere una, ſimplex & communiter nota eſt inter eos qui eodem ſermone utuntur & rationem primæ ſignificationis intelligunt atque conſentiunt in eo. Ut ſi *Prætor* ſecundum Varronem dictus fuerit quaſi *Præitor*, quod præiret, ſive præeſſet in urbe, in exercitu, in provincia; *Conſul à conſulendo*, *Quæſtor à quærendo*, quod publicæ quærendæ pecuniæ propoſitus eſſet; *imperator ab imperando* in exercitu cui præerat. Et ſic de cæteris vocabulis quæ ſimiliter inter homines poteſtatem, dignitatem, officium & quamcunque qualitatem ſignificant, ſiquidem iſta omnis ſignificatio ab origine videtur ſimplex & ſic ſatis diſtincta atque nota fuiſſe. Neque aliter putandum de omnibus aliis quæ appoſitum cum ſuppoſito ſignificant in quocunque alio rerum genere, ubi non ſic locus dignitati eſt vel poteſtati, quæ homini in appoſito tribuitur. Ut ſi *Album* dicas, intelligendo tabulam albam in qua Prætores Romani edicta ſcribebant, quod appoſitum partim in apparentibus partim in cogitatis fuit; utrumque ſatis notum ab origine, ſicut Tabula iſta ab origine nota fuit in ſuppoſitis. Poſtea vero quando nomina iſta applicantur, ſive inter homines, ſive in alio rerum genere, ſignificatio, quæ ſic primum fere una & ſimplex & ſatis diſtincta atque nota fuit, tum in appoſitis, tum in ſuppoſitis, ſenſim & ſine ſenſu facta eſt mul-

tiplex

tiplex & diverſa, atque in pleriſque [notionem appoſiti quod attinet de qua jam nobis ſermo eſt] magis compoſita & confuſa; & quandoque ſic omnino tranſlata ad aliud intelligitur vel conjuncta cum alio quod magis afficit nos, ut amplius notum non ſit id quod prima & propria ſignificatio ab origine comprehendit. Ita factum eſt ut primæ ſimpliciſſimæque horum nominum origines ſive radices, ſi non omnes plurimæ ſaltem ignotæ ſint, quia notum non eſt primum ſimpliciſſimumque appoſitum à quo res accepit nomen ſuum. Id quod putamus accidiſſe in valde multis *hominum*, *animalium*, *plantarum*, *urbium*, *montium*, *fluminum nominibus propriis*, & forte in his ipſis communibus, *homo*, *animal*, *planta*, *ignis*, *aer*, *aqua*, *terra*, *mare*, *flumen*, *corpus*, *ſpiritus* &c. Quandoquidem hæc omnia primum forte nomen ab appoſito acceperunt adjectivo, quod quia jam nobis ita notum non eſt, uti ab origine fuit, ſignificatio in his nominibus adjectiva eſt ignota, numeranturque hac ſolum de cauſa in ſuppoſitis ſubſtantivis ſeparatis §. XCVII. & XCIX. Hujus vero omnis ignorantiæ prima ſive univerſalis cauſa videtur partim à natura rerum, partim à natura humani ſermonis petenda, quatenus res ipſæ communiter fluxæ & mutabiles atque infinitis inter ſe modis compoſitæ & confuſæ ſunt, quando eas nominis ſignificatio comprehendit, quæ partim de apparentibus & cogitatis, partim de ipſiſmet rebus extantibus ſine diſtinctione atque non uno modo intelligitur. Similiter ipſe per ſe ſermo inter homines fluxus & mutabilis eſt propter infinitam humanæ vocis inflexionem alterationemque in ea perpetuam, quæ primum in una lingua diverſam pronuntiationem & tum quoque diverſas parit novas linguas, in quibus, ſi forte una vox, puta *Conſul*, uſitata ſit, notum non eſt quæ prima appoſiti ratio ab origine fuerit, quia vocis origo non ſic in nova

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

lingua nota eſt, uti in antiqua fuit. Et omnino novas ſive diverſas voces quod attinet, harum novæ poſſunt origines eſſe omnino diverſæ ab antiquis, quamvis forte res adeo diverſa non ſit; quia in una re quam verbi cauſa ſignificant nomina *pater*, *filius*, *conſul*, *prætor*, *rex*, *album* &c. omnes homines ad idem non attendunt, ſicut poſſunt quando volunt, ad idem attendere in iis quæ magis ſimplicia, atque in cogitatis magis determinata ſunt, ut *triangulus*, *circulus* & talia mathematicorum abſtracta: ut jam de compoſitis non dicam, quæ ſubſtantiva ſeparata vocamus, quanquam ab origine adjectiva ſint, *ignis*, *aer*, *aqua*, *terra*, *ſol*, *luna* &c. quorum ſignificatio tam in apparentibus quam in cogitatis, videtur determinata per naturam eſſe, quanquam ad unum & ſimplex in natura appoſitum ſignificatio in omni lingua determinata ſimiliter non ſit. Quæ ſingula latius non deducimus, atque in particularibus per exempla non confirmamus, quia ex ante dictis utcunque intelligi poſſunt, & plenior magiſque particularis intellectus ab ipſa rerum ac linguarum cognitione pendet.

CXXII. *Notio appoſiti in his nominibus ad aliquid indefinite; & quæ hinc orta ſit perverſa interpretatio, per libidinem præcipuè.*

Verum enimvero, ut de his aliquanto ſaltem diſtinctius dicamus, quantum permittit ratio inſtituti noſtri, notari velim, notionem appoſiti in his nominibus communiter non abſolute verum relatè intelligi, quæ Ariſtoteles τὰ πρός τι *ad aliquid* vocat; ut ſignificatio compoſita ſit non ſolum *in caſu recto*, ut grammatici loquuntur, quatenus *Rex* hominem regentem ſignificat, atque hoc adjectivum hominis in caſu recto eſt; verum etiam *in obliquo*, quatenus hominum aliorum & quarundam ſaltem humanarum actionum reſpectu nomen *Rex* intelligitur, atque hoc adjectivum dici poteſt in obliquo. Sic vero una & altera qualitas quam

quam forte nomen ab origine ſignificat ſatis diſtincte *ad aliquid*, poteſt confuſe latius deducta, poteſt magis in arctum contracta intelligi, quando vel ad plurà, vel ad pauciora, vel etiam indefinitè & confuſe ad omnia extenditur ſine diſtinctione. Ut ſi Prætor vel imperator in exercitu aut provincia videatur prætor vel imperator in urbe aut univerſo populo fuiſſe; ac ſi omnino indefinita & confuſa prætoris vel imperatoris poteſtas fuerit, quia eam nominis ſignificatio non definit & non diſtinguit. Quæ certe olim perverſa interpretatio fuiſſet, quando poteſtas prætoris vel imperatoris non alia quam in exercitu erat, ex ſuppoſitis ſive conceſſis, ad quæ vera horum nominum ſignificatio debet accommodata intelligi. Atque etiam ex adverſo, quando ſupponitur amplior poteſtas, ut certe poteſt ſupponi & concedi: interpretatio, quæ contra ſuppoſitionem & conceſſionem in arctum coacta intelligitur, perverſa erit. Neque tamen unquam nomina quæ hoc pacto inter homines poteſtatem, dignitatem & officium ad aliquid ſignificant, puta *rex*, *dominus*, *conſul*, *pater*, *magiſter* &c. in recto uſu ſermonis omnino indefinite intelliguntur; ac ſi non eſſet quicquam, quod patris in filium, domini in ſervum, principis in populum, omneſque & ſingulos in ſuo populo, atque etiam in populum quemcunque alium, poteſtas non attingeret. Verum hic inſignis humani ſermonis abuſus eſt, quem ex parte quidem error vel ignorantia, præcipue vero libido vel malitia parit, quando quiſque poteſtatem, quam vel ipſe ſibi ſumit, vel ab aliis accipit, quia eam ſola per ſe nominis ſignificatio non definit, cupit ad plura extendere, quam vel Natura, vel Ratio, vel Lex permittit, ſive unus homo ſeorſim, ſive plures ſupponantur, vel in una civitate, vel in civitatibus diverſis.

CXXIII.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

CXXIII. *In nominibus quæ vel inter homines poteſtatem, vel in alio rerum genere qualitatem appoſiti ſignificant ad aliquid, ſignificatio abſoluta atque omnino indefinita, cum Natura, Ratione, vel lege pugnat.*

Primum enim cogitandum eſſet, omnis humanæ poteſtatis atque dignitatis fines ſive terminos eſſe à Natura conſtitutos, in aliquibus, ſive unius hominis in ſe ipſum, ſive hominis in hominem aut alias res poteſtas ſpectetur. Qua ratione neque ſervus neque dominus intelligi poteſt ullus homo ſic ab omni parte, ut non ſuperſit quicquam in quo ſervus aut dominus non ſit nec poſſit eſſe; quia ſic omnino ſervum aut dominum eſſe cum natura & conditione hominis pugnat, atque de homine nimis alte & ſuperbe ſentit qui ſic illum dominari, nimis abjecte qui ſic illum poſſe ſervire cogitat. Idem puta de infinitis aliis vocabulis quæ appoſitum in & cum ſuppoſito ſignificant, ſive inter homines ut *pater*, *filius*, *paſtor*, *hoſtis*, *amicus*, *frater* &c. ſive in alio rerum genere, ut *mutuum*, *depoſitum*, *creditum*, *debitum*, *vacuum*, *inane*, *alimentum*, *medicamentum*, *venenum*, *fermentum* &c. Siquidem nomina iſta in recto uſu ſermonis abſolute non intelliguntur, verum relate *ad aliquid* πρός τι, & hoc aliquid plura quidem aliquando, non tamen unquam omnia ſine fine & termino comprehendere, ipſa nos in aliquibus natura poteſt rerum docere. Hos terminos noviſſe atque in eo acquieſcere, ſapientis, in eo non acquieſcere, ſtulti atque inſanientis eſt. Deinde ubi Natura ita non conſtituit terminos, vel termini quos conſtituit ita noti non ſunt [uti eſt notum, dominum hic in terris dominium in aſtra non habere, non ſic in belluas ut quidem in ſubjectos ſibi homines] recta ratio & communis ſenſus ipſaque in multis experientia ſtultorum, ut dicitur, magiſtra, docent, quod ſint atque debeant eſſe termini in ea ipſa latitu-

titudine ſive indefinita notione quam nomen in recto uſu ſermonis ſignificat. De his confuſe terminis intelliguntur dicta, quæ in ore omnium hominum verſantùr, *Eſt modus in rebus* &c. *Nequid nimis*. *Virtus in medio*, atque Ariſtoteles non male formam virtutis in mediocritate conſtituit, *quam in nobis ratio definit ut prudens definiret*, libro 11. Eth. cap. 6. Neque hæc dicta deſinunt vera eſſe, ſi forte in regia vel patria poteſtate [quæ in mediocritate formam virtutis habet] quis modus, quis finis, quid tandem ultra citraque nimium ſit vel debeat eſſe, ita præciſe definitum non ſit, ſicut mathematici magnitudines & figuras definiunt ut volunt in cogitatis, atque ſecundum eam quam hoc pacto ſupponunt definitionem cujuſque nominis ſignificationem intelligunt, vel etiam ſine nomine ſignis aliis hunc unum intellectum notum faciunt. Ac ſi, quia ſic, ut volumus, non poſſumus regiam vel patriam poteſtatem definire, ſequatur omnino indefinitam debere poteſtatem concedi, tam in extantibus, quam in cogitatis; ſicut numerus partium in diviſione continui ſupponitur concediturque indefinitus, quia finem & modum non intelligimus, atque, hæc vera apud Mathematicos & Phyſicos ſuppoſitio veraque nominis ſignificatio eſt, quando de diviſione continui in infinitum loquuntur. *Perveſtiganti* enim [quæ optima in his regula interpretandi eſt, quam Cicero in Oratore ad perſuadendum requirit] *quid homines cogitent*, *ſentiant*, *opinentur*, *expectent*, quando pronuntiant vel audiunt vocabula, de quibus jam nobis ſermo eſt, manifeſtum ſit, eam quam ſignificant qualitatem appoſiti cum modo intelligi, quem in aliquibus [ut quod regia vel patria poteſtas non ſic ad cogitata, ut quidem ad facta & dicta, non tamen ad facta & dicta omnia ſe extendat] Natura, in pluribus Ratio definit, ſi non diſtinctè &

expreſſè, ſaltem tacite & confuſe, ſi non omnium & ſingulorum, plurium ſaltem recte ſentientium atque rem intelligentium conſenſione, cui parendum eſt: eo fere modo quo longitudo viæ quam intelligentes ſciunt infinitam non eſſe, hoc ipſo ſupponitur, creditur, atque intelligitur finita eſſe, quamvis ignotum ſit, quis præciſe ultra citraque ſit finis. Quia denique ſua cuique ratio ſive communis ſenſus non ita dictat in omnibus & ſingulis ut quidem in aliquibus, quis modus & finis poteſtatis ſive dignitatis ſit quam nomen in latitudine ſive indefinite ſignificat: Cogitandum porro eſt, multa legibus definita intelligi, multa pactis ſive conventionibus, multa denique ſolo uſu ſive conſuetudine ſermonis, quæ quaſi altera natura atque etiam tacita Lex eſt, quando homines plures in una civitate unumque inter eos ſermonem ſupponimus, qui ut vere ſit, unus & conſentiens ſermo, quantum poteſt ad unum debet intellectum accommodatus eſſe.

CXXIV. *Quam ſit in his mutabilis ſermo inter homines, per libidinem præcipuè; & quod non ſic in Eruditorum, ut quidem in Populi lingua, ferenda ſit libido iſta.*

Ita aliquanto prolixius dicendum fuit de iis ſpeciatim nominibus quæ inter homines poteſtatem & quamcunque dignitatem in appoſito ſignificant, quatenus ſignificatio compoſita atque diverſa eſt, tum *in recto*, tum *in obliquo, ad aliquid*, ut loquimur cum Ariſtotele & Grammaticis, quia aliter in his non potuimus exprimere mentem noſtram. Oſtendimuſque ſignificationem quæ ad aliquid intelligitur in obliquo, non tam à natura vel ratione vel experientia, quam à libidine ſive perverſa voluntate vagam & incertam ſupponi, atque hac de cauſa lege in multis debere definitam eſſe. Uti ex adverſo, quando libido ita non intervenit, non tam lex, quam natura atque ea quæ

in

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

in nobis eſt ratio vel experientia, ipſeque in plurimis loquendi uſus, qui vel in communi vel in proprio eruditorum ſermone ſpectatur, ſignificationem de appoſito ad aliquid definit. Atque id tam de iis verum eſt, quæ inter homines ſive in rebus humanis, ut ſi dicam, *ſocius*, *amicus*, *philoſophus*, *ſapiens*, quam in alio rerum genere, verbi cauſa *alimentum*, *medicamentum*, *fermentum*, *venenum*, citra libidinem communiter qualitatem appoſiti ſignificant. Et dico, communiter, quia in his quoque aliquando locus eſt libidini, quæ vagam & incertam ſignificationem parit, verbi cauſa, in *alimenti*, *medicamenti*, *ſapientis*, *philoſophi* notione, quam quis vellet, ſive in recto ſive in obliquo, ut ſuæ in his vel aliorum libidini ſerviat, ad plura extendere, quam vel ipſa natura rerum, vel ratio aut experientia, ipſeque, ſive in communi ſermone inter eruditos permittit loquendi uſus, quem penes arbitrium eſt & jus & norma loquendi. Qua ratione de humano ſermone, ſpeciatim horum vocabulorum ſignificationem quod attinet quæ de appoſito intelligitur, dici poteſt id quod Ariſt. libro de juvent. & ſenect. cap. v. de igne dicit, *Ignis, fluminis inſtar perpetuo gignitur & fluit, verum id præ celeritate nos latet.* Similiter enim quaſi fluvius eſt nunquam ſtans, communis ſermo inter homines, ut jam de ſermone proprio eruditorum non dicamus, ſive vox articulata, quam pronuntiamus nova ſæpe inflectione, ſive animi conceptus ſpectetur, quam ſignificamus nova acceſſione, deceſſione, atque adeo diverſa in cogitatis conſideratione, ut non minus nova & diverſa inde ſignificatio oriatur, quam oritur continuo novus atque diverſus ignis, inſtar fluminis fluxu ſuo. *verum id præ celeritate nos latet*, inquit Ariſtoteles de fluvio ignis. In fluvio autem humani ſermonis, primum quidem incredibilis celeritas ſpectanda, qua quiſque ut vult

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

in ſuis cogitatis, nominis ſignificationem mutat, & tum quoque ea tarditas, qua fit ut pariter in cogitatis plurium vel omnium hominum qui eodem ſermone utuntur, mutata ſignificatio ſit, ſenſim & ſine ſenſu, lapſu annorum quin ſeculorum in aliquibus. Hæc vero mutatio perpetua in communi ſermone ferenda quin neceſſaria eſt, quatenus tam debet conſuetudine ſermonis verborum ſignificatio fluxa & mutabilis eſſe, quam ſunt res fluxæ & mutabiles, ſi non in extantibus continuò; ſaltem in apparentibus & cogitatis; præterquam quod multum in communi ſermone libido valeat, quæ omnino abeſſe non poteſt, multum error vel ignorantia, multum oblivio, quatenus, ut jam olim Varro queſtus fuit, de ſui temporis adeo antiqua lingua latina, *illa quæ jam majoribus noſtris ademit oblivio fugitiva, ſecuta ſedulitas Mutii & Bruti retrahere nequit*, libro IV. de Linguæ Latinæ cauſis. Hæ veræ cauſæ ſunt propter quas continuò debeat verborum in multis ſignificatio mutari atque multorum origo ignota eſſe in omni lingua quæ lingua populi alicujus vernacula eſt, quam poſſumus linguam vivam vocare, qualis olim latina erat de quâ Varro loquitur. At longe alia eſt ratio Latinæ Linguæ [ut jam de Græca & Hebræa non dicam] poſtquam deſiit lingua viva in ore Populi eſſe, factaque fuit lingua propria Eruditorum extans ſuo modo viva in monumentis veterum & ſcriptis recentiorum, qui eam communi conſenſione artibus ac diſciplinis ſervandis tractandiſque voluerunt ſacram eſſe. Id quod tot jam ſeculis non ſine gravi cauſa in orbe Chriſtiano factum putamus: quandoquidem non ſic debuit verborum ſignificatio fluxa inter Eruditos, non ſic eorum lingua mutabilis eſſe, qua artes & diſciplinas, immutabilemque in multis veritatem comprehendunt, uti ſermo Populi fluxus & mutabilis eſt; neque hæ ipſæ mutatio-

rationis cauſæ, de quibus dictum fuit, ſic poſſunt vel debent locum invenire in linguâ mortuâ, uti in vivâ, non ſic in paucorum Eruditorum voce ſcripta literis conſignata, ubi ſpeciali poteſt ac debet conventione verborum ſignificatio determinata intelligi, ut quidem in univerſi populi voce pronuntiata, quæ magis libera atque in multis vaga & incerta eſt, ac debet eſſe.

CXXV. *Suppoſita adjectiva expreſſè compoſita in uno nomine, quod Grammatici Compoſitum vocant: quodque ea compoſitio poſſit ignota eſſe, ſicut in multis ſimplicibus derivatio eſt ignota, atque hac de cauſa multorum nominum ſignificatio adjectiva in ſubſtantivam, compoſita in ſimplicem mutata fuit.*

Hactenus de tacita diximus compoſitione in iis nominibus quæ ſuppoſita adjectiva quaſi ſimplicia vocamus, quatenus nomen unum & ſimplex ſaltem tacite compoſitam ſignificationem habet ex notione appoſiti cum ſuppoſito, quæ diſtinguendæ ſunt, quanquam diſtinctio atque ex diſtinctis notionibus compoſitio in multis ignota ſit. Reliquum eſt, ut de ſuppoſitis dicamus adjectivis quæ expreſsè compoſita ſunt ex nominibus diverſis. Et primum quidem in his iterum plurima occurrunt *quaſi ſimplicia*, ea omnia nempe in quibus ſic ligata ſive in unum coacta eſt diverſorum nominum pronuntiatio atque ſignificatio, ut nomen inde ortum ſic ſatis expreſſè compoſitum quidem, attamen verè unum in ſermone nomen ſit, quod hanc ſolum ab cauſam grammatici *nomen compoſitum* vocant. Propter hanc unitatem ſive unionem factum eſt, ut ratio compoſitionis ſæpe ignota ſit, intelligaturque unum nomen compoſitum ab origine, ac ſi ſimplex eſſet, ſine eâ diſtinctione, quæ ad veram intelligentiam compoſiti neceſſaria eſt. Eo fere modo quo id obſervatum fuit in ſuppoſitis adjectivis quaſi ſimplicibus comprehenſis uno nomine, cujus ſignificatio, quan-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

do tacita compoſitio ignota eſt, ſine diſtinctione intelligitur. Hoc ſolum intereſt, quod in ſimplicibus compoſitio una tantum in internis ſpectetur cogitatis, quatenus unum nomen ut vidimus, puta *pater*, *rex*, appoſitum in & cum ſuppoſito ſignificat; cum in iis quæ ex vocibus diverſis expreſſè compoſita ſunt, duplex ſpectanda compoſitio ſit, una in voce externa compoſita, altera in internis ſimiliter compoſitis cogitatis. Qua de cauſa, ſi forte ignota ſit ea de qua jam nobis ſermo eſt compoſitio expreſſa, externum ſermonem quod attinet, ſignificatio in internis cogitatis compoſita non ſic nota erit uti ab origine fuit, quando ſimplicium conjunctio primum facta atque in communi ſermone ſignificatio ad eam accommodata fuit. Verbi cauſa in his vocibus compoſitis, *Reſpublica*, *Philoſophus*, *Conſtantinopolis*, *Amſteldam*, quarum una Latinæ, una Belgicæ, duæ Græcæ originis ſunt, ſignificatio ad compoſitam originem accommodata non ſic in linguis aliis, ut quidem in ſua propria lingua poteſt nota eſſe. Et dico *poteſt nota eſſe*, quia in propria ſua lingua notas eſſe origines compoſitorum omnes, uti aliquæ ſunt notæ, neceſſe non eſt, atque multorum in his originum ignorantia & oblivio de qua Varro loquitur, magnam in humano ſermone obſcuritatem & confuſionem parit. Similiter vero in iis quæ ita expreſſe compoſita in uno nomine non ſunt, ut *pater*, *filius*, *mola*, *domus*, *ſpiritus*, *fluvius*, *Roma*, *Rhenus* &c. non quidem compoſitio, quæ, ut ſupponimus, forte nulla eſt, attamen derivatio poteſt locum habere, atque ea pariter in paucis nota, in plurimis ignota, in multis dubia & incerta eſt, iis præcipue quæ lingua una ab altera ſumit, quod ut antiquiſſimis, ita mediis & noſtris temporibus factum infinitis modis fuit, tam in his ſimplicibus quam in compoſitis iſtis. Ut hic etiam diſtinguenda ſit duplex ignorantia,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

rantia; una in voce externa, altera in internis cogitatis, quæ ad vocis originem, quando ignota eſt, non poſſunt accommodate intelligi. Neque aliter in ſimplicibus quam in expreſſe compoſitis ignorantia originis novam in multis ſignificationem parit, tranſlatam ad aliud & ſic ſæpe in unum coactam, ut, quæ primum adjectiva erat, ſubſtantiva, quæ ex nominibus diverſis compoſita, videatur ſimplex eſſe. Et compoſita quod attinet ex nominibus diverſis, ſive ſubſtantivis duobus, ut *Conſtantinopolis*, *Amſteldam*; ſive ſubſtantivo uno, adjectivo altero, ut *Reſpublica*; aut duobus adjectivis ſubſtantivatis, ut *philoſophus*: eorum ſignificatio, quando origo eſt ignota, omnino non intelligitur compoſita verum ipſa ſimplex videtur, ac ſi nomina ſuæ originis & ſimplicia eſſent. Atque id duobus poteſt modis evenire, quatenus in aliquibus una ſaltem, in pluribus, tam una quam altera ſimplicium ſignificatio ignoratur. Verbi cauſa, nomina *philoſophus*, *philoſophia*, de uno in his adjectivo intelliguntur, atque ad hoc unum ſine altero ſignificatio communiter tranſlata eſt. Ut ſit in multorum hominum ſermone & cogitatione philoſophus idem quod σοφὸς ſapiens, idem philoſophia quod σοφία ſapientia abſtracta ab adjectivo ſapiens. Quia communiter ipſa nos ſapientia qualiſcunque, quam ſperamus vel poſſidemus, magis quam amor afficit, atque hac de cauſa horum nominum ſignificationem de ſapientia & ſapiente intelligimus, non cogitando de amore qui debet conjunctus eſſe, quando ſignificationem, qualis ab origine fuit, in pleno volumus ſenſu intelligere; ſiquidem in pleno ſenſu, quo veteres horum nominum ſignificationem intelligunt, non ſola per ſe ſapientia, non amor ſolus, ac ſi vera in hominem non caderet ſapientia, verum hæc ipſa quam quis amat vera ſapientia, quia amat, vere philoſophum facit.

Sed

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

Sed vero cum dico *Conſtantinopolis*, tam πόλις Græcum, quam Latinum *Conſtantinus* poteſt ignotum eſſe, ut ſignificatio ſine hac ſimplicium diſtinctione de ſubſtantivo intelligatur corpore Urbis, quæ nomen à Conſtantino proprium quaſi adjectivum accepit, quo ab omni alia urbe in cogitatis diſtinguitur. Eo prorſus modo, quo *Amſteldam* de ſubſtantivo intelligitur corpore Urbis, quæ nomen quaſi adjectivum proprium ab Amſtelà fluvio accepit, junctum cum ſubſtantivo communi *Dam*, cujus ſignificatio Belgice intelligentibus nota eſt, uti ſignificatio in voce Amſtel eſt nota: quanquam ſecundum hanc adeo diſtinctam cognitionem in communi ſermone vix unquam hoc nomen intelligatur, neque ita poſſit intelligi ab iis quibus vel ipſa Belgica lingua, vel talis in hac lingua origo eſt ignota. Audemusque concludere, ſimiliter in aliis nominibus compoſitis propriis, hominum, urbium, regionum, fluminum, montium, ut jam de communibus non dicam, ſignificationem communiter quaſi ſimplicem de uno corpore ſubſtantivo intelligi, omiſſo adjectivo, cujus acceſſionem compoſita ab origine ſignificatio comprehendit: quia adjectivum compoſitionis, vel non conſideratur, vel diſtincte non intelligitur, uti intellectum fuit ab origine, quando origo & compoſitio nota atque eo quo oportet modo fuit conſiderata. Hæc regula ſuo modo tam de ſimplicibus, quam de compoſitis omnibus aliis vera eſt, quando vel omnino ignoratur, vel non conſideratur forma & qualitas adjectiva à qua res primum acceperunt nomen ſuum. Omnia iſta, ſive ſimplicia, ut *Roma*, *Rhenus*, *mola*, *domus*, &c. ſive compoſita, ut *hydromel*, *bucephalus*, &c. quatenus corpus & ſubſtantiam ſive ſubſtantivum corpus habent, *ſuppoſita*, *ſubſtantiva ſeparata* §. XCVII. aliiſque in locis vocavimus. Hoc

ſolum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

ſolum intereſt, quod ſignificatio, quæ ab origine forte adjectiva in omnibus fuit, in uno nomine minus, puta in *mola*, *domus*, *bucephalus*, in alio magis, ut in *Roma*, *Rhenus*, *Amſteldam*, facta ſubſtantiva ſit, in uno minus, in alio magis, in unum coacta, atque ut ita loquar ſubſtantivata. Hæc una vera cauſa & origo eſt magni erroris in opinione de forma ſubſtantiali, quæ tam in omni alio corpore naturali, *ligno*, *lapide*, *arbore*, quam in *homine* ſupponitur, quia pariter ſubſtantiva ſive ſubſtantivata nominis ſignificatio videtur, non ſimplex, uti nomina ſimplicia ſunt, ſed compoſita, atque ea compoſitio in ſermone & cogitatione, pariter ac uno modo videtur rei in extantibus vere ſubſtantialis compoſitio eſſe; quanquam in ſolo homine, vere ſubſtantiva, ſive ſubſtantialis ex animo & corpore, in rebus cæteris tam naturalibus quam arte factis, adjectiva ſubſtantivata compoſitio ſit, quod nemo melius quam Ariſtoteles intellexit, ut in omnibus aliis, ita in his præcipue acutiſſimus humani ſermoni interpres.

CXXVI. *Suppoſita adjectiva expreſſe compoſita ex nominibus diverſis, uno ſubſtantivo altero adjectivo, per convenientiam in recto.*

Conſequens eſt ut de ſuppoſitis dicamus quæ nominibus diverſis comprehendimus, non ita conjunctis, ſicut in uno nomine compoſito, verum ſeparatis. In his duo ſumma genera conſtituimus, unum in recto, alterum in obliquo, quibus tertium accedit pariter uno & altero modo compoſitum. Atque ut relinquamus Grammaticis quæ grammaticorum ſunt, notari velim, rationem compoſitionis in recto eſſe unitatem, ſicut ratio compoſitionis in obliquo diverſitas eſt. Et prima quidem, ſi naturæ ordinem ſequamur, in recto compoſitio eſt, ex adjectivo cum ſubſtantivo, ut ſi dicam, *vir bonus*, *urbs magna*, *homo ſapiens*. Hac in compoſitione, ſubſtantivo communi, vir,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

urbs, homo, jungitur adjectivum quaſi proprium, bonus, magna, ſapiens, quatenus non quidem omnis attamen aliquis vir ſua propria qualitate bonus, aliqua urbs ſua inter alias quantitate magna, aliquis homo ſapiens intelligitur, atque hunc intellectum nomen adjectivum cum ſubſtantivo tali pacto conjunctim comprehendit, ut non tam duo quam unum ſint atque ut unum ſupponantur in ſermone. Et quando ſic facta unio & unitas eſt, in internis cogitatis, unio adjectivi *bonus*, cum ſuo ſubſtantivo *vir*, hujus in externo ſermone ſignum ea ipſa poteſt convenientia eſſe, quam Grammatici, in genere, numero & caſu conſtituunt, quatenus adjectivum conſuetudine ſermonis ad omnem ſe qualitatem ſubſtantivi accommodat. Et ſic demum *vir bonus*, *urbs magna*, *homo ſapiens*, facta quaſi unum ſuppoſitum ſunt, tam in ſermone, quam in cogitatione. Neque alia de cauſa tam multa adjectiva pro ſubſtantivis habentur in unum coacta ſignificatione, quam quia hæc ipſa unio ſive unitas adjectivi cum ſuo ſubſtantivo, tam poteſt in nomine uno, quando ſic facimus compendium ſermonis, quam in diverſis intelligi, atque tam in nomine uno plurium poteſt vis & poteſtas eſſe, quam eſt in nominibus diverſis ea vis & poteſtas, quæ forte in aliquo nomine uno invenitur, ſi non in lingua una, ſaltem in diverſis: de qua nominis unius & plurium poteſtate §. XCIV. diximus. Et hactenus quidem eam ex nominibus diverſis ſpectavimus compoſitionem, quam adjectivum facit cum ſubſtantivo communi, quatenus ſubſtantivum commune cum aliqua diſtinctione intelligitur per acceſſionem adjectivi. Videtur vero etiam compoſitio & compoſita ſignificatio eſſe adjectivi cum ſubſtantivo proprio, ut ſi dicam, *Alexander Magnus*, *Scipio Africanus*, *Marcus Tullius*. Verum attendenti ad has dictiones, manifeſtum fit, ſubſtantivum in his quaſi

com-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

commune ſupponi, quando accedit adjectivum. Dico autem *quaſi commune*, quia eo ſenſu quo hæc ſingula, *Vir*, *Urbs*, *Homo*, nomen unum ſunt plurium commune ſecundum unam & communem ut philoſophi loquuntur eſſentiam, ad quam nominis unius ſignificatio accommodata in cogitatis eſt, eo inquam ſenſu Alexander & Scipio nomina communia non ſunt, quia in his nomen tantum unum & commune, ratio eſſentiæ λόγος τῆς οὐσίας diceret Ariſtoteles, diverſa eſt, ſicut in ambiguis, quæ ille hanc ob cauſam Græcè ὁμώνυμα vocat. Qua ratione ſi forte ambiguum ſive dubium ſit, de quo Alexandro, Scipione, Marco, ſermo ſit, quando hæc nomina ſubſtantiva propria ita nude pronuntiantur, adjectivum addimus, vel ſolum diſtinctionis, puta *Ariſtoteles Stagirita*, *Marcus Tullius*, vel inſuper honoris atque dignitatis cauſa, ut *Alexander Magnus*, *Divinus Plato*; & hæc acceſſionis quædam quaſi neceſſitas eſt, quando unum nomen ab origine proprium caſu factum eſt quaſi commune plurium. Ita vero manifeſtum fit, in nominibus ſubſtantivis propriis, quæ ita non ſcimus plurium facta communia fuiſſe, quæque hanc ob cauſam tali pacto ambigua non ſunt, puta *Roma*, *Amſteldam*, *Conſtantinopolis*; acceſſionem adjectivi ſimiliter neceſſariam non eſſe: Ut incongrua dictio foret, ſi quis vellet ita communiter in nudo & ſimplici ſermone dicere, *Roma magna*, *Roma alta*, *dives Capua*, ſicut dicimus communiter *Alexander Magnus*, & dixit Virgilius poeta uno & altero loco, *altæ mœnia Romæ*-*Magnæ ſpes altera Romæ*-*Talem dives arat Capua*. Quia ſignificatio in his propriis nominibus ſingulis ſatis intelligitur de una ſingulari urbe ſeparatim ſine comparatione ad alias urbes, neque periculum eſt ne quis aliam urbem intelligat, ſi hoc pacto, amplificationis, ornatus, aut qualiſcunque ſaltem deſcriptioris gratia, facta

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

acceſſio non ſit adjectivi ad ſuum ſubſtantivum. Qua ratione compoſitio ſive compoſita ſignificatio adjectivi cum ſubſtantivo proprio, in aliquibus quaſi neceſſaria & conſuetudine ſermonis confirmata, in aliis libera, in quam plurimis omnino inutilis videtur. Neque ulla in his difficultas eſt, ſi modo advertamus, nomine ſubſtantivo proprio uno, rem ſubſiſtentem ſingularem unam intelligi affectam qualitatibus quarum collectio non ſic in re alia ſingulari, non in urbe, non in homine ullo alio invenitur. Veteres ἄθροισμα τῶν ἰδιοτήτων vocant, quando ſuppoſitum ſingulare ſive individuum, ab univerſali quod individuum non eſt, nomen proprium à communi in Logica diſtinguunt. Hanc dico omnem confuſe qualitatem unius nominis ſubſtantivi proprii ſignificatio comprehendit, ſi non expreſſè ſaltem tacite, & hanc ſolum tacitam & confuſam comprehenſionem in communi ſermone reſpicimus. Acceſſio adjectivi ſpecialem de una præ aliis qualitate cogitationem atque novam parit attentionem, quæ quidem ad diſtinctam & particularem, haud ita vero ad confuſam & communem nominis proprii intelligentiam, utilis poteſt aut neceſſaria eſſe.

CXXVII. *Suppoſita expreſſe compoſita in recto, per appoſitionem, ex diverſis ſubſtantivis, quorum ſignificatio philoſophico intellectu adjectiva eſt.*

Hæc una expreſſa compoſitio eſt in recto adjectivi cum ſuo ſubſtantivo ſive proprio ſive communi. Sequitur altera quam grammatici ***Appoſitionem*** vocant, facta ut videtur ex ſubſtantivis diverſis, quorum unum relate ad aliud quaſi adjectivum eſt ſubſtantivè pronuntiatum, etſi unum facilius, alterum difficilius intelligatur eſſe adjectivum, quatenus ſignificatio, ut paulo ante dictum fuit, in uno magis, in altero minus ſubſtantivata atque in unum coacta fuit conſuetudine ſermonis. Hujus fundamentum ſimiliter unitas

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

unitas ſive unio eſt in internis cogitatis, quam in externo ſermone in uno caſu convenientia ſignificat, de quâ Grammatici loquuntur. Genere & numero convenire ſubſtantivum unum cum altero neceſſe non eſt, quia ſingula per ſe ſui generis ſunt propria & immobili terminatione; atque ſubſtantivum unum pronuntiatum in plurali, poteſt cum altero in ſingulari convenire, quia hoc ipſum ſingulare unum, multitudinem in plurali comprehendit. Ita non minus recte dico, *Urbs Lugdunum*, diverſo, quam *Urbs Roma*, uno genere, neque diverſitas vel unitas generis in his conſideratur; atque *Urbs Athenæ* etiam recte dicitur, quia *Athenæ* in plurali idem hic ſunt quod *Urbs* in ſingulari, ſiquidem Athenæ olim plures conjunctæ una Urbs fuerunt, cujus hoc nomen factum proprium eſt. Hæc unitas, ſive ut philoſophi loquuntur, identitas, vera appoſitionis & convenientiæ cauſa eſt; uſque adeo ut tam nomine uno *Urbs*, poſſint Athenæ, poſſit Roma intelligi, quam nomine altero *Athenæ*, *Roma*, *urbs* intelligitur, cujus hoc nomen proprium eſt. Hinc vero ſequitur perſpicuè, hanc in ſubſtantivis acceſſionem, eo fere modo neceſſariam, liberam, utilem vel inutilem eſſe, quo id diximus de acceſſione in adjectivis, atque ſubſtantivum, modo unum, modo alterum, tam ſine appoſitione poſſe quam cum ea intelligi. Atque hoc iterum manifeſtum putamus eſſe ſignum unitatis ſive identitatis. Et quidem in extantibus extra ſermonem & cogitationem per omnia unum ſunt, tam urbs & Athenæ, quam urbs & Roma, cum in noſtris ſaltem cogitatis debeat diverſus modus conſiderandi eſſe, qui in uno nomine proprio, in altero communi diſtinctam ſignificationem parit, quando ſingula ſeorſim ſine expreſſa aut tacita appoſitione pronuntiantur atque cum aliqua diſtinctione intelliguntur, quanquam hæc facta diſtinctio in extantibus non ſit. Similiter non tam re-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

rum in extantibus, quam cogitationis in humano ſermone diverſitas fecit, ut nomen unum quod appoſitione jungitur cum altero, videatur ſubſtantivum potius quam adjectivum eſſe, ſive grammatico, ſive philoſophico intellectu, quodque etiam pariter ſubſtantiva non ſint, quæ pro ſubſtantivis habentur. Ita & in his multum valet diverſus conſiderandi modus, quo pariter factum eſt, ut nomen unum loco primo tanquam ſuppoſitum quod communiter magis ſubſtantivum eſt, alterum loco ſecundo tanquam appoſitum proferatur quaſi adjectivum, quodque hic ordo etiam immobilis non ſit, ſive in una lingua, ſive in linguis diverſis. Ita cum duo *homo ſervus, urbs Alexandria*, communiter notum eſt, nomina iſta duo, *Servus, Alexandria*, tam poſſe pro adjectivis quam pro ſubſtantivis haberi, quanquam in eâ de qua jam nobis ſermo eſt, appoſitione, ut ſubſtantiva ſpectentur, atque appoſitio, grammaticè loquendo, ſubſtantivorum propria ſit. Intellectu autem philoſophico, quo non tam dictionis in externo ſermone, quam rei in internis cogitatis qualitas ſpectatur, hæc nomina habentur pro adjectivis, quatenus in homine qualitas & nominatio ſervi, in urbe quacunque qualitas & nominatio Alexandri adjectiva eſt, etſi (quia hæc nomina abſtracta non ſunt) confuſe juncta ſit ſignificatio ſubſtantiva. Sic porro facile advertimus, cum dico *Ludovicus Rex, vel pater aut filius*, non quidem grammatico, attamen philoſophico ſenſu, appoſitionem adjectivam eſſe, atque in uno nomine *Rex à rego*, ſecundum particularem & diſtinctam, in altero *pater vel filius* (quorum derivatio ſive ſpecialis origo ſic nota non eſt) ſecundum generalem & confuſam notionem intelligi. Neque alia de cauſa Ariſtoteles, quo nemo diligentius ad veram verborum ſignificationem attendit, ea quæ ita nomen ab accidente habere notum eſt,

in

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

in communi hominum ſermone, ut accidentia συμβεβηκότα in categoriis conſiderat, quanquam propter eam quæ conjuncta eſt ſubſtantivi notionem, ſuppoſita ſuo modo ſubſtantiva ſint, non ſimplicia verum compoſita ex ſubſtantia & accidente, non unum per ſe, verum unum per accidens, ut non omnino male loquuntur Ariſtotelici. Ita vero attendendo ad ſignificationem aliorum nominum quæ in appoſitione adhuc magis videntur ſubſtantiva eſſe, ſive communia ſint, *urbs*, *navis*, *homo*, *equus*, ſive propria, *Roma*, *Rhenus*, *Alexander*, *Bucephalus*, putamus nullum in communi ſermone inveniri, quod per appoſitionem, alterius dici non poſſit quaſi adjectivum eſſe; præterquam quod credibile ſit, ſingula per ſe extra appoſitionem adjectiva ab origine fuiſſe, ſi non grammatico ſaltem philoſophico ſenſu. Quanquam, quia hæc nomina tam propria quam communia adeo ſubſtantivata ſunt, communiter magis ad ſubſtantivam quam adjectivam in iis notionem attendimus, atque hac de cauſa Ariſtoteles in categoriis iſta omnia, naturalia præcipue, *homo*, *lapis*, *Alexander*, ut vere ſubſtantiva, quanquam intellectu philoſophico mere ſubſtantiva non ſint, numerat in ſubſtantiis, ſicut in aliis, ita in his ad communem ſenſum, & conſuetudine ſermonis receptam vocabulorum ſignificationem ſe accommodans. Qua ratione, ſi dicam, *equus bucephalus*, *bucephalus equus*, ut dicere poſſum *Urbs Roma*, *Roma urbs*, primum quidem nominis proprii ad commune, deinde communis ad proprium appoſitio fit ſive acceſſio in ſermone; atque ſi aliquando in his extra appoſitionem ſignificatio ſatis expreſſè adjectiva eſt juncta cum ſubſtantivo, cur non in omnibus potuit ab origine fuiſſe adjectiva? Atque debere hæc nomina tam poſſe adjective quam ſubſtantive intelligi, in aliquibus nos ipſa origo, ut in Græco Bucephalus,

in

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

in omnibus ſignificatio docet, quæ non ſimplex non ſimpliciter & omnino ſubſtantiva, verum compoſita intelligitur, ex adjectiva propriæ vel communis formæ, & ſubſtantiva materiæ notione, quæ etiam notio vera ſubſtantivi corporis eſt ſubjecti formis iſtis. Hoc ſolum intereſt, quod forma in arte factis, puta *mola*, *domus*, *urbs*, *Roma*, ſenſibilis, ipſumque in his ſubſtantivum corpus materiæ ſenſibile ſit, atque ideo tam una quam altera poſſit nota eſſe & ſuo proprio nomine diſtingui in communi hominum ſermone; cum in naturalibus, qualia ſunt *homo*, *animal*, *equus*, *Bucephalus*, primum materia atque ipſa corporum ſubſtantia [quam philoſophi *Materiam primam* vocant, quatenus primum atque ante alia ſubſtantivum omnium formarum ſubjectum eſt] & tum quoque interna atque eſſentialis forma, tantum ſint intelligibiles, atque hac de cauſâ una & altera non ſic poſſit nota eſſe in communi ſermone, qui ad communem ſe ſenſum accommodat. Quod etiam nemo melius quam Ariſtoteles intellexit, quando rerum naturalium ex materia & forma, quæ tantum intelligibiles ſunt, ſic ſatis obſcuram compoſitionem, atque eam quæ hinc orta fuit confuſe & obſcure compoſitam vocabulorum ſignificationem, exemplis declarat quæ petita ſunt ab arte factis; quatenus primum quidem materia in his quaſi ſubſtantiva, quam videmus atque ipſi in multis tractamus vel tractare poſſumus, & tum quoque forma vere adjectiva, quam ipſi facimus, ſatis nota, atque una & altera unius ſubſtantivi nominis ſignificatione, in quam plurimis ſatis diſtincte comprehenſa eſt.

CXXVIII. *Expreſſe compoſita per appoſitionem in obliquo ex ſubſtantivis diverſis ſua inter ſe affectione junctis: & quam ſit difficilis comprehenſio, harum omnium in oblique compoſitis affectionum atque habitudinum.*

Super

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

Supereſt compoſitio, quæ expreſſa in obliquo intelligitur, ſive ſeorſim, quando hæc una in ſuppoſitis compoſitio eſt, ut ſi dicam *Rex Galliæ*, *amor parentum erga liberos*, ſive conjunctim cum ea compoſitione, de qua dictum fuit in recto, ut ſi dicas *Æneas os humeroſque deo ſimilis*, *Julius Cæſar primus Romanorum Imperator*, *homo animal rationale, capax diſciplinæ, erecto incedens ad ſydera vultu*, *trianguli tres anguli æquales duobus rectis*. In quibus tam adjectiva quam ſubſtantiva, tam in recto quam in obliquo compoſitio expreſſa eſt. Hujus in obliquo compoſitionis ratio & vera cauſa non unio ſive unitas eſt in internis cogitatis, quam in externo ſermone convenientia in uno caſu ſignificat, verum diverſitas, quam rectio ſignificat diverſi caſus. Et formantur hi caſus diverſi, vel diverſa tantum ejuſdem vocis inflexione, ut ſi Latine dicam *urbs Amſtelædami*, vel etiam acceſſione vocis alterius quam Grammatici Præpoſitionem vocant, ſi dicam Belgicè, *de Stadt van Amſteldam*, *de Conink van Vrankrijk*, atque etiam Latine, *Tres anguli in triangulo* [pro trianguli in genitivo] *amor erga parentes* [pro parentum] Non autem ſatis eſt res diverſas ſupponi aut quaſi diverſas, ut eas unum poſſit nomen in caſu recto, alterum in obliquo ſignificare, niſi certo inter ſe modo hæ res affectæ, atque ſecundum hanc affectionem ſuo ſingulæ modo nexæ in cogitatis ſint. Hanc proprie rerum inter ſe diverſarum affectionem, & qualemcunque quæ hinc orta intelligitur connexionem ſive Σχέσιν & habitudinem rei unius ad aliam rem in cogitatis, nomen unum in recto atque alterum in obliquo caſu ſignificat. Et ſic demum duo vel plura nomina rerum quæ diverſæ ſupponuntur, ſive in extantibus, ſive in apparentibus, ſive in cogitatis [quæ communiter ita non diſtinguimus nec debent ita diſtingui

in omni ſermone] unum in Latina lingua faciunt ſuppoſitum, quod forte in aliis linguis etiam uno poteſt nomine comprehendi. Qua ratione ſubſtantiva omnino ſeparata, *ſol*, *luna*, *cœlum*, *terra*, vel etiam toto genere diverſa, *ſpiritus*, *corpus*, *homo*, *deus*, *cogitatio*, *extenſio* &c. ſaltem in caſu recto unum in ſermone ſuppoſitum non ſunt, neque unquam eo ſenſu quo dico, *homo animal*, *urbs Roma*, dicere poſſum, *homo deus*, *ſpiritus corpus*, *ſol luna extenſio cogitatio*. Quæ logici hac de cauſa *oppoſita* vocant atque etiam *diſparata*, vel *contraria*, quorum unum de altero vel pluribus neque expreſſe verbo affirmatur, neque per appoſitionem nominis tacite affirmatum ſupponitur in ſermone. Haud facile etiam talia ſic poſſunt eſſe affecta inter ſe & nexa in cogitatis, ut nomen unum relate ad aliud in obliquo intelligatur, atque eo ſenſu quo dicimus *Urbs Romæ*, *lumen ſolis*, dici recte poſſit *ſpiritus corporis*, *luna ſolis*. Similiter duo ſubſtantiva ſeparata, *Alexander Philippus*, *Alexander Bucephalus*, *Conſtantinus urbs*, non poſſe unquam unum in recto ſuppoſitum facere manifeſtum eſt, quia tam in apparentibus & cogitatis, quam in extantibus deeſt unio & unitas quæ ad compoſitionem in recto neceſſaria intelligitur. Videtur tamen ex his adeo diverſis atque ſeparatis ſubſtantivis unum eſſe factum ſuppoſitum in obliquo, ſi dicas, *Alexander Philippi*, *Urbs Conſtantini*, *Bucephalus vel equus Alexandri*: Siquidem hæc nomina nemo ita pronuntiat, nemo audit cum vero intellectu, ſi primum facta acceſſio non ſit novæ cogitationis de affectione ſive habitudine, quæ olim fuit ab una parte inter Philippum & Alexandrum, (ut jam de Bucephalo equo non dicam) ab altera inter urbem, quæ dicta Byzantium fuit, & Conſtantinum, novum quaſi hujus urbis conditorem, quando

do imperii in eam Romani ſedem tranſtulit. Sed vero attendenti manifeſtum fit, hanc affectionem ſive habitudinem propria & nativa horum nominum ſignificatione non comprehendi, quatenus abſolute ac ſine relatione ad aliud intelliguntur, ut ſubſtantiva ſeparata, quæ ſola per ſe [quod eſt proprium ſubſtantivi] ſiſtunt & implent cogitationem. Ex quo perſpicuè ſequitur ex iis ſolis unum in obliquo ſuppoſitum non fieri, niſi quando hæc nova in cogitatis acceſſio primum facta atque etiam communiter nota ſupponitur, ut tam poſſit ſine alterius nominis acceſſione intelligi, ſi dicas ſimpliciter, *Alexander Philippi*, quam cum acceſſione, ſi addas *filius*, quod in hac obliqua compoſitione, ſi non expreſſe, ſaltem tacitè eſt nomen regens caſum, quem veteres grammatici ***genitivum*** ſive ***patrium*** vocant, quia affectio inter patrem & filium, quam hic caſus ab origine forte primo & proprie ſignificavit, propter patriam poteſtatem tam poſſeſſiva ſuo modo quam genitiva fuit, non tam lege vel fortuito caſu, ut in multis aliis accidit, quam naturâ nota inter homines ante omnem aliam affectionem. Ita vero per analogiam affectionum aliarum ad hanc adeo notam affectionem patrio ſive genitivo caſu expreſſam inter homines, etiam aliorum ſubſtantivorum nominum in quocunque rerum genere facta compoſitio in obliquo eſt, atque eam ſimiliter, quando rerum inter ſe affectio ſatis nota ſive determinata ſupponitur in cogitatis hominum qui eodem ſermone utuntur, ſine alterius nominis acceſſione intelligimus; cum acceſſione autem & qualicunque per aliud nomen interpretatione, quando affectio ſic ſatis nota atque determinata non ſupponitur. Qua ratione tam aliarum affectionum, quam illius de qua jam diximus, affectionis inter patrem & filium, quæ ſimul genitiva & poſ-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

ſeſſiva eſt, multa alia propria poſſunt nomina eſſe, ſignificatione diſtincta à ſubſtantivis abſolutis, tum ſeparatis tum conjunctis, de quibus §. XCVII. XCVIII. diximus. Harum quoque affectionum tanta eſt diverſitas in hominum cogitatis, ut ea quæ hinc orta fuit obliqua connexio ſive compoſitio in dictis, non videatur poſſe ad certa genera revocari, neque ita poſſe comprehendi nominibus paucis generalibus, ut nullum omitti certus ſis. Præterquam quod harum omnium affectionum & habitudinum etiam facilior intellectus in particularibus ſit, quando eas ſecundum propriam rei cujuſque notionem & nativam rerum inter ſe connexionem, in ipſo corpore orationis ſpectamus. Eo fere modo, quo §. XLIV. de Præpoſitionum, ut ſunt notæ relationis ſive habitudinis, quæ ipſa non invenitur in voce ad quam accedit præpoſitio, poteſtate dictum fuit, eam facilius in particularibus atque in ipſo corpore orationis intelligi, quam extra corpus orationis per generalia abſtractaque nova nomina explicari.

CXXIX. *Quæ ſic expreſſe compoſita ſunt in obliquo, primum ad duo genera revocantur, unum in ſubſtantivis omnino abſolutis, quando ſaltem in cogitatis facta acceſſio ſupponitur relativæ affectionis, alterum in ipſiſmet harum affectionum nominibus ab una vel utraque parte expreſſis.*

Conabimur tamen, & genus primum obliquæ connexionis conſtituemus in dictis ſubſtantivis quorum ſignificatio, quia ab origine abſoluta & ſeparata fuit ſiſtens cogitationem uti natura ſubſtantivi exigit, non comprehendit ab origine eam quæ accedere poteſt affectionem habitudinemque adjectivam. Adeo ut ſecundum Ariſt. quem doctiores grammatici ſequuntur, ſi velimus proprie loqui ſicut natura humani ſermonis poſtulat, dici non debeat de homine, ligno, bove, quod ſint *alicujus homo, lignum, bos,*

niſi

niſi quando hæc verba eo ſenſu intelligis, ac ſi dicas, inquit Ariſt. in categoria Relatorum, quod hæc ſingula ſint τινὸς κτῆμα *alicujus poſſeſſio*, ut aliquis horum poſſeſſor ſive dominus quaſi activè, aliqua res poſſeſſa quaſi paſſivè intelligatur. Et ſic de cæteris quæ ſimiliter vel alio modo intelligimus affecta inter ſe, quatenus affectio propria quidem ſubſtantivi nominis ſignificatione non comprehenditur, & tamen, ac ſi ſit comprehenſa, conſuetudine ſermonis intelligitur, ſic ſatis diſtincte & ſuo modo definite, quando dicis conjunctim, *cujum*, *cujus pecus*? *pecus Meliboei*, *equus Alexandri*; at confuſe atque indefinite, cum dico ſeparatim *equus*, *pecus*, de his tacite ſupponendo ſive cogitando, quod alicujus ſint eo quo dictum eſt modo. Qua ratione in his ſingulis ſubſtantivis facta acceſſio eſt ſignificationis qualiſcunque relativæ conjunctæ ad ſignificationem abſolutam ſeparatam, qualis ab origine fuit, atque unum in ſermone ſubſtantivum nomen adeo diverſam ſignificationem confuſe comprehendit. Quandoquidem, ſuppoſita rerum diviſione & multiplici commercio hominum qui in una vel diverſa civitate vivunt, ea quæ hinc orta intelligitur affectio & habitudo, primum hominis ad hominem vel aliam rem, deinde aliarum rerum inter ſe, multiplicem relativam parit notionem, cujus ea vis & poteſtas eſt, ut tam quæ ſuppreſſa intelligitur in ſubſtantivis abſolutis, quam quæ ſuo proprio nomine expreſſa in relativis eſt, genitivum poſſit caſum regere, qui primum quidem diverſitatis, & tum quoque affectionis inter res diverſas & qualiſcunque connexionis ſignum in oblique compoſitis eſt. Ita vero ipſa nos natura ducit ad alterum genus compoſitorum in obliquo, expreſſum propriis atque ipſiſmet illarum affectionum ſive habitudinum nominibus quæ hactenus vidimus poſſe in dictis ſuppreſſa intel-

ligi, quando acceſſio ſaltem tacite facta in cogitatis fuit. Et vel ab una tantum parte exprimitur proprium nomen habitudinis relate ad nomen aliud abſolutum, cujus habitudo oppoſita expreſſa non eſt, ſi dicas, *Filius Philippi, pater Alexandri, uxor Socratis, maritus Xantippæ*, vel exprimitur habitudo ab utraque parte, communiter quidem vocabulis diverſis, aliquando iiſdem repetitis, ut intelligitur relativa affectio, vel ejuſdem & quaſi repetitæ, vel diverſæ conditionis, ſi dicas, *filius patris, pater filii, uxor mariti, maritus uxoris, amicus amici, ſocius ſocii, conjux conjugis*, quorum ſignificatio tam ab una quam ab altera parte reciproce, ſic relate ad aliud intelligitur, ſive relate ad aliam oppoſitam affectionem, uti hoc ab utraque parte, conſuetudine Latini ſermonis, regimen genitivi caſus poſtulat. Qua de cauſa etiam notio unius in his, tam ab una quam ab altera parte, [ſive *pater* dicas in antecedente, ſive *filius* per converſionem] quaſi gignit notionem alterius, dominus ſervi, ſervus domini, cogitatio de uno cogitationem de altero reciprocè, ut unum ſine altero, & nomen & rem quod attinet, neque eſſe neque cognoſci poſſit. Hoc ipſum vero ita pariter dici non poteſt de nomine uno & altero, quando vel ex duobus abſolutis, puta *pecus*, *Melibœus*, vel ex relativo antecedente puta *filius* cum abſoluto conſequente *Philippus*, facta compoſitio in obliquo eſt, atque attendenti ad ſingula quæ allegavimus horum exempla, manifeſtum fit, converſionem de qua diximus ita in his locum non habere. Atque hæc propria relativæ affectionis nomina ſunt in particularibus tali pacto accommodata rebus & connexa cum propria rerum qualitate in qua fundamentum habent, ut hac de cauſa *relata realia* atque etiam *relata ſecundum eſſe* vocentur. Occurrunt vero in humano ſermone nomina affectio-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

fectionum ſive habitudinum magis generalia, quæ ſic dici non poſſunt ad rei unius præ alia re qualitatem accommodata, poſtquam ſignificatio facta communis eſt. In his affectio ſimiliter vel ab una tantum parte exprimitur, ſi dicas *pars domus, urbis, ſcientiæ, cauſa caloris, virtutis, effectus pacis, belli, ſimilis Dei,* quæ idcirco etiam converti non poſſunt; vel ab utraque parte, quæ poſſunt converti, ſive vocabulis diverſis habitudo expreſſa ſit, ſi dicas, *cauſa effecti, effectum cauſæ, ſubjectum adjuncti, adjunctum ſubjecti*, ſive iiſdem repetitis, *ſimilis ſimile, oppoſitum oppoſiti, par paris*, aut ſi mavis, *ſimilia, oppoſita, paria*, uno nomine, quod ſic in plurali numero pronuntiatum vim habet duorum nominum, quorum unum, quod antecedit, proprie *relatum*, alterum quod ſequitur, correlatum vocatur, tam in his generalibus quam in particularibus de quibus primum diximus. Hæc vero omnia generalia Ariſtotelici non male *transcendentalia* vocant *relata*, ut diſtinguantur à prædicamentalibus, quæ ad rerum quibus tribuuntur particularium naturam accommodata eam proprie conſtituunt categoriam, quæ *Relatorum* dicicitur, τῶν πρός τι, *ad aliquid* in plurali numero: quia ſic affecta inter ſe mutuò ſunt, ut unum ſeorſim intelligi non poſſit, referaturque neceſſario unum ad alterum reciproce, ſi non in dictis expreſſe, ſaltem in cogitatis tacitè, quando unum nomen puta pater vel filius ſeorſim pronuntiatur.

CXXX. *His adjungi poſſe genus tertium, quaſi Medium in oblique compoſitis, unum in pertinentibus ad ſubſtantiam, alterum in adjunctis internis, tertium in conjunctis ſive circumſtantibus externis.*

Jam porro natura nos ducit ad genus tertium in oblique compoſitis, quod quaſi medium conſtituimus inter primum

& ſe-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

& ſecundum. Talia ſunt ante omnia in pertinentibus ad ſubſtantiam, quatenus hæc prima & ſimpliciſſima rerum habitudo in humano ſermone eſt, ſi dicas, *caput hominis*, *radix arboris*, *ala avis*, *molæ* (quæ alata ſupponitur;) *prora*, *puppis*, *clavus navis*, *rotunditas globi*, *circuli*, *extenſio*, *quantitas corporis*, *anima*, *corpus hominis*, *aurum*, *argentum poculi*, ita per appoſitionem genitivi caſus, quæ nota compoſitæ in obliquo ſignificationis eſt: Præterquam quod præpoſitio *in* cum ablativo, ſi dicas *clavus in navi*, *anima in homine*, *natura humana & divina in Chriſto*, *ſpiritus & aqua in vino*, *tres anguli in triangulo*, ſimilem in his poteſtatem habeat, atque ſimiliter ſignificet habitudinem convenientiæ quæ eſſentialis ſive ſubſtantialis intelligitur, per omnia quidem in ſimplicibus, ſi dicas, *longitudo lineæ*, *in linea*, ex parte vero in compoſitis, ſi dicas *angulus in triangulo*, *corpus in homine*, *clavus in navi*, quæ clavata ſupponitur. Secundo in adjunctis internis, quæ philoſophi *accidentia* vocant ſingula in ſubjecto ad quod quaſi accedere cogitantur præter eſſentiam, ſicut pertinentia ad eſſentiam ut partes integrantes, vel eſſentiales aut formales conſiderantur in ſuo quaſi toto, quanquam conſiderari etiam poſſint quam plurima ut unum & ſimplex eſſentiale attributum, quod à ſubjecto diverſum non intelligitur, ut certe longitudo quæ lineæ tribuitur à linea diverſa non eſt, conſtituitque eſſentiam lineæ, non tam in adjunctis internis, quam in pertinentibus ad ſubſtantiam de quibus primo loco diximus. Ea vero quæ jam in genere ſecundo adjuncta interna vocamus, ſi non in extantibus, ſaltem in apparentibus aut cogitatis poſſunt connexa intelligi cum ſubſtantia rei ad quam referuntur, vel ut *propria*, quando neceſſarius, vel ut *accidentia* tantum, quando contingens cogitatur

nexus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

nexus eſſe, ſicut Ariſtotelici interna quæ non conſtituunt ſubſtantiam, non male ita diſtinguunt in doctrina de prædicabilibus, quæ tota ad vulgarem popularemque in ſermone humano ſenſum accommodata atque hac ſaltem conſideratione utilis eſt. Ut ſi dicam *immortalitas animæ*, *lumen ſolis*, *calor ignis* (in ſole in igne ut ſubjecto) *ſapientia Socratis*, *in Socrate*, *morbus*, *dolor*, *animi*, *corporis*, *curvitas baculi*, *lineæ*, *ſuperficiei*, *in baculo*, *linea*, *ſuperficie*. Quanquam quæ ſic compoſita in obliquo ſunt ex duobus ſubſtantivis, etiam poſſint conſuetudine ſermonis compoſita in recto intelligi ex ſubſtantivo & adjectivo, quatenus adjunctum internum, ſi non ipſa ſubſtantia, ſaltem aliquid ſubſtantiæ debet eſſe, quando verum in extantibus adjunctum eſt, ut ſi dicam *Socrates ſapiens*, *caput ægrum*, *dolens* [vivum atque animatum caput ſupponendo] *Alexander magnus*, adjectivum in concreto ut unum & conjunctum cum ſuo proprio ſubſtantivo conſiderando per convenientiam in recto, ſicut quando compoſitio facta in obliquo eſt, ſi dicas *ſapientia Socratis*. adjectivum in abſtracto, quantum poteſt, ut diverſum conſideratur, qualicunque affectione junctum cum ſubſtantivo, à quo non poteſt omnino diverſum ſive ſeparatum intelligi, quanquam diverſitas in uno dicto magis in altero minus conſideretur. Tertio, obliqua de qua loquimur compoſitio, etiam locum invenit in circumſtantibus ſive conjunctis externis, ſi dicas, *lumen ſolis*, *calor ignis* (hoc eſt à ſole, ab igne in noſtro ſenſu & quocunque alio ſubjecto, quæ denominatio externa eſt) *ſcientia corporis naturalis*, *habitus*, *ars*, *potentia canendi*, *ſaltandi*, *amor Dei*, *patriæ*, *parentum*, *erga Deum*, *parentes*, *patriam*, *laus virtutis in hoſte*, *pileus capitis*, *arma militis*, *incola urbis*, *villa Ciceronis in Tuſculano vel Tuſculani*, *ſceptrum*

 regis,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

regis, *in regno*, *in Gallia*, *tempus vindemiarum*, *amphora*, *vas vini*, *ſtatua Phidiæ*, *Minervæ.* Quæ externa in aliquibus, fere ut ſubſtantiva ſeparata, adeo diverſa intelligimus, ut conjunctio unius cum alio, puta ſtatuæ cum Minerva vel Phidia, ſceptri cum Rege, caloris, quem ignis efficit, cum igne, non ſic poſſit in recto ut quidem in obliquo expreſſa intelligi: quia non ſic calor extra ignem aliquid ignis eſt, ut calor in igne, non ſtatua aliquid Minervæ vel Phidiæ, non laus aliena aliquid alienæ virtutis, non incola aliquid ſuæ urbis, non urbis affectio vel qualitas eſt in adjunctis internis numeranda. Quanquam multum quoque in his tribuendum ſit conſuetudini ſermonis, multum diverſo modo conſiderandi, quo fit, ut vel in recto, vel in obliquo, vel utroque modo, ſi dicas, *civis Romæ*, *civis Romanus* [quæ denominatio tantum externa eſt] compoſita dictio ſit, ſive in una lingua, ſive in linguis diverſis: uſque adeo, ut etiam uno nomine, ſi dicas *Romanus*, tacitè poſſit omnis iſta compoſitio intelligi.

CXXXI. *Qua ratione genus tertium quaſi medium à primo & ſecundo diſtinguatur: atque horum comparatio inter ſe.*

Univerſum hoc tertium genus ſic iterum in tria ſua genera diſtributum quorum numerus in particularibus innumerabilis eſt, quaſi Medium diximus inter primum & ſecundum, quia ſi ſingula nomina ſeorſim ſumas extra eam de qua loquimur compoſitionem, *caput*, *homo*, aliaque in pertinentibus ad ſubſtantiam, *ſapientia*, *Socrates*, aliaque in adjunctis internis, & ſic quoque *ſcientia*, *corpus*, *ſtatua*, *phidias*, in externis: neque ſic pariter abſoluta ut in genere primo, ſi dicas ſeorſim *Alexander*, *Philippus*, *Pecus*, *Melibœus*, neque ſic pariter relativa, ut in genere ſecundo, ſi dicas ſeorſim, *pater*, *filius*, *dominus*, *ſervus*, utriuſque nominis ſignificatio eſt. Atque hac de

cauſa etiam aliqua diverſitas intelligitur generis tertii à primo & ſecundo, quando horum nominum in ſingulis facta compoſitio in obliquo eſt, quod jam porro manifeſtum fiet. Et quidem in genere primo nominis utriuſque ſignificatio abſoluta fuit atque ſeparata quantum potuit ſeparari, quia res ea quam nomen ſignificat tam unum quam alterum, *Pecus*, *Melibœus*, quantum potuit ſubſtantivata atque ab origine ſeparata fuit in ſermone & cogitatione, ac ſi res ſit omnino per ſe ſubſiſtens & ſola per ſe ſubſtans accidentibus ſuis, uti his fere verbis definitio ſubſtantiæ tradita ab Ariſtotelicis atque ad horum aliorumque ſimilium per omnia ut videtur ſubſtantivorum nominum ſignificationem in Logica ſcholarum accommodata fuit; quæ hac de cauſa non in Relatorum & accidentium, verum in ſubſtantiæ categoria numerantur. In genere autem ſecundo de quo ſecundo loco diximus, res ea quam nomen ſignificat unum & alterum ſuo modo ſubſtantivum, *pater filius*, *dominus ſervus*, adeo ſubſtantivata non eſt, quatenus hæc nomina ſatis expreſſe intelliguntur de affectione adjectiva in uno puta Philippo qui *Pater* dicitur, relate ad affectionem adjectivam in altero puta Alexandro, cujus proprium & oppoſitum nomen *filius* eſt. Secundum hanc adeo expreſſam ab utraque parte & primariam ſignificationem adjectivam atque relativam in dictis & cogitatis, quantum potuit per ſe ſpectatam, Ariſtoteles hæc nomina deſcribit in categoria Relatorum τὰ πρός τι οἷς τὸ εἶναι ταυτόν ἐςι τῷ πρός τι πῶς ἔχειν, *ad aliquid ſunt quorum eſſe nihil aliud eſt quam ad aliquid modo quopiam affectum eſſe.* Ubi ille ut ſolet accommodate ad communem ſenſum τὸ εἶναι τῶν πρός τι, eſſentiam relatorum intelligit, ut eſt relatorum proprio nomine comprehenſa, cum dico *Alexander filius Philippi patris ſui*: ſiquidem ipſa Σχέσις ſive ha-

bitudo de qua loquimur adjectiva, non tam inter Alexandrum & Philippum quam inter filium & patrem intelligitur, ſi propriam, diſtinctam atque conſuetudine ſermonis expreſſam cujuſque nominis ſignificationem ſpectes [quæ certe in uno nomine ab origine abſoluta in altero relativa fuit] non ſpectando in relativis ſignificationem alienam abſolutam, quæ de ſubjecto & fundamento ſignificationis relativæ poteſt confuſe juncta intelligi. Quanquam enim, rem in extantibus ſi ſupponas extra ſermonem & cogitationem, tam in uno qui dicitur pater quam in altero qui dicitur filius, adjectivum debuit abſolutum interveniſſe quaſi antecedens, ſine quo ſignificatio relativa quaſi conſequens in pleno & philoſophico ſenſu non intelligitur: Communiter de una & altera ſignificatione adeò expreſſe & diſtinctè non cogitamus, neque poteſt hic plenus & philoſophicus intellectus communi hominum ſermone comprehenſus intelligi vel ſupponi. Atque ſi forte ſubſtantivum in his ſubjectum, quod ſupra ſuppoſitum vocavimus, notum eſt, ſive definite, quando de Philippo patre loquor atque hoc alteri, cum dico *Pater*, notum ſuppono ut poteſt eſſe notum, ſive indefinite, quando ſimpliciter ſine applicatione ad ſingulare ſubjectum dico *pater*; idcirco fundamentum, quod ab una & altera parte accedit adjectivum, notum non eſt. Ut ſuo modo vera quidem ſit regula logicorum, *Omne relativum in aliquo abſoluto fundatur*, non tamen ita debeat intelligi hæc regula, ac ſi abſolutum & poſitivum fundamentum ſic poſſit notum eſſe omnibus & ſingulis, ut forte poteſt notum eſſe aliquibus. Quandoquidem in quam plurimis generali & confuſa ſaltem notione cognoſcimus, aut ſi mavis, ratiocinando concludimus, adjectivum qualecunque abſolutum, relativæ ad ſubſtantivum acceſſionis [quando nempe Philippus pri-

mum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

mum pater Alexander filius factus eſt] primam & veram cauſam fuiſſe; & tamen, quæ in extantibus ſit, quæ olim fuerit vera & prima cauſa, quid faciat inter homines unum patrem, alterum filium, dominum, ſervum, regem, communiter ignotum eſt, quando de cognitione loquimur clarâ, diſtincta & quaſi intuitiva per ideam ſive in ideâ, qualis apud Mathematicos magnitudinum & figurarum cognitio eſt, ut ſi dicas, *æquale*, *duplum*, *plus*, *minus*, *bicubitum*, *tricubitum* &c. quæ relativa nomina ſunt, quorum ſignificatio per omnia clara, diſtincta & ſic ſatis communiter nota Mathematicis eſt, ſive ſubjecti & fundamenti in numeris, lineis, aliave abſtracta quantitate, ſive relationis & habitudinis notionem ſpectas. Quod jam attinet *genus tertium quaſi medium* in obliquè compoſitis, attendenti ad nominis cujuſque ſignificationem primam & propriam quam potuit ab origine habuiſſe, eam poſſumus tam extra compoſitionem quam in compoſitione ſpectare, atque hanc duplicem generis tertii cum primo & ſecundo comparationem inſtituere. Et primum quidem in univerſo tertio genere unum ſaltem nomen præ alio abſolutum, deinde etiam unum præ alio dici poteſt relativum eſſe, tam extra compoſitionem, cum dico ſeorſim, *caput*, *homo*, quam in compoſitione, cum dico conjunctim *caput hominis*, *ſapientia Socratis*. *ſtatua Minervæ*, *Phidiæ*, & ſic de cæteris, quæ vel in pertinentibus ad ſubſtantiam, vel in adjunctis internis, vel in circumſtantibus externis ſimiliter poſſunt in obliquo compoſita eſſe. Qua de cauſa talia etiam non convertimus communiter, ſicut nomina, quæ mutuo inter ſe ſive ab utraque parte pariter relativa intelligimus, poſſunt converti, non minus uſitate dicendo *ſervus domini*, quam *dominus ſervi*. Non ſimiliter inquam, poſtquam diximus *caput hominis*, *ſapientia Socratis*, *ſta-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

tua Phidiæ, uſitata atque intelligibilis eſt dictio converſa ſive reciproca, *homo capitis*, *Socrates ſapientiæ*, *Phidias ſtatuæ*. Eo fere modo, quo, ſi primum dixeris, *pecus Meliboei*, *Martia Catonis*, in genere primo, atque etiam *filius Philippi*, *pater Alexandri*, in genere ſecundo, dictio converſa *Melibœus pecoris*, *Philippus filii* &c. pariter uſitata atque intelligibilis non eſt, ob hoc unum, quod hæc nomina ſingula ſeorſim conſuetudine ſermonis pariter facta relativa non ſint. Hunc vero ordinem ſervamus, ut in aliis omnibus ita in tertii generis oblique compoſitis, non dicendo ut dici poſſet & ſæpe dicimus in communi ſermone, *hominis caput*, *Socratis ſapientia*, quatenus prima de homine & Socrate cogitatio eſſe poteſt, verum *caput hominis*, *ſapientia Socratis*. Quia hoc pacto nomen antecedens in recto quaſi regit, conſequens in obliquo quaſi regitur, uti nos ordo videtur naturæ docere. Et regi dicitur conſequens quando ſua ſe inflexione ad antecedens accommodat, mutando caſum quaſi in gratiam antecedentis cujus id minus abſoluta (ut videbimus) ſignificatio poſtulat. Magis abſoluta autem quam nunc ſupponimus ſignificatio in conſequente, quod ita ſe regi patitur [id quod humanum in humano ſermone eſt) ante omnia ſubſtantivorum eſt quæ per ſe atque in ſe ipſis habere corpus intelliguntur vel aliam ſine corpore ſubſtantiam. Talia imprimis ſunt ea omnia quæ ſuppoſita ſubſtantiva ſeparata vocavimus, quia nomina ſingula rem ſubſiſtentem ſeparatam ſignificabant, ſive cum corpore, quod natura vel ars, quantum potuit, ſeparatim formavit, ut *arbor*, *mola*, *navis*; ſive ſine corpore, quarum rerum ſubſiſtentium ſine corpore unum & commune nomen *ſpiritus* eſt; atque horum exempla quamplurima allegavimus §. XCVII. tanquam prima & quaſi ſimplicia in humano ſermone ſuppoſita. Deinde

de vero nomina quæ rerum ſubſiſtentium partes ſeparabiles ſignificant etiam dici poſſunt in conſequente magis abſolutam ſignificationem habere, quatenus partes ſingulæ in toto, puta ſpiritus, ſive anima, & corpus in homine, caput, pes, manus, oculus in humano corpore, clavus in navi quæ clavata ſive clavo inſtructa ſupponitur, ſuam intelliguntur ſubſtantiam habere, quam ſui nominis ſignificatio tali pacto ſeorſim comprehendit, ut ſeorſim videantur ſubſiſtere poſſe atque ac ſi ſubſiſterent in conſequente ſupponantur, quando de capitis humani magnitudine, figura, vulnere, de corporis vel animi in homine dolore, de carinæ, de clavi, de mali in navibus longitudine loquor atque hanc longitudinem his navium partibus ſeparatim tribuo: Quandoquidem natura vel ars fecit quidem, ut quæ his nominibus ſignificantur non ſubſiſtant ſeparatim ea omni forma & qualitate qua in toto ut partes ſubſiſtunt, & tamen impedire ſeparationem non potuit, quæ ſeparatam in dictis & cogitatis atque abſolutam de qua loquimur nominationem parit. Denique ſignificatio quæ ſic ante omnia abſoluta eſt in conſequente etiam in ſubſtantivis invenitur quæ ſuum per ſe corpus vel aliam ſubſtantiam non habent, & tamen ac ſi haberent ſupponuntur, quando in gratiam antecedentis caſum mutant & ſimiliter quoque ſe regi patiuntur, ſua ſe inflexione ad antecedens accommodando. Talia vero ſunt quæ ſuppoſita ſubſtantiva conjuncta appellavimus §. XCVIII. ubi illa ut abſtracta in dictis & cogitatis atque ut omnino ſubſtantiva grammatice ſola per ſe ſpectavimus, quanquam intelligerentur ſola per ſe in extantibus non ſubſiſtere atque hac de cauſa dicta fuerint *conjuncta*, quæ Ariſtotelici συμβεβηκότα, *accidentia* vocant admodum generali & confuſa notione, ſicut notio ſubſtantiæ generalis & confuſa eſt. Ita cum

dico

dico *longitudo ulnæ*, *amor virtutis*, *ars canendi*, *magnitudo doloris*, *ardoris*, quatuor nomina, *ulna*, in quantitate, *virtus* in qualitate, *canere* in actione, *dolor*, *ardor* in paſſione, quantum poſſunt, ſubſtantivè atque abſolute ſupponuntur in conſequente, quanquam in pleno & philoſophico ſenſu non veræ ſubſtantiæ, non ſubſtantiva abſoluta, verum adjectiva ſive accidentia ſint pertinentia ſingula ad ſubjectum in extantibus ſubſtantivum, de quo non cogitamus, quando eo quo jam dictum eſt modo, horum abſtractorum nominum in conſequente, cum abſtractis aliis in antecedente facta compoſitio in obliquo eſt. Nomen alterum quod in oblique compoſitis quæ Media vocamus antecedit in recto, ſimiliter vere poteſt ſubſtantivum eſſe, ſive ſeparatum, ſicut in circumſtantibus externis ſceptrum à rege, ſtatua à minerva & phidia, pileus à capite, ſingula ſuo corpore ſeparantur, atque de ſingulorum ſubſtantivo corpore hæc nomina ſæpe intelliguntur, numeranturque eo intellectu res ſignificatæ in ſubſtantiis; ſive ſeparabile, ſicut in pertinentibus ad ſubſtantiam internis, caput ab homine, ala ab ave, clavus à navi, ſingula ſuo corpore poſſe ſeparari atque tam ſeparatim quam conjunctim poſſe nominari videntur. Deinde id quod nomen antecedens in recto ſignificat ſæpe ita vere ſubſtantivum non eſt, ſeparatum aut ſeparabile, & tamen ſupponitur ac ſi ſit. Quandoquidem, cum dico, *longitudo lineæ*, *ars ſaltandi*, *facultas loquendi*, *amor virtutis*, *ſpes vitæ*, *metus mortis*, non minus in antecedente, ſi ſingula nomina ſeorſim ſpectes, *longitudo*, *ars*, *facultas*, *amor*, *ſpes*, *metus*, quam in conſequente, *linea*, *ſaltare* &c. notio & ſignificatio ſubſtantiva ſupponitur. Et cum dico *ſapientia Socratis*, *rotunditas globi*, *curvitas baculi*, intellectu philoſophico quidem dici poteſt minus ſubſtantiva

notio

notio & ſignificatio in antecedente quam in conſequente, hinc vero notio & ſignificatio minus ſubſtantiva non eſt intellectu grammatico, ad quem ſolum attendimus in communi ſermone, non cogitando de ſubſtantivis, intellectu philoſophico. Attamen ea omnia quæ ſic poſſe antecedere intelliguntur in recto ſubſtantiva, eo modo abſoluta ſubſtantiva non ſunt, quo conſequentia in obliquo, aut ſi mavis eo modo ut abſoluta ſine relatione ad aliud non conſiderantur. Et dico *non eo modo:* quia eſt quidem in his omnibus notio ſive ſignificatio abſoluta, quæ de proprio ſingulorum corpore intelligitur, cum dico *caput*, *clavus*, *ſtatua*, aut quaſi corpore, cum dico *ſapientia*, *ſpes*, *metus*, *ulna*, *uncia*, *longitudo*, *curvitas:* verum ad notionem in his abſolutam, quæ ſola per ſe notionem *ſubſtantiæ*, *quantitatis* aut *qualitatis* parit, notio relativa *ad aliquid* ſive in *Relatis* accedit. Neque contemnenda diſtinctio eſt, quod hæc ſint *Relata* non ſecundum eſſe quæ ex prima ſua inſtitutione ſignificant relationem, & rem abſolutam quæ ſubjectum eſt, per conſequentiam, ſed *ſecundum dici*, quæ primo ſignificant rem abſolutam, & relationem per conſequentiam, inquit Franco Burgersdicius Metaphyſicæ libro 1. cap. 6. Ubi ille, poſtquam dixerat, *diſcrimen hoc non eſſe ſitum in relationibus ſed in vocabulis quibus relata nominantur*, & paulo poſt ſequentem concluſionem formaverat, *Illæ igitur voces quæ ex prima ſua inſtitutione ſignificant relationem, at rem abſolutam per conſequentiam &c. & quæ primo ſignificant rem abſolutam* &c. omnino accommodate loquitur ad mentem Ariſtotelis à quo nos diverſi non ſumus. Qua ratione horum nominum ſignificatio non ſimplex intelligitur in pleno ſenſu, non omnino abſoluta & ſeparata ab origine, ſicut in genere primo de nominibus *bos*, *homo*,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

mo, *lignum*, *Xantippe* dicebamus, verum compoſita ſive conjuncta, quatenus ad notionem abſolutam quæ primaria eſt, relativæ notionis acceſſio facta ab origine fuit, ſic in unum coacta ſignificatione, ut in aliquibus quæ ſuum per ſe corpus habent & magis afficiunt nos, facilis, in plurimis quæ ſuum per ſe corpus non habent & minus afficiunt nos, difficilis diſtinctio ſit abſolutæ atque relativæ notionis. Hanc vero omnem ita conjunctam & confusè compoſitam ſignificationem, partim ipſa natura rerum, quando nota eſt in apparentibus aut cogitatis, partim uſus nos docet loquendi in dictis, definite quidem ſive expreſſe & diſtincte in iis ipſis obliquè compoſitis quæ Media vocamus, quando conſequens ſuo nomine expreſſum eſt, cum dico *caput hominis*, *ſapientia Socratis*, *longitudo lineæ* &c. indefinite autem ſive tacite & confuſe, extra compoſitionem, quando nomina quæ ſic antecedere poſſunt in compoſitis, *caput*, *ſapientia*, *longitudo*, *ſtatua*, *Rex*, *villa*, *ſpes*, *metus* &c. ita ſeorſim pronuntio, atque de conſequente nominatio expreſſa non eſt, quia ſuſpenſa eſt definita cogitatio. Quanquam in his ſingulis ſeorſim etiam poſſit definita in particularibus notio relativa intelligi conſenſione tacita eorum qui eodem ſermone utuntur. Et credibile eſt, ſi non omnium, multorum in his nominum ſignificationem hoc pacto definitam ab origine fuiſſe, vel definitam intelligi conſuetudine ſermonis; ut verbi cauſa nomine *Rex* ſine alio conſequente, quiſque intelligeret, non Regem univerſim & confuſe, ſed ſatis diſtincte ſuum ſive ſui in quo vivit regni Regem, nomine *Villa* ſuam vel alterius notam villam, puta Ciceronis in Tuſculano, nomine *Civis* aliquem ſuæ urbis civem, puta Romæ, nomine *ſpes* definitam unius rei quam præ aliis deſideramus ſpem, puta honoris, lucri, victoriæ: & ſic

ſic de cæteris quorum ſignificatio propter acceſſionem notionis relativæ ad notionem abſolutam quæ primaria eſt, in pleno ſenſu πρός τι ad aliquid debet intelligi. Id quod reliquum eſt, ut aliquanto diſtinctius ob oculos ponamus; ſaltem in pertinentibus ad ſubſtantiam, in quibus præcipua difficultas eſt, quam ſi ſuperare poſſimus, ſimiliter in adjunctis internis [quæ videbimus etiam poſſe ut pertinentia ad ſubſtantiam conſiderari] atque in circumſtantibus externis ſuperata difficultas erit, ſive expreſſe per acceſſionem nominis alterius conſequentis, ſive tacite ſine hac acceſſione, in obliquo compoſita ſignificatio intelligatur quam *Mediam* vocavimus, tertii generis.

CXXXII. *Notio relativa, quæ ad notionem abſolutam accedit, diſtinctius ob oculos ponitur, in pertinentibus ad ſubſtantiam quæ corpora ſunt in toto integrali continuo vel diſcreto vere extantia, ſecundum unam generalem regulam: & quæ in his ſignificatio tranſlata poſſit de incorporalibus, intelligi.*

Et primum quidem communiter notum eſt quod Natura in homine *caput*, Ars in navi *clavum* ita junxerit cum corpore reliquo, ut neque hoc caput ſine homine verum in & cum vivo corpore hominis, neque hic clavus ſine navi verum in & cum navi quaſi viva ſit quod ſupponitur eſſe, quando prima ab origine ſpectatur ſignificatio, ut primum fuit intellecta πρός τι ad aliquid in pertinentibus ad ſubſtantiam quæ corpora ſunt plura in uno, ut partes plures in ſuo toto. Proinde cogitandum eſt, id quod tale nomen ſignificat primo & proprie, eſſe partem quæ ſpectata fuit in connexione cum pluribus aliis partibus in uno toto, quatenus vel ars vel natura prima fuit cauſa connexionis ſive continuitatis quæ dedit parti formam & functionem, quam propria nominis ſignificatio quantum poteſt quaſi cum materia confuſe comprehendit. Qua ratione

ne Ariſtoteles [ut in omnibus aliis ita in his acutiſſimus humani ſermonis interpres] oculum qui nec videt nec poteſt videre [qualis eſſet oculus ſeparatus] dicit oculum non eſſe niſi ὁμωνύμως *nomine tantum perinde atque lapideus vel pictus oculus*, libro II. de Anima capite I. Atque hoc ipſo in loco dicti illius hanc rationem reddit, quod in oculo vero præter materiam & corpus debeat forma & functio eſſe qua videt aut poteſt videre, ſiquidem oculus ab hac forma ſive functione proprium accepit nomen, ut pars animata in toto animato, hoc proprio fungens officio ſuo. Et ſic de cæteris nominibus, quæ formatum corpus unum in alio ſive relate ad aliud ſignificant, partem viventem aut quaſi viventem in vivente aut quaſi vivente toto, ſive hoc totum Naturæ ſive Artis, quæ Naturam imitatur, opus ſit: quod certè eſt pertinere ad ſubſtantiam totius, quatenus totum ſupponitur partem comprehendere atque eſſe hoc ipſum quod componitur ex partibus, eo quo oportet modo unitis. Vocabimus autem diſtinctionis gratia hoc *totum integrale continuum*. Et primum quidem *integrale*, quatenus hoc nomen intelligitur in prima & maxime propria ſignificatione qua intellectum hactenus fuit à Philoſophis, qui ad communem ſe ſenſum accommodantes, totius atqne integri notionem veriſſimam & communiter notam nominationem ſuppoſuerunt ſpeciatim in toto quod habet partem extra partem, loco & ſitu, qui proprius corporum eſt, qualia ſunt ante omnia quæ cerni & tangi poſſunt, *navis*, *mola*, *arbor*, *domus*, & talia, quorum partes corporeæ dictinctæ formis ſuis notæ ſunt. Ut quidem omnia tota ex partibus ſuis integrentur, atque generali & confuſa notione dicantur *Tota*, quæ ſuo modo *integrantia* dici poſſunt; non autem hac ipſa, quam primo loco ſpectamus, particulari & diſtin-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

diſtincta notione, componi atque integrari ex partibus intelligitur omne totum, quando, ut fit, ſaltem generalis & confuſa in hoc nomine notio ſupponitur. Addimus vero *continuum*, quatenus pars una poſita quidem eſt extra partem aliam, quia aliud ſubſtantivum corpus eſt, & tamen omnes partes eo modo cohærent connexione ſive continuitate, ut neque diſtinctio unionem, neque unio diſtinctionem tollat, verum una alteram ſupponat, tam in apparentibus & cogitatis, quam in extantibus. Quanquam in communi ſermone, quatenus ſaltem ad communem ſe ſenſum accommodat, hæc triplex ſuppoſitio eo modo præciſe neque poſſit neque debeat diſtingui, quo modo poſſumus atque debemus ſuppoſitionem in ſermone philoſophico diſtinguere. Proxime his accedunt nomina quæ partem ſignificant in toto ſive relate ad totum *integrale diſcretum*, quod Grammatici à qualitate nominis *collectivum*, philoſophi à qualitate rei *aggregatum* vocant. Et non omnino ſine ratione hi ipſi philoſophi continuum de quo primo loco diximus, totum atque *unum per ſe* ſive natura ſua, diſcretum, totum atque *unum per accidens* ſive per aliud eſſe dicunt; quatenus unio & unitas vera in continuis per ipſam naturam rerum intrinſecam videtur facta neceſſaria eſſe; unio & unitas qualiſcunque & non eo modo vera unio, in diſcretis, communiter à fortuitis ſive incertis aliis cauſis pendet, quæ incertæ cauſæ, totius diſcreti atque in eo partium reſpectu, ſæpius externæ quam internæ ſunt. Ita cum Virgilius dicit IV. Georg. *Pars epulis onerant menſas*, & I. Æneid. *Pars in fruſta ſecant*, uno nomine pars in ſingulari multitudinem comprehendit minorem relate ad multitudinem majorem in toto, cujus plures ſupponuntur aliæ partes aliud agentes, ſive ſimplices ſive compoſitæ, non tam arte vel natura quam fortuito caſu in unum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

coactæ. Similiter fere uno nomine *Tribus* in ſingulari aliquanto magis definite multitudinem minorem in multitudine majore univerſi in urbe populi intelligimus conſuetudine Romanæ linguæ, poſtquam hæc populi diſtributio facta eſt. Uno nomine *oves*, *apes* in plurali, vel omnes in grege, in examine oves, apes, vel, partem poſſumus unam dividuam intelligere, ſicut nomina *ovis*, *apis* in ſingulari quamcunque poſſunt partem in grege in examine individuam ſignificare quæ modo ſupponitur ad gregis, ad examinis, integrum corpus pertinere, quanquam ſuppoſitio eo modo neceſſaria non ſit in diſcretis, cum dico *ovis*, quo modo eſt neceſſaria in continuis, cum dico *caput*. Attendenti etiam manifeſtum ſit, quod verbi cauſa *Dux*, tam ſit aliquid ſui *exercitus*, *examinis*, *gregis*, ſive corpus, ſive functionem & officium ſpectes, quam eſt *clavus* aliquid ſuæ *navis*, *caput* aliquid *hominis*; tam ſinguli vel plures *homines* ſunt aliquid ſuæ *gentis*, ſui *populi*, ſinguli *milites* vel plures, aliquid unius *cohortis*, *agminis*; *cornu*, *ala* [non quidem propria attamen tranſlata ſignificatione à continuo ad diſcretum] aliquid totius ad pugnam inſtructi *exercitus*, cujus proprium nomen *acies* eſt; & ſuo modo etiam *lapides* ſinguli vel plures, ſi non functione ſaltem corpore, aliquid illius ad quem pertinent *cumuli*: quam ſunt *oſſa*, *nervi*, *muſculi*, aliquid ſui *animalis*, ſive corpus in his partibus animalium, ſive uſum ſpectes & functionem. Ita vero poſſe quin debere uſum & functionem ſive officium unâ cum corpore unius nominis ſignificatione comprehendi, ſaltem in continuis, Ariſtoteles in nomine *oculus* nos docuit. Id quod ſimiliter poteſt verum eſſe in diſcretis, quando partes tam officio ſive functione aut ſi mavis facultate ſive potentia, quæ in multis λόγος τῆς οὐσίας ratio nominis ſubſtantivi eſt, quam corpore diſtin-

diſtinguuntur, ſine quo non exercetur functio: ut cum dico *prætor*, *præfectus*, *conſul*, *dux*, *imperator*, *rex*, *epiſcopus*, *paſtor*, partem ſive perſonam in exercitu, in polo, in eccleſia, quæ ratione officii pars eſt princeps, intelligendo. Hic certe intellectus abſolutus & ſeparatus non eſt, ac ſi princeps, quiſque in ſuo genere, ſit perſona per ſe ſubſiſtens, non indigens, non inſerviens aliis ſed ſibi tantum, non ut pars cum aliis pertinens ad unum commune totum, ut forte multi per libidinem dominandi vellent; verum relativus in pertinentibus ad ſubſtantiam horum omnium nominum verus intellectus eſt: quandoquidem ad integritatem ſive ſubſtantiam totius, verbi cauſa, *exercitus*, *populi*, *eccleſiæ*, cogitantur neceſſaria eſſe, tam corpus reliquum compoſitum ex partibus multis dividuis, quam pars princeps una, vere aut quaſi individua, ut poteſt principis officium, vel ad hominem unum pertinere, vel pluribus qui pro uno ſupponuntur, deferri. Quanquam communiter ita cum diſtinctione atque in pleno ſenſu non intelligatur horum in diſcretis & aliorum nominum in continuis ſignificatio, atque in valde multis poſſit ſupponi ſignificatio minus propria, quæ vel de ſuo ſubſtantivo corpore ſeparato, puta *abſciſſo capite hominis*, *duce capro ſine grege*, *duce homine ſine exercitu*, *fructu*, *ramis*, *trunco*, *radice*, *ſine arbore*, cujus cogitari poſſunt partes fuiſſe; vel de longe alio ſubſtantivo corpore ſive conjuncto, ſive ſeparato, puta *capite papaveris*, *radice*, *pede montis*; vel ſaltem de uſu, officio, functione, facultate, potentia quaſi ſubſtantiva, quantum poteſt ſine corpore intelligitur, cum dico *oculus mentis*, *manus Dei*, *clavus reipublicæ*, *caput eccleſiæ*. Hæc inquam omnis ſignificatio relativa, tam in continuis quam in diſcretis, tam ſuo modo tranſlata quam propria, dici poteſt in pertinentibus

bus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

bus ad ſubſtantiam intelligi. Quandoquidem dictio *pertinere ad ſubſtantiam*, qua in oblique compoſitis, quæ Media vocamus, genus primum à genere ſecundo & tertio diſtinguimus, aliud nihil ſignificat, quam *ſubſtantivum nominis unius quod antecedit vel poteſt antecedere in recto, comprehendi ſubſtantivo nominis alterius, quod ſequitur vel poteſt ſequi in obliquo.* Etiam eo quo oportet modo intelligitur vera eſſe hæc regula, quando advertimus, quod comprehenſio non adjectiva per acceſſionem verum ſubſtantiva per incluſionem ſupponatur. Ut certe verbi cauſa, ſubſtantivum Socrates, ab origine ſui capitis ſubſtantivum tali pacto ſupponit ſive comprehendit per incluſionem, ut hac ſolum de cauſa intelligatur caput eſſe aliquid Socratis in pertinentibus ad ſubſtantiam, neque unquam capitis ut quidem ſapientiæ ad Socratem facta acceſſio adjectiva ſupponitur, in ullo, quantum ſcimus, humano ſermone. Neque aliter putandum de prima & propriâ ſignificatione omnium aliorum nominum quæ ſimiliter in pertinentibus ad ſubſtantiam intelligimus propter eam quæ ſupponitur comprehenſionem tacitam antecedentis in conſequente, cujus id genitivus caſus expreſſe in oblique compoſitis ſignificat. Quanquam in omnibus, diſcretis præcipue, qualia ſunt, *exercitus*, *populus*, *eccleſia*, &c. comprehenſio cujuſcunque antecedentis, qualia eſſe poſſunt *Dux*, *prætor*, *epiſcopus*, pariter manifeſta atque neceſſaria non ſit, quatenus tam poteſt ab ignotis, incertis, fortuitis, quam à notis, certis atque determinatis cauſis pendere; quæ cauſæ adeo diverſæ efficiunt, ut in aliquibus communiter nota & ſic ſatis determinata, in quam plurimis nota paucis, atque non ſatis determinata in hominum cogitatis, quin vaga & incerta ſignificatio intelligatur, quam tamen poſſumus, quando volumus, determina-

minatam ſupponere, atque intelligere in pertinentibus ad ſubſtantiam, ſi non omnium eodem ſermone utentium, paucorum inter eos vel plurium conſenſione. Hæc ſolum conſenſio atque ſuppoſitio eam de qua loquimur antecedentis in conſequente comprehenſionem parit, tam ſuo modo in tranſlata quam in prima & propria horum nominum ſignificatione. Atque ſignificatio tranſlata tum ſaltem eo quo oportet modo intelligitur in pertinentibus ad ſubſtantiam, quando *ſubſtantivum antecedentis ſupponitur, quale poſſe comprehendi intelligitur ſubſtantivo conſequentis*: quæ in his nominibus altera poteſt generalis regula eſſe, aut ſi mavis, pars altera regulæ generalis. Comprehenſio enim, quæ vera cauſa hujus relativæ affectionis eſt, communi conſenſione rerum naturis, quantum poteſt, accommodata ſupponitur, quando verbi cauſa, nomen *caput*, forte primum relate ad hominem, deinde relate ad aliud animal intellectum fuit ab origine: quæ hactenus ſignificatio propria habetur, propter ſimilitudinem, quæ ſatis magna viſa fuit, quanquam in plurimis etiam magna diſſimilitudo ſit. Putamus verò ſimiliter qualemcunque poſſe comprehenſionem intelligi, quando minus propriè dico, *caput papaveris*, *montis*, *oculus mentis*, *manus Dei*, modo in his quoque, quanta poteſt, accommodatio ſupponatur antecedentis ad ſuum conſequens. Et quidem in dicto primo ſimilibuſque quæ omnino corporalia ſunt, comprehenſio & qualiscunque accommodatio facilis videtur. Quandoquidem tam vere ſunt, verbi cauſa, capita plura aliquid unius papaveris in pertinentibus ad ſubſtantiam, quando integra atque indiviſa herba ſupponitur, quam eſt caput unum aliquid integri atque indiviſi hominis, equi &c. tam vere caput abſciſſum unum quam alterum aliquando pars ſui corporis fuit. Eſt etiam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

ea quam requirimus accommodatio facilis, propter ſimilitudinem formæ, quam videmus & quæ magis afficit nos, externæ. Quando hanc ſolum externam formam reſpicimus in capite papaveris, montis, non cogitando de forma interna & propria functione ſive facultate, qua caput hominis vivi cujus vita corpore & ſpiritu continetur, à capite papaveris vel montis diſtingui, communiter notum eſt; ſignificatio accommodata in pertinentibus ad ſubſtantiam intelligitur, & ſuo modo vera eſt comprehenſio ſubſtantivi antecedentis in ſubſtantivo conſequente. In dicto ſecundo *oculus mentis*, atque in tertio *manus Dei*, ſimilibuſque aliis, quæ incorporalia ſunt, comprehenſio de qua loquimur atque accommodatio antecedentis ad ſuum conſequens difficilis videtur. Et tamen hæc etiam difficultas aliquatenus ſuperatur atque antecedens ad conſequens incorporale accommodatum intelligitur, quando advertimus, verbi cauſa nomina *oculus*, *manus*, ab origine intellecta fuiſſe ab una quaſi parte de corpore & proprio actu corporis, ab altera parte de animo & proprio actu animi, ſine quo oculus in homine vivo videns, manus agens & potens non eſt. Hæc enim diverſa & confuſe compoſita ſignificatio quando ſupponitur, uti eam, ſi non omnium, multorum hominum communis ſenſus & qualiſcunque ratio, atque etiam fides ſive Religio Chriſtiana ſupponit, in eo quo nos utimur communi ſermone atque in eâ civitate, cujus membrum eſſe volumus, integrum atque ſyncerum: Poſſumus & debemus, ſecundum ſuppoſitionem iſtam, tam in nomine *manus* quam in nomine *oculus*, primum quidem ſubſtantivum corporis externum ſeponere *via negationis* (ut loquuntur non male Ariſtotelici) quia non poteſt pertinere ad mentem, ad Deum, quatenus ſupponuntur ſine corpore ſubſiſtere;

 & tum

& tum quoque id quod reliquum eſt, omnino internum ſubſtantivum viſionis, ſolum per ſe humanæ menti, & quod reliquum eſt omnino internum ſubſtantivum potentiæ, ſolum per ſe Deo ſive divinæ menti tribuere, atque accommodate ad naturæ divinæ eminentiam intelligere potentiam, quæ certe nomine manus ſine corpore ſignificatur in antecedente; quando nomen *Deus*, cum dico, *manus Dei*, ſine corpore ſupponitur in conſequente. Hæc ſolum ſuppoſitio in una civitate conſentiens, eam de qua loquimur comprehenſionem, atque relativam in pertinentibus ad ſubſtantiam notionem parit, ita expreſſe, quando ad relativum antecedens *manus*, conſequens abſolutum *Deus*, in genitivo caſu ſe accommodat. Hic genitivus caſus ſignificat, nomine manus tam poſſe aliquid Dei viventis intelligi ſine corpore diſtincte, quam eo intelligitur aliquid hominis viventis cum corpore confuſe.

CXXXIII. *Quæ eſſe poſſit multiplex alia notio relativa in pertinentibus ad ſubſtantiam, minus obvia, & tamen vera per unam de qua diximus generalem regulam; latius deducitur, ſpeciatim in homine aliiſque viventibus.*

Sic fuit prima & præ omnibus aliis obvia in communi hominum ſermone notio ſive nominatio relativa in pertinentibus ad ſubſtantiam, quæ (quando ſignificatio, qualis ab origine fuit, propria intelligitur) vere ſubſtantiva corpora ſunt hactenus diſtincta formis ſuis, partim ſeparatis in toto integrali diſcreto, partim conjunctis in toto integrali continuo. Reliquum eſt ut de notione relativa dicamus in pertinentibus ad ſubſtantiam, quæ quidem adeo obvia non eſt, & tamen non omnino inuſitata, ſive populi, ſive eruditorum & philoſophorum præcipue ſermonem ſpectes & cogitationem. Atque ut in his iterum, quantum poſſumus, ordinem naturæ ſequamur, conſide-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

rabimus primo loco pertinentia ad ſubſtantiam in toto, ſive relate ad totum, quod eo quo hactenus dictum fuit modo compoſitum non eſt ex partibus nomine & forma diſtinctis, verum ſine diſtinctione atque ſine diſtincta partium nominatione unum & continuum eſt totum. Ut non tam hoc novum genus ſit, quam nova atque minus obvia & hac ſolum de cauſa hactenus omiſſa ſpecies notionis relativæ in pertinentibus ad ſubſtantiam communi conſenſione vere ſubſtantivis. Talia ſunt ea omnia corpora quæ philoſophi ſecundum ſpeciem in ſenſu homogenea vocant, ſive fluida, *aer*, *aqua*, *vinum*, *oleum* &c. ſive dura & ſtabilia, *aurum*, *argentum*, *lignum*, *lapis*, *trabs*, *aſſer* &c. Poſſumus enim quando volumus, de horum corporum quaſi partibus cogitare minoribus vere pertinentibus ad ſubſtantiam totius, quod quia majus ſupponitur, omnem minorem partem comprehendit. Poſſumus cogitationem atque comprehenſionem iſtam aliquo inter loquendum nomine notam facere: ut jam de aliis extra loquelam ſignis non dicam, literis, characteribus, picturis, figuris; quibus partem in toto ſive relate ad totum, quia eam comprehendere intelligitur, repræſentamus. Et nomina quod attinet (ſigna iſta alia pictoribus atque etiam Mathematicis relinquimus) ea, quando propria non extant, poſſunt communia eſſe, quæ conſuetudine ſermonis pro propriis ſupponuntur. *Nomina propria* dici poſſunt, quæcunque formati atque ſeparati corporis nomina, quando illorum ſignificatio tranſlata ad corpus informe intelligitur continuum, verbi cauſa, quando nomine, *aſſer*, *trabs*, *ſtatua*, *columma*, *globus*, *cubus* &c. ligni vel marmoris indiviſi portionem ſive partem intelligo, quanta ſatis eſt ad formandum tale corpus minus in majore comprehenſum. Quod certe eſt pertinere ad ſubſtantiam ligni, marmoris

indiviſi

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

indiviſi majoris, tam vere in extantibus quæ ſine diſtinctione videmus, quam in cogitatis quæ diſtincte intelligimus. Quia quanquam hactenus, quando corpus indiviſum & informe ſupponitur, puta rude lignum, in cogitatis tantum formarum facta diſtinctio ſit: ſubſtantivum corpus, quod diſtinguimus, minus, in & cum corpore majore, puta *ligno*, *marmore*, debet res vere ſubſiſtens in extantibus eſſe. Atque de ſimplici, abſoluta & omnino abſtracta veritate, quæ in his intelligi poteſt, plura diximus §. CII. Hoc in loco illa ipſa veritas abſoluta cum acceſſione relativæ affectionis intelligitur, quatenus attendenti manifeſtum ſit, quando loquor de *aſſere*, *columna*, *ſtatua*, atque ea corpora minora in indiviſo corpore majore, puta *rudi ligno*, *marmore*, ſuppono, hanc relativam affectionem eſſe quæ in pertinentibus ad ſubſtantiam intelligitur, in uno quidem nomine *aſſer*, *ſtatua*, &c. tacite & confuſe, in diverſis, quando aliud conſequens in obliquo, puta *ligni*, *marmoris*, accedit, expreſſe & diſtincte, propter eam de qua diximus, antecedentis in conſequente comprehenſionem, quæ in his ſubſtantiva per incluſionem comprehenſio intelligitur. *Nomina non ita propria verum communia* quæ pro propriis poſſunt ſupponi, ſunt primum omnino generalia, quæ per omnem ſe humanum ſermonem extendunt, *pars*, *portio*, *hoc*, *illud*, *quid*, *aliquid*, belgicum *iet*, *wat*, græcum τι quod Ariſtoteli adeo familiare eſt. Hæc vero nomina tam de incorporalibus poſſunt intelligi, de quibus hactenus non diximus, quam de corporalibus communi conſenſione verè ſubſtantivis, quanquam propter formas quæ accedunt merè ſubſtantiva non fuerint, de quibus corporalibus ſubſtantivis, iis præcipue quæ cerni & tangi poſſunt, hactenus nobis ſermo eſt. Deinde huc ſpectant *communia menſurarum nomina*, *uncia*, *libra*,

amphora, *modius*, *pes*, *digitus*, *ulna*, *milliare*, & ſic porro infinita alia, quorum nomina in Latina lingua ſæpe nota non ſunt quia menſuræ horum temporum latinis olim notæ non fuerunt. Et hæc nomina cogitamus neceſſaria eſſe, quando ſignificare volumus, quid præciſe ſive quantum rei corporalis, quæ pars, quæ ſpeciatim portio intelligatur, deſideretur; quod intelligitur diſtinctius & magis in particulari quaſi proprio ſuo nomine, quando dico *uncia auri*, *modius frumenti*, *poculum*, *vas*, *amphora vini*, *pes ligni*, *ulna panni*, *jugerum agri* &c. quam ſi dicas, vel omnino indefinite, *aurum*, *vinum*, *ager* &c. vel non ſatis definite, *aliquid*, *portio*, *pars*, *auri*, *frumenti*, *vini* &c. Hactenus, quantum putamus ſatis eſſe ad inſtitutum noſtrum diximus de pertinentibus ad ſubſtantiam, quæ in extantibus novimus ſubſtantiva corpora eſſe, primum quidem diſtincta formis & nominibus propriis, in toto integrali continuo vel diſcreto, de quibus quia magis obvia erant, diximus primo loco, deinde non ita diſtincta, in toto integrali, quod ſine partium diſtinctione continuum ſupponitur; de quibus, quia aliquanto minus obvia ſunt, modo diximus quaſi ſecundo loco. Superſunt pertinentia ad ſubſtantiam ab his omnibus valde diverſa & adhuc minus in populi, aliquanto magis in eruditorum & philoſophorum precipue ſermone uſitata. In his difficile erit eo quo cœpimus modo ordinem naturæ ſequi, atque ut oportet, diſtinguere, ut jam porro conabimur, primum ſubſtantiva ſine corpore, quæ videbimus in pertinentibus ad ſubſtantiam poſſe conſiderari, à ſubſtantivis cum corpore, quæ ſola hactenus conſideravimus; & tum quoque ſubſtantiva intellectu ſaltem grammatico, à ſubſtantivis, intellectu philoſophico, uti hactenus corpora quæ cerni & tangi poſſunt tam philoſophico quam grammatico intellectu ſubſtantiva fuerunt. Ea

vero

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

vero quæ ſuperſunt pertinentia ad ſubſtantiam, non quidem omnia attamen plurima, non tam philoſophico intellectu in extantibus, quam intellectu grammatico in dictis & cogitatis ut ſubſtantiva ſupponuntur, iſtaque ſuppoſitio, quando eam ut volumus non poſſumus cum diſtinctione intelligere, vel, ut communiter fit, de diſtinctione non cogitamus, novam difficultatem atque infinitam in humano ſermone incertitudinem atque confuſionem parit. Conabimur tamen, ac duo in his ſumma genera conſtituemus, unum iterum in iis quæ ad totum poſſunt ſuo modo integrale referri quaſi continuum vel diſcretum, quod non, ut hactenus, in extantibus compoſitis, quæ communiter videmus, verum in cogitatis ſimplicibus quæ intelligimus, dici poteſt partem extra partem habere, vocaturque *totum Mathematicum*, quia hæc ſuppoſitio Mathematicorum propria eſt. Alterum in iis quæ referuntur ad *totum*, quod philoſophi vocant *formale* aut *eſſentiale*, & non male advertunt, unum & alterum, eo modo quo totum integrale partem extra partem non habere, quandoquidem in toto formali, quod *Metaphyſicum*, atque in eſſentiali, quod *Phyſicum* appellant, partes formales atque eſſentiales communicant inter ſe eſſentiam & quaſi permeant ſe, ut loquuntur, quia aliter in his non poſſumus explicare mentem noſtram; id vero ſic dici non poteſt de partibus in toto integrali, ſive illud, ut hactenus, in extantibus à natura vel arte factum, ſive, ut hoc in loco, ſaltem in cogitatis ſupponatur. Atque ut in his quoque eo ordine quem natura docet, quantum poſſumus progrediamur, Totum integrale ſaltem in cogitatis habens partem extra partem, quæ omnes pertinere ad ſubſtantiam intelliguntur, in iis invenitur ſimplicibus abſtractis, de quorum veritate dictum fuit §. CI. & CII. ſimilibuſque aliis, quæ illic omnia &
ſin-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

ſingula ſuo ordine non recenſuimus. Et quia etiam hoc in loco ordine omnia & ſingula recenſeri non poſſunt, neque id noſtri, ubi de natura humani ſermonis agimus, eſt inſtituti, ſatis erit, ſi dicamus imprimis, Omnia poſſe comprehendi, primum uno generali nomine *Quantitas*, deinde duobus, *Magnitudo*, *Numerus*, & ſic porro innumeris aliis, quæ vel magnitudinum, in continuis, longis, latis aut ſolidis ſive craſſis, qualia ſunt *linea*, *ſuperficies*, *corpus*, *triangulus*, *circulus*, *globus*, *cubus* &c. vel numerorum, in diſcretis, ut *unum*, *duo*, *tria*, *quatuor*, *decem*, *centum*, &c. nomina magis particularia ſunt. Horum enim omnium ſignificatio de abſtractis ab omni materiâ ſenſibili cogitatis intelligitur, cum diſtinctione partium, quæ tam in magnitudine, ut eſt quantitas continua, quam in numero, ut eſt quantitas diſcreta, unæ extra alias ſupponuntur, intelliguntur que pertinere ad compoſitum ex iis totum, integrale, ut monuimus, non tam in extantibus quam in cogitatis. Deinde, quando vel uti non volumus nominibus iſtis, vel nomina deſtituunt nos [quod ſæpe accidit in valde generalibus, quæ quiſque ut vult ſupponit, liberius in cogitatis propriis ſine nomine,quam ea cum nomine, per anticipationem ſuppoſita accipit ab aliis] uti poſſumus aliis ſignis, puta *figuris* minuſculis △, □ &c. quibus majores repræſentantur; *lineis*, quæ valde generales poſſunt quantitatum notæ eſſe; literis *a*, *b*, *c*, *d* &c. vel ita nude & ſeorſim, vel conjunctim cum nomine aut alio ſigno, ſi dicas *Linea*, a —— b, ſicut etiam poſſumus, ſine hac dictione, ſolam per ſe lineam literis ſignatam oculis ſubjicere, poſſumus uti fictis novis aut qualicunque uſu receptis *characteribus* ſive ſignis diverſis aliis, quales ſunt inter alia, notæ numerorum, partim ſimplices, partim compoſitæ, 1, 2, 3, 4, 5, 10, 12, 100, 1000. $\frac{1}{2}$ $\frac{1}{3}$ $\frac{1}{4}$ &c.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

$\frac{1}{2}$ $\frac{1}{3}$ $\frac{1}{4}$ &c. quas notas Arithmetici pro ipſis de quibus cogitant numeris ſupponunt, ſive integris, ſive fractis, atque eas uno modo exprimunt ſine voce, quanquam, ut ſunt linguæ diverſæ, ita numerorum poſſint nomina diverſa eſſe. Eſt vero ex ante dictis manifeſtum, ea omnia abſtracta, ſive nomine ſive alio ſigno repræſentata, hoc in loco, ubi de pertinentibus ad ſubſtantiam loquimur in toto integrali continuo vel diſcreto, non in abſoluta, ſimplici & prima notione ſive ſignificatione, cujus veritatem primam & ſimpliciſſimam §. CI. & CII. ſeorſim conſideravimus, verum in ſignificatione relativa ſupponi, cujus veritas quaſi ſecunda & compoſita intelligitur, per acceſſionem relativæ affectionis. Quandoquidem in humano ſermone ſummè neceſſaria eſt hæc ipſa in uno nomine ac uno ſigno quantitatis, non quidem oppoſita attamen diverſa ſuppoſitio ſive conſideratio, modo ſeparata & abſoluta, quæ quaſi notio totius eſt, puta *trianguli*, *circuli*, *anguli*, *ſemicirculi*, & ſupponi poteſt non cogitando quod hæc ipſa alicujus poſſint pars eſſe poſita extra aliam partem; modo conjuncta ſive relativa, quæ quaſi notio partis eſt, de qua relate poſſumus ad ſuum, in quo ſupponitur, totum cogitare, ſaltem tacite & confuſe, in uno nomine, cum dico, verbi cauſa *angulus*, *tres anguli*, ita ſeorſim in caſu recto, expreſſe vero & diſtinctè, quando aliud nomen in obliquo, puta *trianguli*, *in triangulo*, accedit, intelligiturque hac acceſſione, tres iſtos angulos partes eſſe ad unius trianguli quaſi ſubſtantiam pertinentes. Ita vero ipſum *triangulum*, quanquam notio ejus videatur omnino abſoluta & ſeparata eſſe, intelligi etiam poteſt notione relativâ in pertinentibus quaſi ad alterius ſubſtantiam, quando ſupponimus ſive conſideramus in cogitatis *Planum*, vel definitum aliquanto majus, vel indefinitum abſolute maximum,

quod mathematici, quia in eo finem non inveniunt, vocant *infinitum*. Ita enim poſſumus quando volumus perſpicue intelligere, tam ad planum unum aliquanto majus definite, quam ad alterum indefinite maximum, pertinere ut partem triangulum ſive planum trianguli minus, atque hoc vere iis comprehendi, non per acceſſionem adjective, ut ſupra loquebamur, ſed per incluſionem ſubſtantivè, ſicut comptehendi Mercurium ſtatuam diximus in rudi ligno ſatis magno. Atque andemus univerſim concludere, tam in cæteris continuis, longitudine, latitudine, craſſitie, quam in diſcretis, numero, quodvis minus quantitate definitum, primum quidem ad ſui generis quantitatem definitam majotem, & tum quoque ad eam quæ indefinitè maxima ſupponitur, verè pertinere atque tam in una quam in altera comprehendi, quatenus comprehenſio iſta, quæ partem in toto extra partem ſupponit, totius de quo loquimur, integralis, tam mathematici quam phyſici propria eſt. Reliquum eſt ut de pertinentibus ad ſubſtantiam dicamus in toto ſive relate ad totum quod ita partem extra partem non habet, vocaturque diſtinctionis gratia *Totum formale & Metaphyſicum*, vel *eſſentiale & phyſicum*, quatenus non Mathematicæ, ut totum in cogitatis integrale, verum unum Phyſicæ, alterum Metaphyſicæ conſiderationis eſt. Adeo accurate & non ſine gravi cauſa Ariſtotelici ſuo proprio conſiderandi & loquendi modo artes & ſcientias diſtinguunt. Quanquam vero in his quoque pars relate ad totum non tam in extantibus quam in cogitatis ſupponatur, ſuppoſitio in uno magis in altero minus videtur intelligi poſſe tranſlata ad rem in extantibus, modo ſubſtantivis modo adjectivis, intellectu Philoſophico. De his, non quidem omnibus, attamen quamplurimis, multis jam ſeculis diſputatum fuit à phi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

à philoſophis, atque adeo difficilis plurimorum verus & diſtinctus intellectus eſt, ut communi hominum ſermone comprehenſus non fuerit, nec videatur poſſe comprehendi, verum propria Philoſophiæ de his loquutio atque omnis inveſtigatio & accurata diſtinctio eſt. Conabimur tamen, & *Primum genus* conſtituemus in iis quæ adeo ſimplicia ſunt in cogitatis, quando ea recte intelligimus, ut *pertinere ad ſubſtantiam* fere non ſit aliud quam *idem eſſe ſive ineſſe ut idem* cum ea re ad quam pertinere & cui ineſſe intelliguntur. Qua ratione ſubſtantiva in his comprehenſio ſive incluſio ſine diſtinctione intelligitur quam *realem* vocant, & omnino ſine poſitione partis extra partem, ut vel nulla vel rationis & nominis tantum intelligatur diſtinctio, tam partis à ſuo quaſi toto, ad quod refertur, quam partium inter ſe, quando, quia diverſa nomina ſunt, videmur de rebus diverſis cogitare. Hac ratione, quando dico, *quantitas*, *extenſio*, *longitudo lineæ*, *in linea*, *latitudo ſuperficiei in ſuperficie*, *planum trianguli*, *in triangulo*, *extenſio* [*quæ in longum*, *latum & profundum ſupponitur*] *corporis*, *materiæ*, *ſpatii*, *in corpore*, *materia*, *ſpatio*; *eſſentia*, *natura*, *ſubſtantia corporis*, *trianguli*, *circuli*, *ſpatii*, *materiale*, *formale peccati*, cujus formæ in peccato proprium nomen ἀνομία eſt: non quidem ars vel natura extra nos in extantibus, attamen cogitatio in nobis, vera cauſa eſt, primum qualiſcunque diviſionis ſive diſtinctionis, quæ etiam in rebus ſimpliciſſimis diſtinctam nominationem parit, et tum quoque connexionis & qualiſcunque compoſitionis, quando antecedens in recto ad ſuum conſequens expreſſum in obliquo refertur, quandoquidem intelligitur antecedens in ſuo conſequente comprehenſum fuiſſe, non per acceſſionem, verum per incluſionem, quæ ſine reali diſtin-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

ctione intelligitur de qua in toto integrali diximus. Neque alia in his quæ adeo ſimplicia ſunt, relativa in pertinentibus ad ſubſtantiam poteſt affectio intelligi, quam unitatis ſive identitatis. Hæc unitas ſive identitas in genere uno perfectiſſima, maxime clara & diſtincta eſt, cum dico verbi cauſa, *longitudo lineæ*, *in linea*, *extenſio ſpatii*, *corporis*, *materiæ* &c. in genere altero, ſi dicas, *eſſentia lineæ*, *ſubſtantia corporis* &c. minus perfecta & magis confuſa, quia hæc poſteriora adeo generalia ſive pluribus accommodata atque omnino in cogitatis abſtracta, priora iſta ſic omnino abſtracta, generalia & rebus omnino diverſis accommodata non ſunt, verum in uno ſimpliciſſimo rerum genere, quod diſtincte intelligimus, determinata. Ut ſit *longitudo*, ſola per ſe ſpectata [ita enim in cogitatis determinantur formæ ſimplicium iſtorum, quaſi in toto quod hac de cauſa formale vocant] per omnia idem quod *linea*, quod ſic dici non poteſt de nomine *eſſentia*, quatenus prima, ſimpliciſſima & præciſe propria ſignificatio hujus nominis, non tam de re una qualis eſt *linea*, quam de modo cogitandi intelligitur qui ad plures res omnino diverſas poteſt accommodatus eſſe, & qui, ut in generalibus faciamus compendium ſermonis, ſuo modo confuſe comprehendit plures res. Et ſic de cæteris, quorum ſignificatio vel ſimiliter in particularibus determinata atque ſic ſatis diſtincta eſt, vel ita in generalibus abſtracta, quæ ſine applicatione ad ſubjectum omnino vaga, incerta & confuſa eſt. De quo inſigni diſcrimine §. CVIII. aliiſque in locis plura diximus. Hujusmodi vero nomina, quæ vel ſeorſim, puta *longitudo*, *extenſio*, *ſubſtantia*, *eſſentia*, vel conjunctim cum alio nomine, ſi dicas, *extenſio*, *ſubſtantia corporis*, ita in oblique compoſitis pronuntiantur, & neque realem ſive ſubſtantialem, neque modalem in extanti-

bus.

bus acceſſionem ſive compoſitionem ſignificant, valde multa occurrunt, non ſolum apud Philoſophos, Mathematicos, Juriſconſultos, Theologos, quatenus hi omnes ſuo modo de ſimplicibus loquuntur, atque ea aliquando ut pertinentia ad ſubſtantiam conſiderant in ſuis ſaltem cogitatis: verum etiam in communi ſermone hominum, qui ſuo modo confuſam de his habent cogitationem, atque ea ſine diſtinctione ſupponunt, quatenus ſuppoſitio ad uſum vitæ ſufficit, atque in communi ſermone neceſſaria eſt. Solius autem Philoſophi eſt hæc adeo ſubtiliter diſtinguere, ac docere, Non ſic in toto quod à forma in cogitatis vocant formale, unum ab altero, puta ſubſtantiam vel extenſionem â corpore, longitudinem à linea, vel ab aliqua alìa eſſentiali parte corporis aut lineæ, puta quantitatem ab extenſione vel longitudine, diſtingui, ſicut caput in homine, clavus in navi à corpore reliquo, pars ſive portio integralis lineæ una ab alia diſtinguitur; Et tamen propriis ſuis nominibus recte iſta appellari, quaſi in his quoque unum ab altero diverſum ſit, quia ſi non res ipſa, modus cogitandi diverſus, & hæc quaſi diverſa unius rei forma in cogitatis eſt. Ad hæc ſolum cogitata quiſque accommodat ſermonem, qui in quamplurimis eſt communis ſive conſentiens plurium & forte omnium qui eodem ſermone utuntur, in bene multis, proprius & non ita conſentiens, unius vel paucorum ſermo. Quæ jam porro in *genere ſecundo* numeramus pertinentia ad ſubſtantiam relate ad *totum eſſentiale Phyſicum*, non multum quidem differunt ab iis quæ in genere primo ad totum referuntur formale Metaphyſicum; quia tam ſuo modo in uno quam in altero dici poſſunt partes inter ſe eſſentiam communicare: attamen diſtingui poſſunt, neque adeo inutilis diſtinctio eſt, ut forte multi putant. Siquidem totum quod Philoſophi

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

eſſentiale vocant aliquanto magis in extantibus ſupponitur, quam formale, quatenus non tam in nobis cogitatio, quam extra nos Natura vel Ars quæ quantum poteſt naturam imitatur, facit & format, *globum*, *cubum*, *ſtatuam*, *ſagittam*, *navim*, *domum*, *molam*, *aerem*, *aquam*, *ignem*, *nivem*, *arborem* &c. Neque iſta eo modo ſimplicia ſunt, quo linea, ſuperficies & corpus Mathematicum; verum compoſita, quatenus in ipſismet rebus extantibus formæ ad materiam facta ſuo modo realis acceſſio eſt, quod ſic dici non poteſt de abſtractis Mathematicis. Hanc formam veram, (ut jam de formis non veris non dicam in apparentibus & cogitatis) in & cum vere exiſtente materiâ, quæ ſuæ formæ ut ſaltem *modus ſubſtantiæ* eſt, intelligitur vere ſubſtantivum ſubjectum eſſe, unius poteſt nominis ſignificatio comprehendere. Atque comprehenſio iſta in artefactis communiter ſuo modo clare, diſtincte & ſecundum particularem notionem magnitudinis, figuræ, ſtructuræ, motus vel quietis, in naturalibus obſcure, confuſe ac notione ſaltem confuſa & generali intelligitur, quatenus in his formam & materiam diſtingui, ratione quidem concludimus, & tamen eo modo quo in artefactis materiam & formam non videmus, nec dicere poſſumus, quis & qualis *modus ſubſtantiæ* ſit qui facit formam, & quod illius proprium in particularibus nomen ſit, quia communiter non habet nomen; de quo diſcrimine §. CXXVII. verſus finem diximus. Qualiscunque vero ſit comprehenſio, cum dico, vel omnino univerſim & confuſe, *materia*, *forma corporis naturalis*, *arteficialis*, non determinando, quid propriè, quid præciſe his nominibus intelligatur; vel ab una ſaltem parte aliquo modo ſpeciatim & diſtincte, in conſequente nomina *navis*, *ligni*, *ferri*, ſubſtituendo; vel denique ſpeciali & diſtincta ut videtur notione ab

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

ab utraque parte, *argentum poculi*, *rotunditas globi*, *figura ſtatuæ* quam videmus: iſta inquam omnis comprehenſio antecedentis in ſuo conſequente quaſi in toto cujus pars extra partem non eſt, eam de qua loquimur notionem relativam parit, quæ primum ſupponitur in cogitatis, quando eam genitivo (conſequens enim quaſi gignit ſuum antecedens in dictis & cogitatis) volumus caſu ſignificare in dictis atque ea de pertinentibus ad ſubſtantiam intelligere. Neque quicquam intereſt, ſive illa quæ antecedunt aut ſequuntur, verè (quanquam non mere) fuerint ſubſtantiva, puta argentum in poculo, lignum in globo qui ex ligno factus ſupponitur, ſive adjectiva ſubſtantive accepta, puta rotunditas in hoc ipſo ligneo globo. Hanc enim rotunditatem ſive figuram rotundam, cum ligno corpore ſuo, quia nomen unum globus in recto ſignificat & vere comprehendit, dictio expreſſe compoſita in obliquo, tam una *lignum globi*, quam altera, *rotunditas globi*, vera eſt. Et ſic de omnibus aliis in quibus, propter eam de qua diximus acceſſionem, ſimiliter formam & materiam diſtinguimus atque unam & alteram unius nominis ſubſtantivi, ſive, ut ſupra loquebamur, ſubſtantivati, ſignificatione comprehendimus, ob hoc unum quod Natura vel Arte & tum quoque conſuetudine ſermonis, quæ in his quaſi altera natura eſt, iſta duo ſic facta unum ſint, ut neque unitas diſtinctionem neque diſtinctio unitatem tollat. Neque ulla in his difficultas eſſet, ſi eo quo oportet modo intelligeremus omnes id quod vera Philoſophia docet veriſſimum eſſe, Primum quidem ſubſtantivum materiæ de qua loquimur unum & ſimplex quod in omni corpore invenitur & *Materia prima* vocatur, in extenſione ſive quantitate trinæ dimenſionis conſiſtere, atque hanc omnino ſimplicem ſubſtantiæ corporeæ eſſentiam & vere ſubſtantialem formam eſſe, quam

veri

veri & antiqni Ariſtotelici *formam corporeitatis* vocant, nomine *forma* intelligentes id quod in toto formali eſſentiam vocamus, quæ certe eſſentia vere ſubſtantialis in ipſa corporum ſubſtantia eſt; Et intelligeremus præterea, formam omnem aliam, qua unum corpus ab alio diſtinguitur, nihil aliud poſſe eſſe quam *modum extenſionis*, qui eſt primum aliquid materiæ extenſæ adjective per acceſſionem, & tum quoque aliquid formati corporis ſubſtantive per incluſionem, ut nomina ſubſtantiva vel adjectiva, atque etiam plura, puta *corpus rotundum*, vel unum ſunt, puta *globus*. Quibus ita poſitis, haud difficulter porro intelligimus, modum extenſionis quo corpus unum ab alio diſtinguitur, primum quidem in aliquibus artefactis quæ ſimplicia ſunt & forma tantum externa diſtinguuntur, puta globus, ſtatua, unum & ſimplicem eſſe, figuram iſtam unam quam videmus externam & communiter notam: ſed vero in pluribus, quæ arte facta ſunt magis compoſita, & quæ non tam externa quam interna forma diſtinguuntur, qualia ſunt mola, navis, horologium pluraque alia automata; modus extenſionis in magnitudine, figura, ſtructura, quibus accedere poſſunt motus & quies, multiplex atque adeo diverſus eſt, ut omnia & ſingula communiter nota non ſint, quando hujuſmodi nomina pronuntiamus, neque eo modo diſtincte ac in pleno ſenſu, quo ſimplicia, poſſunt cognoſci, quando forte de hiſce ſine nomine cogitamus. Intelligimus præterea, hanc ipſam difficultatem infinitis modis majorem eſſe in naturæ quam in artis operibus; quanquam iterum in uno corpore naturali major, in altero minor ſit difficultas, ſicut ſunt magis vel minus compoſita corpora, atque ut in formis major vel minor varietas ſive ſimplicitas aut compoſitio eſt. Uſque adeo, ut in corpore naturali, quod ſecundum ſpe-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

ſpeciem in ſenſu unum, continuum & ſimplex ſive homogeneum apparet, qualia poſſunt eſſe, ignis, aer, aqua, vinum, oleum, lignum, lapis, magnes, ferrum, os, caro, aliaque innumera; vel eſſe compoſitum ſcimus, ſicut corpora viventia, plantarum, animalium & hominum (ut jam de compoſitis non-viventibus non dicam) ex ſolidis & fluidis partibus diverſis, tam quæ non videri quam quæ videri poſſunt: Infinito major difficultas fit, quam in ullo vel ſimplici vel compoſito corpore arte facto, quando, ut oportet, ab una parte ipſummet & proprium opus Artis, ab alia opus Naturæ ſpectamus. Quandoquidem Natura, ut eſt quaſi manus Dei, ſicut ars quaſi manus hominis eſt, multo ſubtilius operatur, multoque ſubtiliore utitur materia & majore quam ars ulla humana artificio utitur in omni opere ſuo, ſive minima ſive maxima ſpectes, ad quæ naturæ corporeæ vis & actio, quod ſic dici de arte non poteſt, pariter pertingit. Ex his vero etiam ſequitur perſpicuè, modos extenſionis omnes in minimis & maximis, in fluidis & ſolidis, qui faciunt formam in opere Naturæ, non intelligi communiter quando nomina pronuntiamus, & multo minus quam in artefactis poſſe intelligi, quando ſepoſito vel ignoto nomine volumus de rebus ipſis cogitare atque veram in extantibus & internam formam eo modo ſecundum propriam & particularem notionem comprehendere in opere Naturæ, quo modo vera & interna forma in quocunque opere Artis, ſi non à ſpectatore, ſaltem ab artifice comprehenditur. Qua ratione hactenus ſatis notum putamus, confusè quidem communi, aliquanto magis diſtincte ſpeciali alio, atque etiam Philoſophico intellectu, formam quæ cum materia uno ſubſtantivo nomine comprehenditur quaſi in pertinentibus ad ſubſtantiam, ſaltem in artefactis abſolvi acceſſione

determinatæ magnitudinis, figuræ, ſtructuræ ad ſubſtantivum corpus materiæ, quatenus acceſſio hujusmodi modorum & accidentium in poteſtate artificis eſt. Hi ſolum modi in & cum materia unum opus artis ab alio diſtinguunt, & non tam movent arte facta quam diſponunt ad motum qui aliunde advenit, atque ea apta faciunt ad uſus & functiones, à quibus, quando forma minus nota eſt vel minus afficit nos, aut, ut ſæpe contingit, ad eoſdem uſus forma poteſt diverſa eſſe, etiam acceperunt nomen ſuum, fere ut in operibus Naturæ de nomine *oculus* §. CXXXII. ex Ariſtotele obſervavimus, atque hac de cauſa *quaſi oculus* arte factus humana, non eſt verus qui videt aut videre poteſt oculus. At vero naturalia hic in terris corpora quod attinet, de iis aliter ſentiendum & loquendum eſſe, recte olim judicavit Ariſtoteles, & non ſine ratione hoc ipſum urgent Ariſtotelici, tam ſpurii, qui ſuos errores admiſcent, quam veri. Quandoquidem Natura ſic diſtinguit corpora per acceſſionem & incluſionem formæ quæ aliud nihil quam modus ſubſtantiæ eſt in ſua propria & terreſtri materiâ per ſe ipſam actu & motu deſtituta, ut multum quoque diſtinguantur per acceſſionem & incluſionem materiæ cœleſtis, quæ longe ſubtilior perpetuo actu & motu formarum in terris omnium omniſque motus & ſuo modo etiam quietis, prima & univerſalis cauſa eſt, tam procreans in ortu quam conſervans tempore reliquo uſque ad interitum, quem ea ipſa cœleſtis materia ſenſim & ſine ſenſu etiam efficit, infinitis diverſis modis movens & agens, ſicut ſunt aut fiunt corpora diverſa. Ita vero dici cum ratione poteſt, quod perpetuus ex eo ortus motus ſit *quaſi vita* & anima (quæ jam non diſtinguimus) primum quidem quantum poteſt communis omnium & ſingulorum in mundo ſublunari corporum naturalium; οἷον ζωή τις τοῖς φύσει συνεστῶσι

ἑστῶσι πᾶσιν, inquit Ariſt. VIII. Phyſ. cap. I. ab initio; deinde etiam propria inde pendet plantarum & animalium vita, quatenus in his omnibus, etiam in homine corpus quod attinet, quidam calor innatus, aut ſi mavis, ignis de cœlo accenſus modo ſpeciali agit, & efficit, ut plantæ nutriri, animalia ſentire & ſe ipſa movere poſſint, nutrianturque quando alimentum ſuppetit, ſentiant vero quantum poſſunt ſolo corpore, & moveantur, quando adſunt particulares aliæ ad ſentiendum & movendum neceſſariæ quidem, attamen minus principales cauſæ, ſive externæ, ſive internæ. Ut corpora plantarum & animalium præcipue, quin hominum quoque vera automata ſint, modis infinitis magis compoſita quam ullum arte humana poteſt compoſitum eſſe: quandoquidem, ut hydraulicæ & pneumaticæ machinæ, tam impetu alicujus ſpiritus ſive ſubtiliſſimi corporis (cœleſtis aut terreſtris, quæ jam non diſtinguimus) quam fluxu humoris, moventur. Hoc ſolum intereſt, quod in pneumaticis & hydraulicis machinis, proprie ſi velis loqui, ſpiritus & humor, puta aer & aqua, conſuetudine ſermonis non eo modo dicta & facta ſint pars machinæ, quo modo humor & ſpiritus ipſaque illa quam comprehendunt materia cœleſtis, vivæ plantæ & vivi animalis pars ſunt atque debent eſſe. Neque etiam aer & aqua accipiunt eo modo vim movendi & formam ab Arte atque in ipſis demum arte factis, quo modo humor & ſpiritus vitalis in plantis & animalibus formam & vim ſuam omnem à Natura habent, moventque non tam ut externæ & ſeparabiles, quam ut internæ atque lege naturæ conjunctæ ſive congenitæ cauſæ, ἀεί τι κινούμενον ἐν τῷ ζῴῳ τῶν συμφύτων, inquit Ariſt. VIII. Phyſ. cap. 2. Ad hanc naturæ legem & neceſſitatem, quatenus confuſe nota eſt, humanus ſe ſermo accommodat, intelligi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

ligiturque hic ſermo diſtincte, quando primum humor & ſpiritus ipſaque materia cœleſtis, & tum quoque orta inde vitæ corporeæ non una functio & facultas primumque principium, cogitantur dicunturque aliquid plantæ, aut animalis, aut hominis eſſe, iſtaque compoſita cogitatio unius ſubſtantivi nominis ſignificatione comprehenditur. Ita hactenus ſaltem ſive hac adeo diſtincta conſideratione, hominum corpora viventia vera automata eſſe, ſine dubitatione affirmamus, dicimusque, etiam hactenus vitam in homine corpoream eſſe. Quia quando, ut oportet, corpus humanum vivens ſeorſim ſpectamus, ut eſt compoſitum ex ſolidis & fluidis, ſive ut Hippocrates loquitur aliquanto diſtinctius, ex continentibus, contentis & impetum facientibus, horum certe vis & actio quædam propria atque vere comporea ſive aliquid iſtius corporis eſt, in pertinentibus ad ſubſtantiam. Eo prorſus modo quo de modis & accidentibus fuit dictum, deque omni forma corporea, quæ in viventibus debet cum duplici acceſſione materiæ cœleſtis intelligi, una quæ naturale, altera quæ vivens corpus facit, uti ex Ariſtotele obſervavimus, quod certe etiam de humano corpore vivente verum eſt. Hinc tamen non ſequitur, hominem totum non minus quam forte bruta animantia, atque eo modo quo automata de quibus diximus pneumatica & hydraulica, ſolo corpore ſubſiſtere, atque mera eſſe automata homines. Ac ſi vita atque anima omnis etiam ea qua proprie homines ſumus, *mens*, *animus*, *intellectus*, *ratio*, atque univerſim, hoc totum in homine quod nomine cogitationis atque rei cogitantis venit, vel inane nomen, vel ſubtile corpus puta ignis, aut aliquid corporis, puta motus vel figura ſit, vivatque homo tam ſuam propriam, quam communem aliorum viventium vitam ea ſola de qua diximus corporea acceſ-

acceſſione materiæ cœleſtis, exerceatque per eam & cum ea ſola omnem in ſe vitalem functionem. Ita ſentire atque eo modo loqui aliter, quam communiter alii homines loquuntur, eſt vocabulorum ſignificationes confundere ad libidinem, atque omnino vim facere humano ſermoni, cujus in recto uſu tam intelliguntur res ipſæ quam nomina diſtingui. Eſt etiam hoc aliter loqui & ſentire, quam fides Chriſtiana jubet, aliter (ut jam de communi ſenſu non dicam) quam recta ſuadet ratio & vera Philoſophia docet. Quandoquidem tam rectæ rationis, quæ veram Philoſophiam parit, quam veræ religionis & fidei, qualem credimus Chriſtianam eſſe, primum atque immobile fundamentum ſive principium eſſe debet, quod præter animam & vitam corpoream, quæ ſui & aliorum omnium ignara, neque de ſe ipſa, neque de rebus aliis cogitat, ſit in homine vita & anima incorporea, cujus proprium nomen eſt, & fuit tot jam ſeculis, ὁ νȣ̃ς *Mens*, quod etiam proprium poteſt nomen τȣ̃ θείȣ *divinitatis* eſſe. Ita fit, ut *non ſolum vivendi, verum etiam bene vivendi in ſe rationem natura hominis acceperit, ſitque aut hoc unum genus ex omnibus animalibus nobis cognitis divinitatis particeps, aut omnium maxime*; inquit Ariſtoteles Libro II. de Partibus Animalium cap. x. ita cum qualicunque dubitatione, in tenebris ethniciſmi, quando viventium in Terris diverſa genera diſtinguit, ſupponens, quod vivens ſumme perfectum atque æternum, ipſum quod videmus cœlum ſit. Iſta Mens in homine, ut cum Simplicio Ariſtotelis interprete loquar, *ſola agnoſcit ſe, ipſa eſt quærens, ipſa quæſita, cognoſcens, cognita, inveniens, inventa.* Hæc ſola in ſe rem omnem aliam cognoſcit, quatenus tam de rebus aliis, quas intelligit à ſe diverſas, quam de ſe ipſa cogitat, atque actu, ut loquuntur Philoſophi, reflexo ad hunc ſuum intelle-

 telle-

tellectum, quando vult, attendit: id quod corporis non eſt, neque noſtri, cum quo iſta mens unita eſt, neque alterius, cum quo unita non eſt, ſive ſubtile, mobile & cœleſte, ſive craſſum, per ſe ipſum immobile & terreſtre fuerit corpus, in nobis, extra nos. Quæ Ariſtoteles, propter opinionem de divinitate cœlorum, cui ſe opponere auſus non eſt, ita ſatis non diſtinguit. Quibus ita poſitis, ut tandem concludere poſſimus, modo ad conſuetudinem ſermonis attendamus, atque certa & magis obvia ab incertis & minus obviis diſtinguamus, uti aliquo modo factum ab Ariſtotele fuit in Libris de Anima, haud difficulter intelligimus (id quod multi putant non intelligi) quid nomina, *vita*, *vivere*, *anima*, *animatum*, aliaque magis particularia his confuſe comprehenſa, *in pertinentibus ad ſubſtantiam viventis*, ſignificent communiter, quid ſignificare poſſint præterea, quaſi proprio eruditorum ſive Philoſophorum intellectu, partim vero partim falſo, ut ſolet in iis, quorum adeò difficilis inveſtigatio eſt, tam falſum vero, quam verum falſo permiſtum eſſe. Et ut primum de ſignificatione communi dicamus, ad quam ſe Ariſtoteles accommodat, ea duplex occurrit: Una ac prior ſignificatio magis obvia atque ab origine videtur magis nota fuiſſe, quæ nempe de vitali intelligitur actu ſive functione, quam in nobis ipſis poſſumus experiri ſenſu qualicunque interno, atque etiam ſimiliter in viventibus aliis ineſſe, ex ſimili quem videmus effectu poſſumus concludere. Altera ſignificatio poſterior dici poteſt & minus obvia, atque ea non tam ſeparatim quam conjunctim intelligitur de potentia ſive principio horum omnium primo, primaque & interna antecedente cauſa functionis vitalis, quæ certe functio in planta, animali, homine, quando vivit, aliquam cauſam habet, qua fit, ut ſemper in iis qualiſcunque talis functio

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

ſit, etiam quando videtur nulla eſſe. Priuſquam vero aliquanto diſtinctius ob oculos ponamus, quam in humano ſermone neceſſarium ſit, hoc pacto horum atque multorum aliorum nominum ſignificationes diſtinguere, ut vel in uno nomine conjunctæ, vel per nomina diverſa quantum fieri potuit, ſeparatæ intelliguntur, ex Libro II. de Anima cap. 2. verba quædam Ariſtotelis allegabimus, quæ ſine iſta diſtinctione intelligi non poſſunt. *Vita qua animatum ab inanimato diſtinguimus, dicitur multifariam, atque ſi unum tantum illorum inſit, vivere illud dicitur, cui ineſt, ut intellectus, ſenſus, motus loco & ſtatus, & inſuper motio nutritioni, accretioni & decretioni accommodata. Quapropter & omnes plantæ dicuntur vivere, quippe cum videantur in ſe ipſis NB. vim habere talem & principium, quo ad contraria loca tam incrementum, quam decrementum capiant; non enim ſurſum quidem accreſcunt, deorſum non accreſcunt, ſed ad utramque ſimul differentiam & omni ex parte ſemperque nutriuntur & vivunt, quouſque poſſunt alimentum accipere. Atque hoc quidem à cæteris ſejungi poteſt; cætera, in iis quæ mortalia ſunt viventibus, ab illo nequeunt ſeparari: Quod manifeſtum eſt in plantis: nulla enim alia* [quam qua nutriuntur & creſcunt] *ipſis ineſt animæ potentia* [*& officium*, addit interpres, quia de his duobus Ariſtoteles non tam ſeparatim quam conjunctim loquitur, ut à natura juncta ſunt] *Vivere igitur ob hoc principium* [ob hanc primam & à mortali vivente inſeparabilem vim & functionem vitalem] *viventibus omnibus competit. Animal autem eſt propter ſenſum primo*, αἴσθησιν inquit, quod iterum nomen functionis eſt. *Nam & ea quæ non mutant locum, ſenſum autem habent, non ſolum vivere dicimus ſed etiam animalia nuncupare ſolemus. At vero ex ſenſibus primo cunctis animalibus ineſt*

Tactus.

Tactus. Atque ut vegetativum θρεπτικὸν [ita facultatem conjunctam cum functione, ſuo proprio nomine ſignificat] *à tactu ſenſuque omni, ſic à cæteris ſenſibus ſeparari Tactus poteſt. Eam autem partem animæ vegetativam dicimus, cujus plantæ participes ſunt: Animalia vero cuncta habere ſenſum Tactus* ἁπτικὴν αἴσθησιν, *& quam ob cauſam utrumque fiat, poſteà dicemus. Nunc dictum eſto, Animam principium eſſe NB. eorum quæ dicta ſunt, & his eſſe definitam, vegetativo, ſenſitivo, intellectivo* [verti etiam potuiſſet cogitativo] *motu*, ſive, ut alibi loquitur κινητικῷ *motivo*, quod nomen quartum, ut tria priora, magis expreſsè inſeparabilem à functione facultatem ſignificat. Et ſic tandem Ariſtoteles, poſtquam in ea quam propoſuerat difficultate, de animarum in uno vivente diviſione, atque de ſeparatione quaſi partium animæ, dixerat, quædam facile, alia difficulter poſſe definiri, & ſic primum ſine dubitatione confirmaverat, Animam, & vitæ functionem, corpoream, quæ eſt *aliquid corporis atque in corpore ſubſiſtit*, ut loquitur poſtea, in plantis ac animalibus iis, que ἔντομα *inſecta* vocat, cum ſuo corpore poſſe dividi, & quaſi in partes ſecari, quantum poſſunt, ſeorſim viventes: Concludit, his verbis, *De intellectu vero, contemplativaque potentia nondum quicquam eſt manifeſtum; ſed videtur hoc Animæ genus eſſe diverſum, idque ſolum, perinde atque perpetuum* [vivens cœleſte atque immortale] *ab eo quod occidit* [corruptibile ſive mortale corpus terreſtre intelligit] *ſeparari poſſe: cæteras autem animæ partes ſeparabiles non eſſe, quod aliqui aſſerunt, ex iis quæ diximus patet.* His præmiſſis, antequam Ariſtoteles, hoc in capite ſecundo, ubi aliquanto diſtinctius functiones animæ & illius quaſi partes principes ob oculos poſuerat, porro concludat, Quid tandem, una quaſi & generali notione, ſignificet nomen

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

men Anima ψυχὴ qua homines ſumus, repetit familiarem ſibi & ſumme neceſſariam diſtinctionem hiſce verbis: *Id quo vivimus* [capite primo dixerat *forma, actus, perfectio*] *& ſentimus, bifariam dicitur, perinde atque id quo ſcimus atque id quo ſani ſumus, quoddam enim ſcientiam, quoddam animam dicimus & utroque dicimur ſcire. Et ſimiliter id quo ſani ſumus atque valemus, quatenus, vel ſanitatem ipſam, vel partem corporis aut totum intelligimus. Atque horum utrumque tam ſcientia quam ſanitas, forma & ſpecies & ratio eſt, & tanquam* ἐνέργεια *actus ſive functio ſubjectorum capacium, ſcientia quidem ſcientis, ſanitas autem ſani.* Quando vero Ariſtoteles ita *quoddam quo ſcimus animam*, atque etiam *quoddam quo dicimur ſcire, ſcientiam* appellat, atque hac ratione ſcientiam & ſcire ut quid poſterius atque ut animæ acceſſionem conſiderat accommodate ad conſuetudinem ſermonis; in hoc ipſo nomine *ſcientia, ſcire*, iterum nova ambiguitas atque ſimilis alia diverſa ſignificatio latet, de qua dixerat capite primo. Quandoquidem, quando nomina iſta, unum aut alterum, *ſcientia, ſcire*, pronuntiamus, vel de inhærente atque antecedente cogitamus habitu *ſcientiæ* quatenus conſuetudine ſermonis, etiam dormienti atque ad ea quæ ſcire dicitur non attendenti, tribuitur; vel de actu ſive functione loquimur tranſeunte, quam Ariſtoteles verbo θεωρεῖν *contemplari*, ab inhærente ſcientia diſtinguit, verbis paucis, quibus tanquam immobili fundamento doctrinam de anima ſuperſtruit Libro II. de Anima capite primo. *Forma eſt actus & perfectio* [Græce ἐντελέχεια ac ſi dicas Latine *actuoſa perfectio*] *& dicitur bifariam; quædam enim eſt ut ſcientia, quædam ut contemplari.* Et poſtquam dixerat animam, non ut materiam ſive ſubjectum & corpus, non etiam ut totum compoſitum, verum

ut formam ineſſe, quæ præ omnibus aliis formis eſt actuoſa perfectio, atque primo & proprie pertinet ad ſubſtantiam viventis, iterum his verbis concludit, *ſed cum perfectio & actus bifariam dicatur, ut diximus, quædam enim eſt ut ſcientia quædam ut contemplatio, patet animam actum eſſe* [perfectionem actuoſam] *ut ſcientiam. Nam ex eo quia anima eſt, & ſomnus eſt & vigilia; atque vigilia quidem contemplationi, ſomnus autem ſcientiæ operatione vacanti* (Græce uno verbo τῷ ἔχειν, ac ſi dicat ſcientiam habenti) *aliquid analogum eſt: altera autem alteram in eodem, ſcientia contemplationem* πρότερα τῇ γενέσει *generatione præcedit. Quapropter Anima primus eſt actus perfectioque* ἐντελέχεια ἡ πρώτη *corporis naturalis potentia vitam habentis*, hoc eſt vivere ſive primam de qua loquitur vitalem perfectionem recipere potentis, quale paulo poſt *corpus* dicit eſſe, non quodvis ſine diſcrimine, verum *naturale organicum*, quatenus eo, primum à corpore cœleſti [quod ſimplicius, atque Ariſtotelis opinione non naturale ſed divinum eſt corpus) deinde ab omni alio in terris naturali corpore, diſtinguitur corpus viventis, in homine præcipue, quatenus hominis corpus, Ariſtotelis opinione, quæ hac in parte vera atque etiam religioni Chriſtianæ conſentanea eſt, non tam ſubjectum, quam organum ſive inſtrumentum, & ſuo modo etiam domicilium humanæ mentis eſt qua proprie homines ſumus: Id quod Plato ſine dubitatione affirmat, Ariſtoteles in medio relinquit & non negat, hoc ipſo, in quo jam verſamur, capite primo, quando hiſce verbis concludit; *Nihil tamen vetat ut aliquæ partes animæ ſint ſeparabiles, propterea quod corporis nullius ſint actus, & adhuc obſcurum eſt, an non perinde anima* [humanam mentem intelligit ſive intellectum, non tam patientem qui non eſt ſeparabilis à corpore,

re, quam agentem, de qua diſtinctione paucula diximus § XXXIX.) *corporis ſit actus ut gubernator navis.* His ita partim ſuppoſitis ex hoc ipſo in quo jam verſamur capite primo, partim in capite ſecundo, ut vidimus, expreſſe præmiſſis: tandem concludit & definit Animam in homine, non ſpeciatim eam cujus proprium nomen Mens ſive intellectus eſt, verum univerſim, his verbis, *Anima id eſt, ut patet, quo vivimus, & ſentimus & intelligimus primo*, ita tres animæ ſive partes, ſive ſpecies uni homini tribuens, vegetantem, ſentientem, intelligentem, ſive rationalem, cujus rationalis animæ vis & actio, ut propria eſt hominis, in interno poſita eſt animi ſenſu; atque hunc ſenſum internum, ut eſt multiplex & diverſus, partim corpori mancipatus, partim liber, unum & commune nomen *cogitatio*, in Latina Lingua comprehendit, uſitatius & multo magis in pleno ſenſu, quam nomen *intellectus* vel *ratio*, quo Ariſtotelici utuntur. Omittit vero Ariſtoteles in iſta functionum enumeratione *motum ſive id quo movemur*, quatenus communiter, atque in animali perfecto, quale præ omnibus homo eſt, cujus animam deſcribit, cum ſenſu ita à natura junctus eſt motus, ut non ſit ſenſus ſine motu, quia ab uno & communi pendent principio, quod in homine partim corporeum ſive automaticum ſine interno animi ſenſu (ſolum per ſe corpus ſi ſpectes) partim diximus incorporeum eſſe, à quo animi ſenſus inſeparabilis eſt. Ita manifeſtum fit, imprimis, dici quidem recte hominem vivere atque animatum eſſe, ipſo actu vitali, ſua nutritione, ſuo qualicunque ſenſu, quando videt, audit &c. intellectu denique ſive actu quocunque intelligendi, aut, ſi mavis, cogitandi; Ut videatur atque conſuetudine ſermonis homo dicatur, magis vel minus vivere, ut ſunt vel videntur eſſe magis aut minus

vividæ ſive vegetæ functiones corporis, vel animi: Eo tamen ſignificatu non intelligantur verba iſta, *id quo vivimus, ſentimus, intelligimus*. Quia, quando dicendum præciſe atque definiendum eſt, quid ſit Anima [hoc eſt, quid primo & proprie debeat hoc nomine intelligi] eam à particulari functione quacunque diſtinguimus ſive abſtrahimus, atque non de una vel altera, non de omni ſimul fluxa & fugitiva functione, verum de omnium uno quaſi fonte, & permanente ad tempus quod vivimus principio cogitamus. Eo fere modo quo in infinitis aliis quæ nomen ab officio actuoſaque in ipſis forma ſive perfectione acceperunt, ſive inter homines, puta Rex, Conſul, Dominus, Servus, Orator, Paſtor, ſive in alio rerum genere, puta horologium, navis, domus, mola, ſecuris: quando definiendum eſt quid ſint, ſive quid potiſſimum ſignificent nomina iſta, non tam de multiplici & fugitiva functione, ac ſi hæc ſola [qui periculoſus error eſt infinitos errores alios poſt ſe trahens] formam ſive perfectionem in his omnem comprehenderet, quam de inhærente & permanente, ad tempus, principio cogitamus. Hoc principium, ut eſt non unum & ſimplex in uno homine ſed diverſum, partim cum corpore terreſtri & cœleſti, partim ſine eo, partim his intime inter ſe unitis ſubſiſtit, atque tam unum quam alterum & tertium quoque ſuo modo vere ſubſtantivum eſt, ſiſtens & implens cogitationem, quod non faciunt adjectiva. Quanquam propter modos & accidentia, quibus unum & alterum & tertium ex his compoſitum principium vitale (quia non eſt à ſe & æternum) variabile intelligitur; eo modo non ſit mere ſubſtantivum, quomodo *vita interminabilis*, [uti ſupra monuimus] *tota ſimul perfecta*, mere ſubſtantiva in Deo ſupponitur & fide creditur; atque hæc ipſa, non vitæ, non mentis humanæ,

non

non totius hominis, verum divinæ mentis ſive Dei perfectio eſt, quatenus non ab alio, verum ex ſe ipſo vitam habet, ſine eâ diſtinctione inter actum & potentiam, quam Ariſtoteles ſumma cum ratione urget, in omni alio vivente, quod natura ſua divinum & æternum non eſt, admittendam eſſe. Qua ratione diſtinctio permanentis & ſuo modo ſubſiſtentis principii à fluxo & fugitivo actu illiuſque perfectione adjectiva [quanquam hæc omnia, ut ſupra obſervavimus, unius poſſint nominis ſubſtantivi ſignificatione comprehendi quaſi in pertinentibus ad ſubſtantiam] non ſine gravi cauſa adeo neceſſaria viſa fuit Ariſtoteli, ut non uno hanc diſtinctionem loco inculcet, atque, ut nobis videtur, per conſuetudinem humani ſermonis, perſpicue oſtendat, non hæc ſua inutilia, uti his temporibus multi putant, figmenta, ſed vere exiſtentia & ſuo modo vera in hominum animis eſſe cogitata, ſine quibus, in bene multis non conſiſteret ſermo humanus. Hæc ipſa enim diverſa cogitata, imprimis, quia adeo cohærent, confuſe comprehendimus nomine uno, puta, *vita*, *anima*, *ſenſus*, *intellectus*, *intelligentia*, *ſcientia*, *viſus*, *auditus* &c. quatenus hæc nomina fere ſine diſtinctione, modo de actu ſive functione accipiuntur, modo de potentia, quæ, ut recte monet Ariſtoteles, etiam dormienti atque ab opere ceſſanti tribuitur. Deinde hæc ipſa confuſe juncta cogitata etiam diſtinguimus nominibus diverſis, ſive generalibus iſtis *actus potentia*, ſive ſpecialibus *viſus viſio ſcientia contemplatio.* Vel denique, poſtquam diſtinctio facta & intellecta eſt, iterum hæc ipſa, ut faciamus denuo compendium ſermonis, in unum cogimus, atque ſic aliquo modo cum diſtinctione intelligimus diverſam ſignificationem, nomine uno, cujus id nova terminatio notum facit. Talia poſſunt nomina eſſe, communiter à verbis derivata, at-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

atque ſua nominali ſignificatione deſinentia, Græcè in ικὸν, Latinè in *ivum*, ut ſi dicas, ſicut ſupra audivimus Ariſtotelem dicentem, θρεπτικὸν vegetativum, αἰσθητικὸν *ſenſitivum*, διανοητικὸν *intellectivum*, quod ultimum verti etiam potuiſſet *cogitativum*: quandoquidem Græcum διάνοια, non ſpeciatim eam tantum mentis agitationem, cujus apud Latinos, & Philoſophos imprimis, proprium nomen eſt, *intellectus intelligere*, verum univerſim mentis agitationem omnem ſignificat, quam Latino nomine *cogitatio*, *cogitare*, intelligi, §. LXV. ex Varrone probavimus. Qua ratione, ſicut in omnibus aliis nominibus quæ à verbis derivantur adjectivis, ita in his quoque quæ definitionem animæ ingrediuntur, admittenda eſt Regula, quæ hactenus in humani ſermonis interpretatione vera ſine exceptione videtur, *Orta à verbis adjectivis nomina, eo fere modo quo ipſa verba, aliquid adjectivum ſignificant quaſi appoſitum relate ad ſuum qualecunque ſuppoſitum ſubſtantivum.* Verum monemus tantum id quod ex ante dictis manifeſtum eſt, quædam de hoc genere nomina, puta, *ſapiens*, *intelligens*, *vivens*, *ſentiens*, *cogitans*, ſimiliaque communiter nota, atque in communi Latino ſermone uſitata, nec non ea de quibus modo dictum fuit, minus uſitata, *vegetativum*, *ſenſitivum*, *intellectivum*, *cogitativum*, tam Grammatico quam Philoſophico ſenſu, ſic ſatis adjectiva intelligi, tacite conjuncta cum ſuo tandem qualicunque ſubſtantivo, ſi non nominato, ſaltem innominato. Alia vero magis ſimplicia, ut videtur, & ſæpe ab his abſtracta, ut ſi dicas, *intellectus*, *ſenſus*, *vita*, *cogitatio*, *intelligentia*, non quidem Grammatica attamen Philoſophica notione debent pro adjectivis haberi, quatenus ab origine functionem aut ſi mavis qualitatem ſignificant, ſive animi, ſive corporis, ſive compoſiti ex his,

quæ quaſi triplex in uno homine perſona eſt, ſubſtantivi ſuppoſiti, ad quod pertinere qualitas appoſiti intelligitur. Uſque adeo, ut vitalis functio ſive qualitas, quantum poteſt, ſupponatur quidem ſola in dictis & cogitatis; neque tamen ſola per ſe in extantibus ſubſiſtere, verum pertinere intelligitur ad id, quod tandem, ſi non mere, ſaltem vere ſubſtantivum ſubjectum ſive ſuppoſitum eſt, relate ad appoſitum, de quo loquimur, adjectivum, tam in ſui nominis ab origine, cum dico, *vita*, *ſenſus*, *cogitatio*, *intellectus*, quam in verbi ſignificatione, ſi dicas, *vivo*, *cogito*, *ſentio*, *intelligo*, partim confuſe omnem in homine conjunctim, partim diſtincte unam ex tribus perſonis, ſeparatim intelligens. Hæc demum adeo diverſa, unius nominis, Latini *Anima*, & Græci, quo Ariſtoteles utitur, ψυχὴ interpretatio, modo per nomina plura verbaque adjectiva, in una & altera definitione, modo iterum per nomen unum, quod plurium habet poteſtatem, tum ſubſtantivam, tum adjectivam, manifeſtum facit, id quod demonſtrare voluimus verum eſſe: Quod nempe ſignificatio in nomine *Anima*, quando de homine loquimur, non, ut multi putant, unitate nominis decepti, una & ſimplex, verum diverſa debeat intelligi & ſuo modo compoſita, partim de principio quaſi antecedente ſubſtantivo, partim de functione quaſi conſequente adjectiva. Atque ut jam omittam, in homine debere ante omnia ſubſtantive diverſum in extantibus vitale principium ſupponi, corporeum unum valde compoſitum, incorporeum alterum non ita compoſitum: hanc diſtinctionem ſupponens, dico *quaſi*, quia quando ita ſubſtantivum principium ab adjectiva functione diſtinguo, non de tempore in extantibus, verum de rei natura in cogitatis noſtris diſtinctis intelligenda eſt anteceſſio & conſecutio iſta. Uſque adeo,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

adeo, ut pariter in cogitatis haud ita diſtinctis, atque hac de cauſa ad vulgarem popularemque ſenſum magis accommodatis, alia poſſit anteceſſio & conſecutio conſiderari. Quandoquidem functio vitalis adjectiva, primo occurrit & afficit nos, ſicut communiter omne adjectivum, atque ideo communiter, vel non cogitamus de ſubſtantivo, quantum poteſt, permanente principio, vel tum demum incipimus cogitare, quando ex eo quod ipſi in nobis experimur & ex parte ſentimus, atque ſimiliter cogitamus debere in ſe ipſis alios homines experiri & ſentire, concludimus: Eo omni tempore quo vivunt homines, ſubſiſtentem debere cauſam internam, primumque ſuæ vitalis functionis principium ſubſtantivum eſſe, ſiſtens & implens cogitationem, non unum, vel omnino corporeum (qui error unus) vel omnino incorporeum (qui error alter eſt), verum duplex, toto genere diverſum, ut vitalis functio, partim ſeparabilis, partim inſeparabilis à corpore, partim in aut cum corpore compoſita, partim ſine corpore ſimplex eſt. Hæc demum ſimplicitas vera cauſa eſt, quod unum nomen ſignificans ab origine vitalem ſine corpore functionem aut ſi mavis facultatem, adjective, ***mens***, ***animus***, ***intellectus***, ***ratio***, quin ipſum nomen ***intelligentia***, ***cogitatio***, poſſit ſignificare ſubſtantiam intelligentem, cogitantem, prius de ſubſtantivo cogitando, ut eſt natura prius „quam de adjectivo, quod eſt natura poſterius: quæ diverſa conſideratio in cogitatis, hanc diverſam in dictis ſignificationem atque nominationem parit. Supereſt unum in his inſigne diſcrimen, quando ita, quantum poſſumus, cum diſtinctione loquimur, de principio vitali ſubſtantivo, relate ad vitalem functionem quaſi adjectivam; Quod nomina functionum, [uti ea non aliter Carteſius in ſecunda Meditatione, quam Ariſtoteles in Capite ſecundo

libri

libri ſecundi de Anima, quatuor numero recenſet, *nutriri*, *incedere*, *ſentire*, *cogitare*, quibus alia magis particularia comprehendi poſſunt] ſingula ſuo modo intelligantur ſecundum propriam & particularem notionem, quodque ea notio ſive nominatio propria & particularis, ſi non per omnia, tali ſaltem pacto vera ſit in extantibus de homine, animali, planta, accommodate ad cujuſque naturam, ut dici debeat primum aliquid corporis viventis eſſe vitalis functio, quæ corpore peragitur, puta *nutritio*, *motus*, *ſenſus*, & tum quoque aliquid animi ſive mentis, ſuam per ſe vitam viventis, quæ corpore ita non peragitur, puta *cogitatio*; De quo inſigni diſcrimine functionum in homine vitalium, & qualitatum, quæ vel ad animum vel ad corpus pertineant, non uno loco plura diximus, in nominibus paſſionum & cogitationum: Non autem pariter dici cum ratione poteſt, pertinere ad hominem vel aliud vivens, atque ſimiliter in extantibus eſſe aliquid hominis vel alterius viventis, quando in definitione Animæ, generalia iſta, ſive nomina, *principium*, *perfectio*, *actus* &c. ſive pronomina, *id*, *quo*, accedunt ad particularia nomina quæcunque. Ea enim acceſſio, quia adeo eſt generalis & abſtracta, ut debet eſſe, non poteſt vera in extantibus intelligi, ſed ſolum ſuo modo vera eſt & vera manet in cogitatis generalibus, quibus facere compendium ſermonis & comprehendere poſſumus, quando volumus, particularia, quæ novimus, toto genere diverſa, & quæ non poſſunt in ſeſe quicquam habere commune uno communi nomine comprehenſum diſtincte. Id quod putamus perſpicue demonſtratum eſſe §. CVIII. aliiſque in locis: quando oſtendebamus, generalia iſta omnino abſtracta ſuppoſita non ſignificare proprie acceſſionem ſive compoſitionem in ipſismet extantibus rebus extra noſtram de iis cogitatio-

tionem. Sicut ſpeciatim de nomine *Ens* probavimus, atque de pronominibus, *is*, *qui*, *aliquid*, quæ adeo generalia debent eſſe, ut pro nomine quocunque poſſint ſupponi, ut & de nomine *potentia*. Neque alia ratio aliorum nominum generalium eſt, quibus utitur Ariſtoteles in definitione Animæ, quæ concedimus, non primæ verum *ſecundæ notionis ſive intentionis* nomina eſſe, ſine quibus loqui non poſſumus in Logica & Metaphyſica, & ne quidem in communi vita cum iis qui harum artium imperiti ſunt. Sumuſque plus ſatis perſuaſi, his nominibus ſolis, quibus olim nimium tribuebant Ariſtotelici, *internam rerum veritatem* comprehenſam non fuiſſe nude & diſtincte, idque ab initio monuimus in Parte primâ generali §. XIV. obſervatum â Verulamio fuiſſe. Hinc vero non ſequitur, ut multi putant, & forte Verulamius putavit, hujus adeo neceſſariæ obſervationis veram cauſam non intelligens, quod inania hæc nomina ſint, ſive *voces inſignificantes*, uti ſupra audivimus Hobbeſium loquentem, atque ſuo hoc inſigni errore abutentem iſta Verulamii, & imprimis Carteſii obſervatione. Siquidem ſaltem in cogitatis inania non ſunt nomina, non ſic per omnia voces inſignificantes in communi ſermone, ad quem ſe Ariſtoteles accommodat, ut forte in philoſophia, eam quam quis deſiderat nudam & ſimplicem veritatem non ſignificant, ſpectatam in ipſiſmet rebus extantibus. Atque hanc ipſam in rebus extantibus veritatem quod attinet, hujus quoque in ipſa philoſophia reſpectu deſinunt ab omni parte eſſe inania, generalia & abſtracta de quibus loquimur, nomina, quando vel ſola per ſe tacitè & confuſè, ut communiter fit, vel, propter alterius nominis acceſſionem, aliquo modo expreſſe & diſtincte, intelliguntur cum applicatione ſive relatione ad particularia nota in extantibus, magis vel minus,

ut

ut cognitio noſtra magis vel minus promota eſt. Puta relate ad particularem & aliunde notum vitalem actum, qui, quando dico in definitione Animæ, *id quo nutrimur, ſentimus, intelligimus primo*, conjunctus cogitatur cum ſuo proprio vitali principio, ſive corporali fluxo atque per acceſſionem fluidæ cœleſtis materiæ activo, ſive incorporali permanente, atque agente ob hoc unum, quod ſit ὀσία ἐνέργεια *ſubſtantiâ actus*, ut loquitur Ariſtoteles, aut, ſi mavis, *actus & forma ſubſtantialis*, ut loquuntur Ariſtotelici; Vel etiam relate ad proprium aptumque, ut videtur, ſubjectum, quale non quodvis ſine diſcrimine, verum naturale, organicum atque humanæ mentis reſpectu, vivens, per ignem de cœlo accenſum corpus eſſe, atque hunc ignem ad viventis corporis ſubſtantiam pertinere, tam Philoſophico quam Grammatico intellectu, ex ante dictis manifeſtum eſt. Uſque adeo, ſicut ſupra etiam monuimus, ut corpus, quod in homine vivit vitam plantæ, ſua nutritione, quatenus ignis proprium eſt nutriri, atque etiam vitam animalis qualicunque ſuo corporeo ſenſu & motu, cujus cauſa pariter mobilis iſte ignis eſt; non tam ſit ſubjectum, quam inſtrumentum ὄργανον, & domicilium humanæ mentis, quæ ipſa & ſubjectum & vitale principium eſt, paſſionum atque cogitationum, quas ſentit in ſe & ſuo modo à ſe, id quod non intelligitur ullius eſſe corporis proprium, ſive hoc ſubtile, ſive craſſum, ſive cœleſte ſive terreſtre ſit. Hujus adeo diverſæ relativæ affectionis in uno homine, ſimile non inveniri exemplum aliud, atque tam animam quam corpus aliquid hominis eſſe in pertinentibus ad ſubſtantiam, diſtinctis, & tamen intime unitis, ſicut unum & alterum ante omnia fide credimus, & tum quoque, ut nos putamus, ratione non contemnenda intelligere poſſumus: Hoc ipſum eſt præcipuè, quod in hac adeo

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

prolixa de pertinentibus ad ſubſtantiam minus obviis dictione, confirmare, atque etiam cum conſuetudine humani ſermonis non pugnare, oſtendere conati fuimus.

CXXXIV. *In adjunctis internis & circumſtantibus externis ſuo modo vera eſt Regula de comprehenſione antecedentis in conſequente, quando comprehenſio de acceſſione adjectiva intelligitur, interna, vel externa.*

Non jam neceſſe eſt, ut ſimiliter latius deducamus ea quæ §. CXXX. ſummatim dicta fuerunt de relativa affectione in adjunctis internis & conjunctis ſive circumſtantibus externis. Quia tanta in his difficultas non eſt, quanta in pertinentibus ad ſubſtantiam internis minus obviis. Præterquam quod regula generalis de comprehenſione ſive connexione antecedentis cum conſequente in his quoque ſuo modo poſſit locum habere; Modo advertamus, non in his comprehenſionem ſubſtantivam intelligi incluſionis, qualis fuit cum dico, *anima*, *corpus*, *Socratis*, *æs*, *marmor ſtatuæ*, *extenſio corporis*, verum adjectivam acceſſionis, qualis eſt, cum dico, *ſapientia Socratis*, *ſtatua Minervæ*, *Phidiæ*, *idea*, *nomen* [lucidi quod in cœlo videmus] *corporis*. Quia notum ſuppono, primum olim in Socrate factam fuiſſe acceſſionem ſuæ quam conſecutus eſt ſapientiæ; quod ſic dici non poteſt de anima vel corpore, quorum ſubſtantia ſubſtantivè comprehenditur, hoc uno nomine Socrates ab origine, quatenus hoc nomen proprium hominis fuit, animo & corpore viventis. Deinde notum ſupponitur, non quidem in Minerva, in Phidia, verum ad Minervam, ad Phidiam, non tam in extantibus quàm in hominum cogitatis, olim factam acceſſionem fuiſſe ſtatuæ, quæ unius opus ſua arte factum, ſimul alterius facta imago eſt: uſque adeo ut duo nomina iſta, *opus*, *imago*, magis proprie relativam affectionem ſignificent diverſam in cogitatis, quam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

quam unum nomen *ſtatua*, cujus ſignificatio magis abſoluta de ſubſtantivo corpore in extantibus intelligitur. Tertio denique etiam poſſumus communiter confuſe notum ſupponere, non quidem in corpore puta ſole, verum ad corpus factam eſſe acceſſionem duplicem, unam *ideæ*, in noſtris ſaltem cogitatis, quæ acceſſio, relate ad mentem quidem interna, ſive in adjunctis, aut ſi mavis in pertinentibus ad ſubſtantiam, internis eſt, at relate ad corpus omnino externa, quia non intelligitur idea ullo modo poſſe pertinere ad corpus; acceſſio altera eſſe poteſt *nominis*, in dictis, quando loquimur de corpore puta ſole, quæ certe non alia quoque quam externa acceſſio eſt ſive in circumſtantibus externis. Quia non eo modo quo ſapientia eſt aliquid Socratis in Socrate, vel idea, vel nomen, aliquid corporis in corpore eſt, ſed ſolum referri ad corpus intelligitur in conjunctis ſive circumſtantibus extra corpus. Similiter cum dico *Villa Ciceronis*, villam extra Ciceronem ſuppono, ut neque pertinere ad Ciceronis ſubſtantiam, neque in illo, ſicut oratoria facultas, eſſe modus ſubſtantiæ ſive accidens intelligatur ſubjecto inhærens, quemadmodum loquuntur Philoſophi, ſed ſolum conſideretur ut adjunctum Ciceronis externum, tam in ſuis propriis quam in aliorum hominum cogitatis, quibus iſta connexio ſive habitudo relativa olim facta fuit. Hanc omnem connexionem, & quaſi comprehenſionem adjectivam externæ acceſſionis, non tam ab ipſiſmet rebus extantibus vel in iis, quam à cogitatis pendere, atque debere eſſe factam in cogitatis qualicunque conſenſione, quando intelligitur in dictis: imprimis ex eo manifeſtum fit, quod dictum in his primum, *ſapientia Socratis*, etiam alia conſideratione poſſit in pertinentibus ad ſubſtantiam ſupponi: ſiquidem nomen Socrates olim factum fuit nomen ſapientis proprium, non ſolum adjectiva,

ut fiebat ab initio, verum quoque ſubſtantiva notione, per incluſionem ſubſtantivamque comprehenſionem, ut ſupra loquebamur. Similiter, Virgilius Poetæ, Cicero Oratoris proprium poteſt nomen eſſe, in unum coacta notione appoſiti cum ſuppoſito, fere, ut in nomine globus, corporis rotundi arte facti notio atque ſignificatio in unum coacta ſubſtantivê intelligitur. In dictione ſecunda, *ſtatua Minervæ, Ludovici*, relativa affectio antecedentis ad unum vel alterum conſequens, poteſt conſuetudine ſermonis ſeponi in cogitatis, atque etiam, præterito nomine ſtatua, ſubſtitui nomen Minerva, Ludovicus, in dictis. Ac ſi, ſublata diſtinctione nominis, ſublata diſtinctio rerum ſit, & facta unitas ſive identitas, antecedentis cum ſuo conſequente, Minervæ vel Ludovici, cum ſua ſtatua, & non ſit amplius hæc ſtatua æs vel marmor, non res diverſa in circumſtantibus externis, relate ad Minervam, Ludovicum, non imago, non ſignum, verum res ipſa abſolute, cujus ab origine, ſicut cogitata, ita dicta tantum imago fuit, ſtatua iſta, rem à ſe diverſam repræſentans conſpectu ſuo. Qua ratione omnino propria in his & diſtincta atque vera loquutio comprehenſa erit nominibus tribus, ſi dixeris, *ſtatua, Minervæ vel Ludovici imago*, quod nomen *imago*, dici poteſt tacite hunc genitivum caſum regere; minus propria & minus diſtincta loquutio eſt, ſi dicas *ſtatua Minervæ*; ac tandem prorſus impropria, confuſa, & quæ vix ſine errore intelligitur, nomine uno *Minerva*, quatenus hoc nomen unum, quo adhuc magis facimus compendium ſermonis, res toto genere diverſas & pugnantes comprehendit, iſtaque comprehenſio, ut facta eſt confuſe in cogitatis, ſubſtituendo Rem pro Re, nomen Minerva pro nomine Statua, ac ſi unum ſint, non poteſt vera eſſe, neque in extantibus, neque in diſtinctis cogita-

tis

tis. Similis denique poteſt error committi & facta eſſe ſimilis non vera ſubſtitutio in nominibus dicti tertii, quando non advertimus, quam ſint intellectu Philoſophico accurate diſtinguenda tria iſta, *nomen*, *idea*, *res*, vel ordine contrario, *res*, *idea*, *nomen*, quamque horum diſtinctio facienda ſit in cogitatis, ut relativa affectio, quando accedit in circumſtantibus externis, pariter ſecundum veram de iis cogitationem intelligatur, cum dico, *idea*, *nomen*, *ſolis*, vel, hoc ipſum nomen *Sol* aut aliud quodcunque, ſeorſim pronuntio. Imprimis poſſum ſolem & aliud quodcunque corpus in extantibus extra noſtram de eo cogitationem atque dictionem ſupponere: quia noſtra cogitatio vel nominatio, non efficit, ut ſit ſol in extantibus id quod eſt, verum à ſole exiſtente ita afficitur humana cogitatio, ut intelligat, hujus Rei abſolutam atque ſeparatam, extra apparentia & cogitata ſuppoſitionem poſſe, quin debere veram eſſe, etiam tum quando nos non cogitamus de ſole. Deinde verô etiam poſſum ſolem ſupponere ſaltem in cogitatis, ſimiliter ſine ſuo nomine in dictis; quia nomen poteſt ignotum eſſe, quando de ſole in cogitatis certus ſum & hic ſol nobis notus eſt: Atque hic ipſe præciſe ſol in cogitatis ſpectatus, non affirmando quicquam de corpore ſolis in extantibus, hoc eſt, quod alio nomine *idea* nuncupatur. Ut idea & ſol in cogitatis unum ſint, eo fere modo quo *idea* [lineæ] *& linea* in cogitatis; atque etiam linea & longitudo unum ſunt apud Mathematicos, relativaque horum affectio omnino ſimplex intelligitur, unitatis ſive identitatis. Poſſum denique, quando volo, ſaltem in dictis ſupponere nomen Sol, ſeparatum pariter, & à ſole in extantibus, & â ſole in cogitatis, quando vel ignota hujus nominis ſignificatio eſt, ut ſit brutus ſine mente ſonus, vel non attendo ad ſignificationem.

Com-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

Communiter autem tria iſta, *idea*, *nomen*, *res*, non ſupponimus ſeparatim atque abſolute, verum una in particularibus vox puta *Sol*, iſta tria, quantum fieri poteſt, juncta ſive in unum coacta, comprehendit. Hæc demum comprehenſio, ut facta eſſe poteſt confuſe vel diſtincte; modo falſam & confuſam ſubſtitutionem, nominis pro Re, Rei in apparentibus aut cogitatis, pro Re ipſa in extantibus; modo veram & diſtinctam in circumſtantibus externis horum inter ſe relativam affectionem parit. Qua ratione prima notiſſimaque relativa affectio eſſe debet, verbi cauſa, in nomine Sol, quando ſignificatio ſaltem relate ad ideam, aut ſi mavis, relate ad ſolem in apparentibus & cogitatis intelligitur, cum dico *nomen ſolis*, eo ſenſu quo dicunt Mathematici, *nomen trianguli*, *circuli*, *globi &c.* ante omnia ſupponendo iſta ſaltem in cogitatis, ut jam de apparentibus non dicam, quorum ſive cogitatorum ſive apparentium in nobis reſpectu, tale nomen quodcunque in humano ſermone, adjunctum dici poteſt in circumſtantibus externum eſſe. Quanquam, cum dico *Sol*, *triangulum*, etiam nominis pro idea facta ſubſtitutio eſſe poſſit, de relativa affectione, quæ diverſitatem ſupponit, non cogitando. Altera relativa affectio, præterito nomine *Sol*, ſpectari poteſt in voce *idea*, *ſpecies*, *notio*, *conceptus*, relate ad ſolem qui ſupponitur in extantibus, cum dico expreſſe atque in particulari *idea ſolis*, ut dicere poſſum, *idea corporis*, intelligendo corpus extra nos quodcunque, cui hæc dictio applicari poteſt, confuſa quidem & tamen qualicunque vera notione, quia confuſio in cogitatis omnem de extantibus veritatem non evertit. Sicut, cum dico, *idea*, *trianguli*, *circuli*, *globi*, nomen *idea* relate ad rem in extantibus, quæ corpora ſunt, poteſt intelligi, abſtracta quidem, & tamen etiam vera notione, de qua abſtra-

abſtractorum veritate tam ſuo modo in extantibus quam in cogitatis, plura diximus §. CI.-CII. Et ſic tandem conſideranda venit tertia relativa affectio magis compoſita & communiter magis confuſa, quando nomen *Sol* interventu ideæ, ſive interventu ſolis qui ſupponitur in cogitatis tanquam in qualicunque imagine [quæ facile etiam per ſubſtitutionem cum ſuo corpore confunditur, uti de imagine Minervæ & Ludovici diximus] refertur ad ipſummet corpus ſolis in extantibus, qualicunque vera ordinis quarti & octavi, & tamen etiam falſa ordinis tertii & ſeptimi ſignificatione: quia primum paſſio ſive ſpecies in ſenſu, & tum quoque cogitatio ſive modus cogitandi in intellectu, multum nos fallit, dicunturque ita & cogitantur multa de ſubjecto, quæ non ſunt in ſubjecto. Ut ſit verum falſo & falſum vero mixtum in ſignificatione omnium nominum, quæ, ut nomen *Sol*, ſecundum ſpeciem in ſenſu & modum conſiderandi in intellectu, referuntur ad extantia extra nos quæ corpora ſunt: debetque hæc mixta & male compoſita ſignificatio etiam ſpectari in oblique compoſitis, ſi dicas, vel cum periphraſi, *nomen*, hujus quod video lucidi ac rotundi *corporis*, quod ſuo ortu apparente diem, occaſu noctem facit, quod corpus etiam ſine nomine, digito monſtrare poſſum; vel ſine periphraſi, ſi dicas, *nomen Solis*, conſequens in hoc dicto, de ſole in apparentibus, cogitatis & extantibus ſine diſtinctione, intelligendo. Cujus univerſi ita confuſe ſuppoſiti adjunctum in circumſtantibus externum, eſt nomen Sol, uſque adeo ut etiam ſolum per ſe, cum iſta triplici relativa affectione intelligatur, tacite & confuſe, in communi hominum ſermone.

CXXXV. *Summa eorum quæ reſtare videntur, & ſimiliter latius deduci poſſent: Breviſque totius operis concluſio.*

Hactenus præter expectationem propoſitumque proli-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

xior fui, ab articulo XCVII. huc uſque, in recenſendis ſuppoſitis, ſeparatis, conjunctis, ſubſtantivis, adjectivis, partim Philoſophico, partim Grammatico intellectu; quæ etiam oſtendimus, nonnulla ſimplicia, alia dici compoſita poſſe, tacitè quidem in nomine uno, expreſſe in diverſis, primum in recto, deinde in obliquo. Et hæc omnia communiter ſine verbo affirmata ſupponi, cum ſuis, vel ſingula ſeorſim, vel plura conjunctim, nominibus, puto plus ſatis probatum fuiſſe. Ut vero deſinam porro eſſe moleſtus intelligenti, cui pauciora ſufficere potuiſſent, ea quæ reſtare videntur præcipua capita paucis comprehendam; quia non videtur occurrere poſſe quicquam, quod ex ante dictis intelligi non poſſit. Imprimis ex ea omni confuſione & multiplici incertitudine, quam deteximus, tum in nominibus paſſionum, ſecundi, tertii, quarti ordinis, tum in cogitationum nominibus, quæ in ordine ſexto, ſeptimo, octavo numeramus, ut jam de compoſitis non dicam, in unum coacta diverſi ordinis ſignificatione, perſpicue ſequitur: Non poſſe hunc noſtrum ſermonem, hactenus nominibus comprehenſum, ſive ſeparatis ſive conjunctis, ſine Verbo conſiſtere primo ſimpliciſſimoque quod Grammatici vocant ſubſtantivum; quia Rem in dictis & cogitatis quaſi ſubſiſtere facit affirmando expreſſe quod ſit, & hæc ſolum verbi, quatenus diverſum à nomine intelligitur, propria ſignificatio & ipſa verbi quaſi ſubſtantia eſt. Qua ratione, ante omnia aliquando neceſſe eſt, verbo uti ſubſtantivo, in communi ſermone & diſciplinis ad communem vitæ uſum accommodatis, quando ſcilicet aliorum nos volumus aut ratione officii debemus, ignorantiæ, dubitationi, errori vel etiam contradictioni opponere, ſive ſimplicia aut quaſi ſimplicia hæc ſint, ſi dicas, *Deus eſt*, *antipodes ſunt*, ſive compoſita, *Deus eſt juſtus*, *Alexander fuit magnus*, *homines*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

nes aliqui in Terris ſunt antipodes, aliquorum in his hominum ignorantiam, dubitationem, errorem, aut contradictionem ſupponendo. His autem non ſuppoſitis propter notam conſenſionem, inutilis poteſt verbo expreſſa affirmatio cenſeri, inutilis anxia & ſolicita veræ affirmationis atque indubitatæ inveſtigatio, quatenus hæc ipſa, poteſt cauſa dubitationis eſſe. Atque de hac, ſive ſuppoſitione tacita cum nomine, ſive expreſſa, quæ verbo fit, affirmatione, aut curioſa inveſtigatione [quæ, ſi non expreſſe, ſaltem tacite, ſuppoſitionem in dubium revocat] §. XCVII. plura diximus, poſtquam affirmantem intellectum verbi expreſſum, ab affirmante nominis intellectu tacito, diſtinximus uno & altero articulo præcedente, rationibus ſaltem ad communem ſenſum accommodatis. Hæ nos rationes debent communes docere, quod non alia quam communi opus ſit prudentia, ad diſcernendum, quando, vel tacita cum nomine uno aut diverſis, ſuppoſitio debeat ſatis eſſe, vel verbo expreſſa affirmatio requiratur. Et quidem in communi hominum ſermone extra diſciplinas hoc ſermone comprehenſas, ratio habenda eſt perſonarum, ſive eorum hominum, cum quibus aut inter quos, verba facimus; atque etiam in multis [quod diſcernere prudentis eſt] ratio habenda civitatis ſive ſocietatis: quia, quando illius in qua vivimus civitatis, integrum & ſyncerum volumus membrum eſſe, cavendum, ne quid iſta civitas, ex non-conſentiente cum ſuppoſitis ſermone, detrimenti capiat. At vero, extra communem ſermonem, in diſciplinis, verbi cauſa, tradendis ſive docendis, ſicut in ſcholis ſive academiis facimus, publica autoritate quæ cuivis conceſſa non eſt, cavendum præterea ſpeciatim, ne quid Res ſive inſtitutio Scholaſtica detrimenti capiat, ex non conſentiente cum ſuppoſitis ſermone. Ut certe non conſentiet ſermo cum ſuppo-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

ſitis, quando ea quæ in docendo tutius creduntur vel ſupponuntur, quam, an talia ſint, ratione inveſtigantur; quod vera ſint, putamus expreſſe affirmandum eſſe, atque etiam an ſint vera examinandum, quatenus expreſſa affirmatio communitur ſupponit vel exigit antecedens examen conjunctum cum qualicunque dubitatione; quod ſic dici non poteſt de affirmatione tacita in ſuppoſitis, quam, in nominis ſignificatione, communiter anticipatio parit. De hac anticipatione obiter dictum fuit in parte prima generali §. VII. aliiſque in locis, ubi conſiderationem humani ſermonis communem à conſideratione Philoſophica diſtinximus, oſtendimuſque paucis, §. XI. in communi hominum ſermone, non tam rerum quam verborum, non tam antecedentem, ſicut in Philoſophia, à dictis ſeparatum, quam anticipatione conjunctum cum dictis intellectum eſſe, nominum præcipuè ſignificationem quod attinet, imprimis ſimplicium, & ſæpe etiam in recto vel obliquo compoſitorum, quorum exempla appoſita peti ex ſupra propoſitis poſſunt. Hæc una & prima neceſſitas eſt Verbi, in communi ſermone, unius ſubſtantivi, quo expreſſe affirmamus ſive agnoſcimus [quod eſt, promota magis cogitatione, plus quam ſimpliciter cognoſcere] quod ſint ſive exiſtant, ea quæ, vel uno nomine, vel pluribus ſignificantur. Sequitur tandem quoque *neceſſitas Verbi adjectivi*, cujus obiter mentionem facimus §. LXXXII. Hoc verbum, non ita unum & ſimplex, verum multiplex & valde diverſum inveniri in omni Lingua, credibile eſt propter infinitam diverſitatem adjectivorum, quorum in hoc verbo ad ſignificationem verbalem ſubſtantivam, acceſſio facta nominalis intelligitur, qua facimus compendium ſermonis. Uſque adeò, ut non ſint hæc merè verba, neque mere nomina, ut putant eſſe hæc nomina tantum, illi qui propriam verbi ſignificatio-

nem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

nem vellent ſi poſſent ab humano ſermone removere, ſed ex parte nomina ex parte verba, propter compoſitam, & quantum poteſt in unum coactam nominis & verbi ſignificationem, ſine quo compendio ſermonis ſatis commode videmur loqui non poſſe. Qua de cauſa poteſt id quod ſignificatur tali verbo, puta *amo*, *vivo*, *cogito*, *caleo*, reſolvi in duo magis ſimplicia, unum, quod ſeorſim ſignificat nomen adjectivum, *amans*, *vivens* &c. diverſum in ſingulis verbis, uti eſt ſignificatio diverſa; alterum quod etiam ſeorſim poteſt ſignificare Verbum ſubſtantivum, cujus una & ſimplex verbalis notio ſive ſignificatio, adjectivorum verborum omnium communis, & quaſi una & communis illorum ſubſtantia eſt propriam ſimpliciſſimamque verbi formam comprehendens. Quandoquidem, non quidem hoc ipſum verbum ſubſtantivum, vocem ſi ſpectes, *Sum*, *Es*, *Eſt*, ſed ſolum ſignificatio affirmans verbalis, tali pacto juncta eſt conſuetudine ſermonis cum ſignificatione nominali adjectiva, ut, quantum fieri poteſt, ſine diſtinctione intelligatur ſignificatio quæ vere ex his compoſita eſt. Et tamen accurate diſtinguenda eſt & facile diſtinguitur, atque etiam ſeparatur in dictis & cogitatis, una & altera ſignificatio in verbis adjectivis; quando advertimus, quæ ſit atque eſſe debeat in humano ſermone prima & propria, vel nominis, vel verbi ſignificatio [antequam poſſit in una voce conjuncta intelligi] ſeorſim conſideranda, primum quidem in ſubſtantivis, & tum quoque in adjectivis, quatenus, tam in verbo quam in nomine, ſubſtantivum naturâ & cognitione prius eſt, pariter Grammatico & Philoſophico intellectu. Qua de cauſa, ſicut in rebus ipſis multitudo atque diverſitas ſive diſtinctio, communiter ab adjectivis eſt, ita etiam in verbis, quæ adjectiva vocamus, non tam una & communis ſubſtantia verbalis, quam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

adjectiva acceſſio nominalis, cauſa diſtinctionis eſt. Idcirco etiam putamus tolerandam eſſe diſtinctionem communem horum verborum in duo maxime obvia ſumma genera, quatenus genus unum natura prius actionem ſive agere, alterum natura poſterius paſſionem ſive pati ſignificat. Quæ interpretatio non ſic eſt accipienda, ac ſi verbum ullum in his, activum actionem, paſſivum paſſionem ſignificaret ut Rem aut Qualitatem rei, in ſtatu non in motu, ſicut priorem de ſtatu ſignificationem in nominibus ſeparatis eſſe, ſive ſubſtantivis, ***amor***, ***uſtio***, ***eruditio***, ſive adjectivis, ***amans***, ***uſtus***, ***eruditus***, poſteriorem de motu, in verbis, comparanti hæc nomina cum ſuis verbis cognatis manifeſtum fit. Non inquam ita in ſtatu horum verborum qualiscunque nominalis ſignificatio intelligitur, verum in motu, fluxa, fugitiva, evanida, relate ad ***tempus*** fugitivum, præſens, præteritum, futurum, quod omne verbum ad-ſignificat; atque etiam relate ad ***ſubjectum agens***, à quo procedit, aut ***patiens***, ad quod in cogitatis tendit, ***actus amandi in verbo amo***, vel in quo, etiam in extantibus, intelligitur terminari, ***actus urendi***, ***erudiendi***, ***in verbis***, ***uro***, ***erudio***, verbi cauſa. Hujus vero ſive agentis ſive patientis ***ſubjecti*** aut ſi mavis ***ſuppoſiti***, [quia unum & alterum videtur proprium nominis eſſe] etiam alia extat propria in verbis appellatio, ***perſona***, tranſlata ſignificatione ad alias res agentes patientes, ab homine intelligente, ſentiente, inter agendum & patiendum, cujus hominis iſta omnia, ut infinita alia in verborum ſignificatione, ab origine propria fuerunt. Toleranda tamen etiam eſt obſervatio altera Grammaticorum, quando illi non ſine ratione ab activis paſſiviſque dictis κατ' ἐξοχὴν, diſtinguunt verba quæ Neutra & quoque Abſoluta appellant. Quia, ſi qua in his intelligi ſignificatio poteſt activa aut paſſiva, ea imprimis, quaſi ſubſtantivè

magis

magis ſiſtit & implet cogitationem atque etiam ſermonem, quando tale verbum ſolum per ſe cum nomine ſententiam abſolvit; & tum quoque non tam paſſionem fluxam & fugitivam, actionemve ſimilem tendentem in aliud extra ſe [quod ut multiplex & diverſum eſſe poteſt, ita non uno modo in iis ſuſpenſa cogitatio hæret] quam ſtatum ſignificant, hæc verba, & quaſi in ſe ſubſiſtentem ſive immanentem actionem, aut, ſi mavis, actum verè aut quaſi ſubſtantialem, ut ſupra audivimus, non ſine gravi cauſa, de vitali actu olim loquutos fuiſſe Ariſtotelicos. In hoc ſuo ſtatu intelligitur perſona vel res conſtituta, ſive ſemper & *omnino indifinite* tempora non diſtinguendo, ſive abſtrahendo à tempore, ſi dicas quaſi active, *Deus vivit, intelligit*, quanquam vita & intellectus in Deo, quæ verba iſta quaſi adjective ſignificant, proprie dicta actio non ſit, quam cum verbis communiter activis ſupponimus; atque etiam quaſi paſſivè, *corpus extenditur*, *extenſum eſt*, *cœlum movetur*, quanquam in his non ſit vel non conſideretur actio: ſive non ita omnino & tamen *aliquo modo indefinite*, ſi dicas de homine puta Alexandro, *vivit, moritur*, *ſtat*, *ſedet*, *ambulat*, *luget*, *calet*, *friget*, *regnat*, *triumphat*, *dormit*, *ægrotat*, de igne, *ardet*, de ſole, *lucet*. Quæ certe omnia ſingula ſuo modo indefinite, & quidem cum latitudine indefinitâ, ſuorum ſuppoſitorum, quibus expreſſe applicantur, non tam motum fluxamque actionem tranſitivam, vel paſſionem fluxam evanidam, quam ſtatum, fere inſtar nominum, ſignificant. Hoc unum namque inter verbum & nomen intereſt, quod, quando dico, *vivo*, *ego vivo* [quod apud Latinos idem eſt] *tu vivis*, *Alexander vivit*, *Socrates ſapit*, affirmatio expreſſa ſit propria verbi terminatione, atque nominalis in verbo ſignificatio cum applicatione ad ſubjectum in particularibus intelliga-

ligatur, aliquanto diſtinctius, quam ſi ex adverſo dixeris ſine verbo, *vita, vivens, ſapientia, ſapiens*, ubi adjectivum verbi nominale, quantum poteſt ſeorſim his ſuis nominibus ſeparatis comprehenſum, eo ſaltem modo quo communiter in aliis nominibus, ſupponitur tacite & confuſe, quia expreſſè non intelligitur facta ad ſubjectum applicatio, quæ qualemcunque diſtinctionem parit, quando verbum cum nomine junctum ſententiam abſolvit. Ad hanc in dictis & cogitatis confuſionem [nominis præcipue ſignificationem quod attinet] ſuperandam, quantum naturæ noſtræ fert infirmitas, judicavimus neceſſarium eſſe, in humano ſermone, octo, ſive potius bis quatuor Ordines conſtituere, primam ſimpliciſſimamque ſignificationem comprehendentes; quatuor in paſſionibus ſecundum ſpeciem in ſenſu, & quatuor pariter in cogitationibus ſecundum qualemcunque ideam in intellectu. Quatenus voces quædam ſimpliciſſimæ, ſaltem ſunt paſſionum notæ, non tam quibus loquimur, quod propriè nomine & verbo facimus, quam inter loquendum. Et hic ordo utrobique primus fuit, aut ſi mavis, primus & quintus: in quo difficultas non eſt. Aliæ voces tanquam nomina ſolam per ſe paſſionem ab interna cauſa quaſi in corpore, aut omnino internam in animo cogitationem ſignificant, relatè ad nos: qui ordo fuit ſecundus in paſſionibus, propter unionem & quaſi permiſtionem mentis cum corpore, communiter valde confuſus nec ſine errore quem iſta confuſio parit; atque ab altera parte etiam ſecundus in cogitationibus, ſimilis ferè ordo fuit, magis vel minus confuſus, ut mens, unita cum corpore, magis vel minus utitur libertate, quæ omnino abeſſe non poteſt. Aliæ porro voces paſſionem quaſi ab externa cauſa, relate ad rem in extantibus extra nos aliquanto adhuc magis cum errore ſignificabant, qui ordo pri-

primum tertius fuit in paſſionibus ſive apparentibus; & oſtendimus quoque, ſimiliter fere quaſi ab externa cauſa, relate ſive tranſlate ad rem in extantibus, multa poſſe nomina cogitationum intelligi, ipſumque verbum quo affirmamus, pariter cum errore; qui ordo etiam tertius erat in cogitatione ſive in cogitatis, ut loquebamur, de quo, propter difficultatem & confuſionem ſubtilitatemque, non tam in communi, quam Philoſophico ſermone, multo maximam, plura diximus. Et ſic tandem ſubſtitimus in iis nominibus, quæ vel ſecundum paſſionem, vel ſecundum cogitationem, ſive in apparentibus aut cogitatis, rem poſſunt quoque in extantibus notare, in aliquibus ſatis diſtincta, atque per omnia, ut videtur, vera, in pluribus confuſa & ſaltem ex parte vera ſignificatione: qui ordo, ſicut primum in paſſionum, ita poſtea in cogitationum nominibus, quartus fuit, atque ultimus eſt. Hanc præcipuè in extantibus veritatem ita cum diſtnictione conſiderare, & quod ipſa quoque apparentia & cogitata, res ſuo modo exiſtentes ſint in humana mente, intelligere ut oportet diſtincte, proprium eſt primæ perfectiſſimæque, quam Plato in viroPrincipe requirit, ſcientiæ, nomine Dialectica, cujus aliud noſtris temporibus magis notum eſt nomen, Metaphyſica atque etiam Prima Philoſophia, de qua, in parte prima generali, ſummatim diximus, quando de diverſa humani ſermonis conſideratione loquebamur. In communi hominum ſermone artibuſque & ſcientiis, ut communiter ad humanitatem uſumque humanæ vitæ nos informant, pariter non alium quam per omnia clarum & diſtinctum rerum & verborum velle intellectum admittere, ac ſi una methodus, una, ut putant hoc tempore plurimi, veritas ſit, ſimiliter in omnibus diſtinguenda, ut, per omnia intellectus humanus quaſi divinus ſit: Hoc in-

quam eſt, omnia confundere, ipſaſque illas, quas hac ſolum via poſſe ac debere perſici putant, ſcientias, ſi non evertere, ſaltem convellere in ſuis propriis, quibus ſuperjunctæ eſſe debent fundamentis; ac tandem, hac via ſalebroſa atque impenetrabili, ut cœptum eſt adeo infeliciter hoc ſeculo, longius progrediendo, efficere, næ intelligendo, ut nihil intelligatur eo modo quo oportet in diſciplinis ad uſum vitæ ſpectantibus intelligere, mentibus ſenſibuſque hominum accommodate; de quo in Parte prima generali plura diximus quoque ſummatim.

FINIS.

Addenda, ſive Notæ ad

PARTEM PRIMAM

GENERALEM.

Ad §. IX. linea 5 & 6. *à Mathematica diverſæ* &c.

Ita Ptolomæus Mathematicam proſequutus dixit *ſe intactam Theologiam* [ſive Metaphyſicam quæ una apud Veteres ſcientia erat] *Phyſicamque relinquere, hanc ob materiæ conditionem inſtabilem, illam ob rerum divinarum incomprehenſibilem naturam.* Sequutus hac in parte Ptolomæus Ariſtotelem fuit, qui in Schola Platonis, feliciter ſatis meliora doctus, primum, quantum ſcimus, aperte docuit, accommodate ad humanos uſus, diſciplinas diſtinguere, atque ante omnia Mathematicam ab ea quam tractabat Philoſophia ſeparare, propter eam, quæ Mathematicorum propria eſt, abſtractionem, ortamque inde in artibus Mathematicis ſubtilitatem, accurationem & ſingula-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

gularem certitudinem, quæ non poſſit in ulla alia arte inveniri. Qua de cauſa Libro 11. Metaph. cap. 3. inquit, τὸ ἀκριβὲς, τὴν ἀκριβολογίαν τὴν μαθηματικὴν, *certitudinem atque præciſitatem Mathematicam non oportet in omnibus quærere, ſed in iis quæ non habent materiam: Quamobrem non eſt naturalis hic modus tractandi*, φυσικὸς ὁ τρόπος τῆς διδασκαλίας. Hoc enim toto capite nihil aliud tractat, quam qua ratione poſſit atque debeat diverſus modus diſcendi atque docendi eſſe, qui inſcriptus huic Capiti titulus eſt. Ut eos aperte perſtringat, *qui niſi Mathematice loquentem non admittunt*, atque parem in docendo certitudinem & evidentiam poſtulant cum Mathematicis, quorum tamen hoc proprium in arte ſua tantum poſtulatum, atque talis μικρολογία ut vocat, propria eſt. Similiter Libro 11. Phyſ. Capite 2. Mathematicam ſpeciatim à Phyſica diſtinguit, propter abſtractionem ab omni ſenſibili materia quæ propria Mathematicæ ſit. Denique in Ethicis, verbis magis generalibus declarat hanc mentem ſuam. *Eſt hominis probe inſtituti tantam in unequoque genere ſubtilitatem* τὸ ἀκριβὲς *deſiderare, quantam rei ipſius natura admittit. Nihil enim refert, utrum Mathematicum rationibus ad perſuadendum accommodatis feras utentem, an ab Oratore demonſtrationes poſtules.* Qui caput ſeptimum, quod breve eſt, dignabitur inſpicere, plura illic inveniet valde appoſita, atque, ut nobis videtur, ſine ratione neglecta aut contempta, ab iis, qui vellent, hoc tempore potiſſimum, quo hic error factus adeo communis eſt, Unam tantum eſſe diſciplinam, unam cohærentem ſcientiam, unum modum ſciendi, ſive cognoſcendi methodum unam, quæ nos doceat primum incipere ab univerſali dubitatione novoque examine, & tum quoque deſinat in unam & communem de omni rerum genere claram ac diſtinctam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

perceptionem, ex intuitu idearum, ut putant, qualis ſpeciatim clara & diſtincta perceptio rerum Mathematicarum eſt. Quod ſi ita ſit, pariter inter omnes homines, atque in omni parte, novæ, quam fingunt, univerſalis ſcientiæ, inque omni diſciplina [quam nos, ut factum tot jam ſeculis fuit, ſupponimus ſeparatam], unus modus interpretandi, unus ſive ſimilis ſermo erit, Philoſophico intellectu veram, atque omnino certam & evidentem rei cujuſque intelligentiam comprehendens, Quo poſito non erit in docendo, atque in diſciplinis tractandis, admittenda ea *certitudo*, quam Scholaſtici *adhæſivam* vocant, ut eſt poſita in firmitate perſuaſionis, quam Philoſophi olim prudenter diſtinguebant à *certitudine formali*, quæ ſola eſt poſita in evidentiâ perceptionis, qualem ſaltem in Mathematicis experimur, quæ quiſque intelligit apud ſe, atque in valde paucis aliis ſimiliter ſimplicibus.

Pag. 9. Linea 19. Philoſophi de quibus jam &c.

Quando ita dicimus, In omni alio vitæ genere atque in omni alio ſtudio, nos aliud agere & intendere ſive reſpicere aliud, quam Philoſophi in Scholarum de qua loquimur Philoſophia; ad Hiſtoriam reſpicimus quam Cicero de Pythagora refert Libro V. Tuſc. quæſtionum. Pythagoras, poſtquam, interroganti, *qua maxime arte conſideret*, reſponderat, *artem quidem ſe ſcire nullam, ſed eſſe Philoſophum*, & rogatus porro ab altero, *novitatem nominis admirante, quinam eſſent Philoſophi, & quid inter eos & reliquos intereſſet*, reſpondit, *Similem ſibi videri vitam hominum & mercatum eum qui haberetur maximo Ludorum apparatu totius Græciæ celebritate. Nam ut illic alii corporibus exercitatis gloriam & nobilitatem coronæ peterent, alii emendi aut vendendi quæſtu & lucro ducerentur; eſſet autem*

quod-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

quoddam genus eorum idque vel maxime ingenuum, qui nec plauſum nec lucrum quærerent, ſed videndi cauſa venirent, perſpicerentque ſtudioſe, quid ageretur & quo modo: Item nos quaſi mercatus quadam celebritate, ex urbe aliqua ſic in hanc vitam ex alia vita & natura profectos, alios gloriæ ſervire, alios pecuniæ, raros eſſe quosdam, qui cæteris omnibus pro nihilo habitis, rerum naturam ſtudioſe intuerentur; hos ſe appellare ſapientiæ ſtudioſos, id eſt enim Philoſophos. Et ut illic liberaliſſimum eſſet, ſpectare nihil ſibi acquirentem, ſic in vita longe omnibus ſtudiis contemplationem rerumque cognitionem præſtare. Ad hanc adeo conſideratu dignam hiſce temporibus hiſtoriam, quæ nobis adeo apertè Artes liberales ab illiberalibus, Philoſophum ab omni alio hominum genere diſtinguit; Renatus des Cartes, quaſi alter Pythagoras, in *Diſſertatione de Methodo recte utendi ratione, & veritatem inveſtigandi in ſcientiis*, iis præcipue quæ Philoſophum faciunt, alludit; his verbis, *Vixdum hyems erat exacta, cum me rurſus ad peregrinandum accinxi, nec per inſequentes novem annos aliud egi, quam ut hac illac orbem terrarum perambulando ſpectatorem potius quam actorem comœdiarum, quæ in eo quotidie exhibentur, me preberem.* Paulo poſt autem, ut oſtendat, ſe hoc pacto ſpectatorem agendo, ſive [ut loquutus antea fuerat] in *vaſto mundi volumine ſtudendo*, ad ſublimiorem magiſque perfectam, quam quærebat, ſcientiam *ſtudendo in ſe ipſo*, quæ proprie Philoſophum facit, non perveniſſe, verum hactenus attendendo ſaltem ad ea quæ inter peregrinandum occurrerent, cognitionem ſe communem vulgarem &imperfectam,ut alibi vocat,non nihil emendaſſe,in aliquibus falſitatem in aliis incertitudinem detegendo, atque interea aliquantulum profeciſſe quoque, varia experimenta colligendo, nec non in quæſtionibus Mathema-

ticis reſolvendis ſeſe exercendo: Ita pergit §. 7. Sectionis tertiæ, *Verum tamen iſti novem anni effluxerant, antequam de ulla ex iis quæſtionibus quæ apud eruditos in controverſiam adduci ſolent, determinate judicare atque aliqua in Philoſophia principia vulgaribus certiora quærere auſus fuiſſem. Tantam enim in hoc* [in his principiis certioribus inveniendis] *difficultatem eſſe docebant exempla permultorum ſummi ingenii virorum, qui ſine ſucceſſu idem ſuſcepiſſe videbantur.* Ex quibus certe manifeſtum fit, notionem Philoſophi quam Cicero in Hiſtoria Pythagoræ ſupponit, fuiſſe generalem & valde confuſam, & talem quoque fuiſſe Philoſophi notionem in cogitatis eorum, qui Carteſium exiſtimabant *perfeciſſe id quod nondum aggredi auſus fuerat*, ac ſi iſto tempore Philoſophus fuiſſet ſtrictâ & diſtinctâ ſignificatione, qualis deſiderabat eſſe, inventis primum principiis quæ vulgaribus certiora eſſent; cum hactenus ſaltem lata & confuſâ ſignificatione, quam Hiſtoria ad quam alludit, Pythagoræ ſupponit, Philoſophus fuiſſet, veritatem, ex ſuis veris & primis principiis ſive cauſis, non cognoſcens.

Pag. 9. linea 20. hactenus ſaltem &c.

Dico hactenus, ut ſignificem Ariſtotelicam, quam reſpicio, Philoſophiam, quantum poterat ad communem ſe ſenſum accommodaſſe, nec tamen idcirco debere negari, qualemcunque in hominem cadere poſſe cognitionem, ſupra communem ſenſum, cujus vera interpretatio in multis debeat longe alia eſſe. Hujus proprium nomen apud veteres *ſapientia* fuit, cujus ſaltem ſtudium & amorem [adeo difficilis viſa ipſis eſt] hinc orti Philoſophi profitebantur, de quorum numero Pythagoras erat. *Eam circa primas cauſas & principia omnes arbitrantur verſari*, inquit

quit Ariſtoteles in limine ſuæ Metaphyſicæ. Adeo nota hæc res antiquis fuit, quæ hoc tempore videtur ignota eſſe iis, qui ſine diſtinctione omnem cognitionem omneſque artes, quod mireris, ipſas quoque illiberales, uno nomine Philoſophia comprehendunt, tanto univerſæ antiquitatis contemptu. Et hic ipſè Ariſtoteles libro VI. Ethicorum, cap. 6. ubi de altiſſima ſapientia tractat, ſine qua nemo vere Philoſophus eſſe poteſt, his eam verbis notatu valde dignis in perſona Veterum deſcribit: *Quocirca Anaxagoram, Thaletem, cœteroſque tales viros ſapientes* σοφὺς *quidem eſſe dicunt, prudentes vero nequaquam, cum videant eos, quæ ſibi utilia ſint, ignorare, atque eos fateantur, eximia quidem atque admirabilia & difficilia & divina tenere, ſed inutilia, quia humana bona non quærunt.* Quantum hæc adeo modeſta & ſyncera Philoſophi deſcriptio diſtat à communi horum temporum opinione, quod vera Philoſophia [quæ nihil aliud quam cognitio veritatis per primas cauſas eſt] haud ita debeat ab uſu vitæ ſive utili remota eſſe, verum huic rei imprimis intenta atque accommodata; ut vel hac de cauſa, artes poſſint quin debeant cæteræ omnes ad hujus Philoſophiæ normam compoſitæ eſſe. Ariſtoteles vero iſtam Veterum ſapientiam ſublimiorem, non quidem negavit, vel omnino ignoravit, ſed ſolum incruſtavit multiplici logica & populari dictione, atque non tam Philoſophica quam Hiſtorica cognitione, judicans, ut videtur, non ſine gravi cauſa, altiſſimam per primas cauſas ſapientiam, iſtis nomine & re Philoſophis relinquendam, atque homines cœteros communiter contentos eſſe debere, cognitione, quæ ad primas cauſas primaque principia tam alte non adſcendens, ſaltem ad vulgarem popularemque captum accommodata & communi ſermone comprehenſa intelligitur: Id quod ſic dici non poteſt de vera ſapientia,

quâ

quâ non tam primum ad humanitatem puerilis, quam ad divinitatem maturior ætas informatur, tam Ariſtotelis quam Platonis opinione. Hæc opinio, uti non pugnat cum Religione Chriſtiana, ſed cum ea optime conſentit, ita diverſa ad opinione Carteſii non eſt verà, modo ea non abutamur, ut eſſe ſolet rerum optimarum abuſus peſſimus. De cognitione vulgari & Philoſophica ſpeciatim in Naturæ contemplatione, atque de ſapientia Veterum univerſim, videſis unam & alteram diſſertationem, ut & Caput de Ariſtotele & Ariſtotelicis, in Appendice: ſiquidem, ut in plurimis aliis, ita in his ſpeciatim olim ſcriptis, hæc quoque omnia de Natura humani ſermonis Cogitata habent fundamentum ſuum.

Ad §. x. pag. 10. Linea 18. melius & felicius &c.

Similiter Carteſius diſſertatione de Meth. Sect. 1. §. 15. obſervat, *Multo plus veritatis contineri in iis ratiocinationibus quibus ſinguli homines* [in particularibus, ſicut Philoſophi in generalibus verſantur] *ad ſua negotia utuntur, & quorum malo ſucceſſu paulo poſt puniri ſolent, quando non recte judicarunt, quam in iis quas doctor aliquis otioſus in Muſæo ſedens excogitavit circa entia rationis quæ ad uſum vitæ nihil juvant, & ex quibus aliud nihil expectat, niſi quod tanto plus inanis gloriæ ſit habiturus, quo illæ à veritate & ſenſu communi erunt remotiores.* Quibus verbis ſic ſatis acriter videtur Scholarum Philoſophiam perſtringere, cæteraque Scholarum ſtudia, quatenus à communi recedunt ſenſu, qui verus eſt, & quem diſtinguere debemus à ſubtiliore intellectu, qui vel non-verus, vel minus utilis eſt. Nam poteſt quidem eſſe verus ſubtilior Philoſophorum intellectus, at communiter non adeo utilis, quam communis aliorum hominum intellectus, in artibus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

tibus exercendis tradendiſque ſive docendis & diſcendis deprehenditur. Id quod nos tam de Cartefii, quam de quacunque alia Philoſophiâ, etiam quâ parte vera eſt, putamus admittendum eſſe, atque adverſus errorem notandum ſeculi hujus, quod paſſim nimium in omni arte tribuit, nimium confidit Philoſophiæ, ſpeciatim illi quam Carteſianam vocant.

Ad §. XI. pag. 11. lin. 10. antecedente ipſarum rerum &c.

Ipſarum rerum, qui nomina antecedit, intellectus, nullibi magis obvius & minus difficilis eſt, quam in rebus Mathematicis: quatenus eas ab antecedente diſtincto intellectu ſua propria nomina accipere, communiter notum eſt, atque de eo obiter idcirco diximus §. VII. Monuimus vero etiam §. IX. quod in Scholarum Philoſophia, quam Ariſtoteles, non ſine gravi cauſa, ſicut plures alias ſive artes ſive ſcientias, à Mathematica ſeparavit, ſimilis in nominum ſignificatione intellectus diſtinctus antecedens locum non habeat. Attamen Renatus des Cartes Philoſophus, aliquanto magis Platonem quam Ariſtotelem ſequutus, Mathematicorum illud exemplum conatus eſt imitari, quantum poterat atque ipſa natura rerum permittit, primum in Metaphyſica primaque Philoſophiæ parte, ſimplicia & maxime generalia quod attinet; & tum quoque in parte Philoſophiæ altera quam Phyſicam vocant; quatenus hîc etiam quædam ſuo modo ſimplicia, priora & magis generalia occurrunt. Hoc ſolum notandum in his diſcrimen venit inſigne, quod non ſic poſſit nominum, quibus utimur in Philoſophia, ſignificatio, ſine contradictione definiri ſive determinari, uti eam accommodate ad artem ſuam ſatis præciſe, atque communiter ſine contradictione, Mathematici definiunt. Qua de cauſa Carteſius,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

non quidem per omnia [quod intelligebat naturam rerum non permittere] verum ex parte, qualicunque ſuo antecedente intellectu determinare conatus eſt aliquorum nominum ſignificationes in ſua Philoſophia, atque ſuppoſuit, ſicut etiam Mathematici ſupponunt, ſimilem intellectum poſſe ſimiliter in ſe experiri alios homines, [ſepoſita anticipatione quæ facta communitur cum nominibus fuit] ad rem ipſam attendentes in ſuis propriis abſtractiſque, ut oportet, cogitatis. Verbi cauſa, quando in Metaphyſica ſive ab initio in prima Philoſophia, de Mente humana & divina, ſive Deo, de intellectu in homine & voluntate, de imaginatione & ſenſu, de cogitatione, extenſione, plurimiſque aliis dicendum erat, harum rerum notiones, partim ſponte obvias ſatis diſtincte, partim nova meditatione atque cum diſtinctione ſua vera formatas, quantum poteſt ſine nomine ſupponit, antequam, vel nova, vel priora repetita imponat nomina, quibus comprehendit, quantum poteſt, præciſe, hoc, quod inſtituto tali novo examine, ſe intelligere advertit. In Phyſica generali de Materia ſive ſubſtantia una & communi omnium corporum, de Motu & Quiete, quatenus intelliguntur prima cauſa diverſitatis eſſe, de loco & ſpatio, de duro & fluido, de Actione, Vi, Reſiſtentia, Conatu, dicturus, non, uti longo tempore fecerunt Philoſophi, inconſiderate ſupponit anticipationem, ab origine conjunctam cum iſtorum nominum ſignificatione, verum nominibus ad tempus ſepoſitis, magis diſtinctum, & hac ſaltem ratione quaſi novum quærit intellectum, quem antecedentem vocamus. His innixus principiis ſimplicibus [ut jam de compoſitis non dicam affirmatione aut negatione junctis] ſimiliter de primo, ſecundo, tertio elemento, de globulis, particulis ſtriatis, vorticibus, cœlis, ſtellis, quantum aſſequi

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

qui potuit, ſecundum antecedentem cognitionem loquitur, & ab hac ſolum, inter Philoſophandum cognitione antecedente, vel ſua propria & communiter uſitata, ſive confuſe nota, vel nova & magis diſtincta, rebus imponit nomina. Et ſic tandem in Phyſica magis ſpeciali nominibus primum deſtitutus, hic Philoſophus, litera A repræſentat materiam, ex qua corpora mundi ſublimaris forte facta ſint; literis tribus aliis, B, C, D, notat tria elementa ſpeciatim, quorum nomina ſecundum anticipationem impoſita, *aer*, *aqua*, *terra*, non attingit, niſi poſtquam intellectu, de quo loquimur, Philoſophico antecedente, ea, quæ ipſis comprehendi poteſt, ſignificatio ſic ſatis determinata fuit. Quanquam vero multum in his veritatis ineſſe, ſi non omnino certum, ſumme probabile ſit; non poteſt unquam ſic per omnia verus eſſe hic antecedens intellectus Philoſophicus, quo modo intellectus antecedens Mathematicus eſt verus, tam ſuo modo in extantibus compoſitis, quam in abſtractis ſimplicibus; de quorum veritate plura diximus §. CI. CII. Quod inſigne diſcrimen Carteſius Mathematicus & Philoſophus quantus erat, ignorare non potuit.

Ad §. XI. verſus finem, *multis poſſet exemplis probari.*

Exempla poſſunt peti ex notis ſequentibus ad §. XIII, ubi ſermonem Medicum à ſermone Philoſophico diſtinguimus, oſtendimuſque in Medico ſermone veritatem eſſe, quæ per antecedentem Philoſophicum intellectum, ſui nominis ſignificatione comprehenſa non fuit: ut non ſolum diverſa, verum etiam in ſpeciem oppoſita poſſit interpretatio eſſe unius in his dicti, una communis atque uſitata, verbi cauſa, in Medicinâ, quando dicunt Medici, *vacuum trahit*, ſuppoſiti in hoc dicto, atque etiam appoſiti, notio-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

tionem formando, quam forte Philoſophus aliter formaret, atque [quando ad omnia in hoc dicto attendit] ſepoſitis his duobus nominibus, ſuo antecedente magis diſtincto intellectu, aliter pronuntiaret.

Ad §. XII. Linea 4. *Medicinam cum Phyſica de qua diximus.*

Diximus §. IX. de Phyſica Scholarum Ariſtotelica, quæ, qua parte laudabilis eſt, Naturæ, non tam veram ſcientiam comprehendit, quam hiſtoriam: fere ut cognitio Medica, qua parte laudabilis eſt, debet hiſtoria eſſe, quatenus vera cognitio quæ Medicum facit, partim in noſtra propria, partim in aliorum obſervatione debet habere fundamentum ſuum. Er quanquam Medica & Phyſica hiſtoria valde diverſa ſit, quia finis eſt diverſus, atque etiam ad multa ſe Hiſtoria Phyſica poteſt extendere, quæ non pertinent ad Medicum; concedimus earum qualemcunque inter ſe cognationem, & ejuſdem generis eſſe cognitionem, quæ tam in Medicina quam in Phyſica iſta, qua parte laudabilis [hiſtoriam quod attinet] non alia quam communis intelligitur. Quæ tamen cognatio diſtinctionem non tollit artis Medicæ, & ſcientiæ qualiſcunque Phyſicæ.

Ibidem Linea 7. *videntur aliquam cognationem habere.*

Omnes artes quæ ad humanitatem pertinent habent quoddam commune vinculum, & quaſi cognatione quâdam inter ſe continentur. — Ut primum ex pueris exceſſit Archias atque ab iis artibus quibus ætas puerilis ad humanitatem informari ſolet, inquit Cicero in Oratione pro Archia poeta. Quæ verba quanquam ſatis nota, alleganda duximus hoc in loco, quia plurimi iis abutuntur, qui artes & diſciplinas omnes conantur una & propria Philo-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

ſophorum ſapientia comprehendere, atque hanc omnium, in uno quaſi parente divino, arctiſſimam cognationem fingunt. Cicero autem de cognatione loquitur, primum ea, quæ diſtinctionem non tollit, & tum quoque cognationem intelligit artium, non quæ ad divinitatem, verum quæ ad humanitatem pertinent, & quarum commune vinculum eſt ſermo, non remotus à communi ſenſu, qualis eſſe poteſt Philoſophorum, verum ad vulgarem popularemque captum accommodatus, qualis eſſe debet omnium aliorum hominum & aliarum artium, hac præcipue de cauſa ad humanitatem pertinentium: Uſque adeo ut ipſa Scholarum Philoſophia, qua parte olim laudabilis atque ad ſermonem captumque communem accommodata erat, inter artes extiterit iſto communi vinculo junctas, quibus puerilis ætas ad humanitatem informatur, ſicut tot ſeculis, non ſine fructu, fuit informata.

Ad §. XIII. Linea 8. à fine, *Ea quæ plebeis nota ſunt dicere.*

Admodum accommodate ad verba Hippocratis quæ citamus, Daniel Sennertus vir doctus & diligens naturæ indagator, uti ipſum honorifice appellat vir doctus & celebris Hervæus: recte probat ac defendit dicta communia Medicorum, *calor*, *vacuum*, *dolor trahit*, quatenus dictio iſta omnis, ad vulgarem popularemque ſenſum accommodata, ſuo modo vera eſt, atque hoc ipſum eſt γνωστὰ λέγειν τοῖς δημότησιν, *quæ plebeis nota ſint dicere*, ut Medicum facere jubet Hippocrates. Leguntur verba Sennerti, Inſtit. Medic. Libro II. parte II. cap. XI. *Etſi Recentiores nonnulli contra has attractionis cauſas diſputent, neque concedant, calorem, doloremve, ut nec vacuum eſſe proximam attractionis cauſam; tamen nihil novi & quod alicujus ſit momenti contra vulgatam doctrinam afferunt.*

Nam dum à Medicis & vulgo dicitur, attractionem fieri caloris, doloris & vacui ratione [ita late hic ſumitur nomen cauſa in recto & communi uſu ſermonis ut idem ſit quod Ratio] *non ea ipſorum ſententia eſt, quod attractio hæc per peculiarem vim attractricem fiat* [ea notione ſive ſignificatione, quam, præter communem ſenſum, philoſophiæ in communi ſermone abuſus peperit] *verum ſaltem evidentes & manifeſtas cauſas proponere voluerunt, quæ fluxui humorum ad partem aliquam occaſionem præbent, humoreſque quaſi alliciunt, &, quas, ne fluxio concitetur vel augeatur, ſubmoveri neceſſe eſt, quacunque etiam efficiendi vi attrahant* [quam efficiendi vim diſtinctius intelligere atque de ea loqui, non Medici verum Philoſophi eſt] *Nihilque aliud ſentiunt Medici, dum nunc per* ὦσιν, *nunc per* ἕλξιν *humores affluere dicunt, quam quod cauſa quæ facit ut humores ad partem fluant, nunc ſit in parte mittente, nunc vero in recipiente.* Ita nos quoque putamus Medicinam non Philoſophico verum populari ſermone tractandam, & nomina iſta quæ tot jam ſeculis uſitata fuerunt, *Natura, facultas, tractio, calidum actu vel potentia, temperamentum, qualitas*, & mille alia in Medicina poſſe retineri, quia ſæpe ſine iis commode loqui non poſſumus; omnem vero ſubtiliorem de his diſputationem, Philoſophis eſſe relinquendam, atque, ſi forte Medicus quoque Philoſophus ſit, hanc ipſi in ſuo munere perſonam deponendam eſſe. Eo prorſus modo Galenus, quando de Hippocratis atque Platonis decretis ſcribit, Libro VIII. cap. 3. alio modo dicit magis exquiſito Platonem, alio Hipp. loquutum *de elementis fuiſſe deque ſanitate & morbis ex diverſa illorum miſtione ortis. Hippocrates nihil ultra hæc, cum nulla id practica poſtularet neceſſitas, ſibi progrediendum putavit, quippe qui ſpeculativam artem minime tractaret. Plato*

to vero qui ſpeculativam Philophiam meliorem exiſtimabat, ſolas quæ in elementis exiſtunt facultates conſiderare ſatis non habuit, ſed cauſas quoque earum generationis inquiſivit, inutilem Medico ſpeculationem ſequutus. Nam ſcire, cur humectet aqua, urat ignis, vel cur fluat aqua, ſurſum feratur ignis, ſtabiliſſimumque & graviſſimum elementum terra conſtiterit, ad morborum curationes nihil confert. Illud enim tantum ad ſanitatis conſervationem morborumque Medelam ſufficit, ut cognoſcamus ex calidi & frigidi, ſicci & humidi temperatura ſanitatem effici, ex horum contra intemperaturis morbos animalibus accidere. Indagare autem an ex Pyramidis partibus ignis conſtet, an aliqua alia cauſa ſit, cur occurrentia corpora incidat ac dividat, ſpeculativæ Philoſophiæ opus eſt, quam tractans Plato, ignis partes pyramitas eſſe ait, cubicas terræ &c. *Qua de re, rectene an ſecus opinatus fuerit, non eſt præſentis negotii definire.* Hactenus Galenus Medicus. Jam porro cum Ariſtotele loquamur Philoſopho, & concludamus univerſim, *Ita faber & Geometra non eodem modo rectum angulum exquirunt, ſed ille quidem, quatenus operi uſui eſt, hic autem, quid & qualis ſit inquirit, quia in vero contemplando verſatur. Eodem igitur modo faciendum eſt in cæteris omnibus, ne operum acceſſiones & ornamenta ipſo opere potiora fiant,* τὰ πάρεργα τῶν ἔργων πλείω γίγνηται inquit, Græce. *Neque vero in omnibus æque cauſa flagitanda eſt, ſed ſatis eſſe debet in quibuſdam, ſi bene demonſtratum ſit* τὸ ὅτι *ita eſſe tantum, quemadmodum & in principiis. Rem ita eſſe autem, primum & principium eſt. Principiorum autem, alia inductione cognoſcuntur alia ſenſu, alia conſuetudine, alia aliter. Hæc ſingula perſequi oportet, quemadmodum cujuſque natura patitur, dandaque opera, ut bene definiantur. Magnum enim momentum ad ea quæ ſequuntur, adferunt.*

Libro

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

Libro 1. Ethicorum cap. 7. Quæ certe omnia & ſingula aliquanto prolixius allegata in his paucis obſervationibus, putamus valde appoſita eſſe, tum ad humanæ cognitionis, tum ad ſermonis, quo comprehenditur cognitio, naturam diſtinctius intelligendum, riteque capiendum, id quod univerſæ antiquitati adeo videtur notum fuiſſe in perſona Hippocratis, Galeni, Ariſtotelis; Quod, propter hunc modum conſiderandi diverſum, artes ſive diſciplinæ omnino diverſæ, atque natura ſua diſtinctæ hinc ortæ ſint. Ex quo ſequitur perſpicue, niſi omnia confundere velis, atque etiam cœlum, ut ajunt, terræ miſcere, terram cœlo, aliter non poſſe artes & diſciplinas doceri. Et quia hoc ipſum nemo melius quam Ariſtoteles intellexit, accommodate ad mentem Veterum, nemo planius atque apertius docuit, hujus præ cæteris autoritate adverſus horum temporum ignorantiam & errorem nos tuemur, non uno loco, in his noſtris Animadverſionibus.

Ad §. XVI. linea 6. *quis modus ſciendi ſive intelligendi ſit.*

Reſpicimus his verbis Ariſtotelem 11. Metaph. capite 3. ita loquentem, ἄτοπον ἅμα ζητεῖν ἐπιςήμην ἢ τρόπον ἐπιςήμης, ἐςι δ᾽ οὐδέτερον ῥᾴδιον λαβεῖν, ac ſi Latinè dixeris, *abſurdum eſt, ſimul ſcientiam & modum ſciendi quærere, atque neutrum facile eſt.* Quibus certe verbis videtur Ariſtoteles ſignificare velle ita expreſſe, quod in hac re multo major neceſſitas ſit, majorque lateat difficultas, quam plurimi putant. Ut in multis aliis, ita hac in parte, Ariſtotelem reſpicere Platonem, credibile eſt. Quandoquidem Plato in Libris de Republica, ubi de formando tractat Principe; quo regnante Reſpublicæ beatæ ſint, hoc unum præ cæteris inculcat, modum ſciendi non unum & ſimplicem verum valde diverſum, atque imprimis duplicem eſſe poſſe ac de-

ac debere; unum accuratum qui à Mathematica poteſt incipere atque deſinere in Metaphyſica, quam etiam Theologiam vocant, quia altiſſimarum atque divinarum rerum ſcientiam comprehendit; alterum vero ſciendi modum minus accuratum eſſe, qui in ſe iterum valde diverſus ſit, ut ſunt ad illum referendæ artes valde diverſæ. Iſta duo hoc toto capite Ariſtoteles diſtinguit atque docet debere diſtingui. Non autem abſque aliqua rerum cognitione iſte duplex adeo diverſus poteſt modus ſciendi ſive diſcendi cognoſci. Ipſam enim inter Res poſſumus cognoſcendi facultatem atque animum ſive intellectum cognoſcentem numerare. Iſte vero animus, ut modum in ſe ſciendi cognoſcat & diſtinguat, ante omnia ſe ipſum debet diſtincte cognoſcere; quatenus animus verè cognoſcens longe aliter ſe habet, & quaſi alius eſt [atque hoc intelligere debet] ut vel mancipatus corpori, quaſi in ſtatu ſervitutis utitur ſenſu, quem conſuetudo ſermonis comprehendit; vel, quantum poteſt, à corpore ſeparatus & quaſi liber, utitur intellectu, quem conſuetudo ſermonis non comprehendit. Hoc abſtracto ſive ſeparato *intellectu ad ideas ſibi à natura inditas diligenter attendente*, ſicut Mathematici in pura Matheſi utuntur, etiam quando hoc ſolo eſſe utendum ipſi non advertunt: ita Carteſius, poſt Platonem ſecundus, expreſſè advertit, eodem utendum eſſe intellectu in omni vera perfectiſſimaque ſcientia, & ſimplici inprimis intelligentia principiorum cognitionis humanæ; Ex quo Carteſii facto [quia in Philoſophia laudabile eſt & ſatis feliciter ſucceſſit] periculoſo errore concluditur, ſimiliter faciendum eſſe in omni alia ſive arte ſive ſcientia. Ac ſi imprimis Ars, quæ verſatur in operatione, diſtinguenda non ſit, à proprie dicta ſcientia, cujus ultimus finis, ſine alio opere, otioſa contemplatio eſt; qui unus in his, non adeo parvus ut

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

putant, fuit error. Et, ac ſi, qui error alter longe major exiſtit, propriè dictam ſcientiam quod attinet, quæ ab arte diſtinguitur, unus per omnia ſit ac debeat eſſe, primum quidem veri inveniendi ſive inveſtigandi, & tum quoque inventa docendi diſcendique, ut & intelligendi ſive ſciendi modus, vere aut quaſi, Mathematicus ſcilicet, quin Metaphyſicus [id quod in Theologia potiſſimum putant locum habere] aliquanto accuratior & ſubtilior, uti poſt Platonem Carteſius quoque animadvertit. De hoc errore inſigni, quatenus in diſciplinis humano ſermone comprehenſis, infinitæ confuſionis, litiſque & contradictionis perpetuæ debet cauſa eſſe, inter doctos imprimis, quia, quando, ut fit, interpretatio toto genere diverſa [quia principia diverſa ſunt] confunditur, non conſentientem & ſæpe pugnantem, ex diverſitate & confuſione, oriri ſermonem neceſſe eſt: De hoc inquam errore, turbarum his temporibus atque diſſidiorum, quæ ipſa ſcientiarum fundamenta convellunt, fonte inexhauſto, obiter quoque diximus ad §. IX. in ipſo harum Obſervationum limine, ubi de Artium & Diſciplinarum diſtinctione loquebamur. Neque enim uno in loco dicere ſatis eſt de Errore, qui ſemper idem ſæpius recurrit & renaſcitur hydræ inſtar; poſtquam ab annis plus minus quinquaginta, primum quidem occulte atque inconſideratè ſenſim ſine ſenſu, paucorum, his vero proxime labentibus annis plus quam viginti, quia commentum pluribus placuit, etiam plurimorum cæpit animos, & linguas, & calamos occupare.

Ad §. XVII. linea 3. veram rerum ut ſunt cognitionem.

Aliquanto diſtinctius exprimitur iſtius definitionis ſenſus ad mentem Veterum & Carteſii, ipſiuſque Ariſtotelis, ſi di-

ſi dicas, *cognitio rerum ut ſunt, ordine ex primis cauſis deducta*: aut ſi mavis, aliquanto brevius cum Carteſio, *cognitio veritatis per ſuas primas cauſas*, ſicut Ariſtoteles dixerat quaſi uno verbo *ſcientia veritatis*; neque enim iſta ſive cognitio ſive ſcientia, ſine ſuo vero & naturali ordine conſiſtit. Ut tria imprimis obſervanda atque diſtinguenda ſint in notione Philoſophiæ: primum *Res*, de quibus tractat, exiſtentes, quatenus veræ exiſtentiæ, ſumma ſaltem rerum genera quod attinet, expreſſa & diſtincta affirmatio, prima debet Philoſophiæ parte comprehendi; deinde *primæ cauſæ*, per quas plurimæ Res cognoſcuntur, tanquam principia, ſive cognoſcendi, ſive eſſendi; & tum quoque *ordo* iſtius cognitionis, atque veræ connexionis rerum iſtarum. Hæc omnia & ſingula, ſi ſunt veræ ac ſpeciatim primæ philoſophiæ propria, ut certe ſunt, non poſſunt dici communia aliarum artium ſive diſciplinarum; Quia in his, uti alius longe diverſus eſt finis, ita alius ad ſuum finem conſequendum accommodatus debet eſſe, & conſiderandi & tractandi modus. Ita Ariſtoteles, quo nemo melius hanc diverſitatem intellexit, libro 11. Metaph. cap. 1. *Recte ſe habet philoſophiam ſcientiam veritatis appellare* [κατ᾽ ἐξοχὴν ſive eo modo quo id dici non poteſt de ulla alia diſciplina] *Speculativæ enim finis veritas, practicæ opus. — Non autem ſcimus verum abſque cauſa.* [id quod de vero primo ipſiſque non poteſt primis cauſis intelligi ſive principiis ſua luce manifeſtis] *Quare veriſſimum eſt, id quod poſterioribus, ut vera ſunt, eſt cauſa. Et principia ſemper exiſtentium neceſſe eſt veriſſima eſſe. Nec enim aliquando vera, nec illis ut ſint, aliquid aliud cauſa eſt, ſed illa cæteris. Quare ut ſecundum eſſe unumquodque ſe habet, ita ſecundum veritatem.* Ultima verba, à quibus omnia pendent, Græce ſic ſonant

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

nant elegantius, ἕκαστον ὡς ἔχει τοῦ εἶναι, οὕτω καὶ τῆς ἀληθείας. Ut non aliam videatur Ariſtoteles quam veritatem exiſtentiæ ſive rerum exiſtentium agnoſcere: quia hæc prima & ſimpliciſſima veritas eſt quæ reciprocatur cum Ente, ut Metaphyſici loquuntur, ad hanc ſe Ariſtotelis doctrinam accommodantes. Quæ vero tandem ſit iſta cognitio rerum exiſtentium atque non uno modo extantium, ex iis quæ de prima & ſimpliciſſima vocabulorum ſignificatione atque ſpeciatim de Verbo dicta fuerunt ſubſtantivo, aliquanto, ut ſperamus, diſtinctius intelligi poterit in particularibus, quam quidem ex ea, quam hactenus tractamus univerſim, diverſa humani ſermonis conſideratione. Extat vero etiam in Appendice ex olim ſcriptis, inter alia, quæ nonnihil juvare poſſunt, in formanda philoſophiæ vera & diſtincta notione [cujus notionis confuſio, tantas turbas dedit] Brevis enarratio, ob oculos ponens diſtinctius, quæ poſſit atque debeat eſſe Veritas & Evidentia, quis Ordo, quæ ratio ordinis in humana cognitione prima ſimpliciſſimaque, quæ philoſophiæ propria eſt. Id quod expreſſe monebamus non uno loco in hoc ſcripto olim, atque hac vice [quia error hactenus adeo obſtinatus fuit] verſus finem pluribus in locis, verbo uno atque altero interpoſito majoris evidentiæ cauſa, iterum monere, judicavimus neceſſarium eſſe.

FINIS.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

APPENDIX SELECTA

ex

Olim Scriptis non uno tempore:

Quibus

Quamplurima, quæ in Cogitatis de Natura humani Sermonis, vel ſupponimus, vel breviter attingimus,

non uno modo fuſius explicantur, aut confirmantur.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

APPENDIX SELECTA

ex Olim Scriptis non uno tempore.

Diſſertatio de Cognitione Vulgari & Philoſophicâ,

Habita Lugd. Batav. xxv Martii anno 1651 cum publica autoritate Phyſica Ariſtotelis problemata explicaturus eſſet.

Argumentum.

Poſt exordium hujuſce Diſſertationis, Omnis humana cognitio diſtinguitur in Naturalem & Revelatam. Naturalis cognitio iterum in vulgarem ſeu omnium communem & Philoſophorum propriam diſpeſcitur. Senſus, Imaginatio, Memoria, & qualiſcunque de rebus obviis Ratiocinatio, tanquam communia vulgaris notitiæ ſubſidia proponuntur: poſteaque, quantum hæc ſingula valeant, latius exponitur. Notitiæ adeo vulgaris ad uſum vitæ artiumque inventionem multiplex applicatio; ut & incrementa ejuſdem ob utilitates & voluptates hauriri inde ſolitas. Multiplex talis notitiæ imperfectio, & ſpeciatim errores, tenebræ, noxiaque ad Naturæ contemplationem, quæ digna Philoſopho ſit, ſenſuum præjudicia, ob oculos ponuntur. Et univerſim denique concluditur, non Vulgarem illam, quæ inviis prædictis viis comparatur, quæque in artibus exercendis ſufficit, ſed longe ſolidiorem profundioremque Naturæ contemplationem philoſopho eſſe ſectandam. Brevis ad illam exhortatio.

AQuo tempore è præceptorum cuſtodia exire mihi licuit, pulveremque Scholaſticum cum amœniori ac liberiori ſtudiorum genere commutare, nihil magis in votis habui, quam ut certam evidentemque rerum utilium ac per ſe ſcitu dignarum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

rum notitiam mihi compararem. Cumque pro more Academiarum in Philoſophorum ſcripta inciderem, videremque in iis rerum divinarum humanarumque talem promitti ſcientiam, quæ & utilis & jucunda & propter ſeipſam expetenda eſſet, tanto hujus conſequendæ deſiderio me captum fuiſſe profiteor, ut nullo alio capi poſteà potuerim, Etſi igitur propter amicorum voluntatem & morem ſeculi ab omni alio ſtudio abſtinere non debuerim, nunquam tamen à philoſophia me avocari fui paſſus, unicam illam veritatis contemplationem, quam profitetur, & ſcientiam, quam promittit, & mihi & ſibi ſat magnum pretium fore exiſtimans. Medicinam quidem cum ipſa conjunxi, ſed longe alia conditione quam fieri plerumque ſolet: Non enim ad curandos ægros idipſum factum à me fuiſſe profiteor, ſed ad uberiorem naturæ notitiam, quam quidem ex ſola philoſophia hauriri poteſt. Fateor tamen non eam mihi hactenus obtigiſſe fœlicitatem, ut omnia quæ in vita occurrunt à tali inſtituto avocamenta tam procul arcere à me potuerim, quin aliquoties ferenda mihi fuerint in hunc diem uſque. Imprimis enim ſtudia Academica magis ad honores, ad reipub. aut eccleſiæ adminiſtrationem, aliudve vitæ munus ac emolumentum, quam ad innocuam illam vetitatis & naturæ contemplationem, quæ propoſita mihi erat, inſtituta inveniebam. Græcia olim habuit ſuos Democritos, Pythagoras, Anaxagoras, Socrates, Platones, Epicuros, Ariſtoteles, viros maximam partem illuſtres, & lucri tamen honorumque contemptores, ac ſupra ſapientiam nil quicquam in hoc mundo deſiderantes, quærenteſve. At apud Chriſtianos philoſophia aliorum ſtudiorum ancilla eſt & vile ſæpe mancipium, neque propter ſeipſam ſed alterius ſcientiæ conſequendæ cauſa doceri ac diſci in A-

cade-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

cademiis ſolet: ſicque fieri non potuit, quin non negligentius tantùm à nobis excoleretur quam à Græcis exculta fuit, ſed multa etiam contineret, quæ vel inutilia, vel moleſta videri poſſint iis, quibus non tam lucrum, aut honos, aut aliud vitæ commodum, quam unica propriæ mentis cultura ac eruditio omnium laborum finis eſt. Porrò primi ac præſtantiſſimi eorum qui inter Græcos fuere philoſophati, non publicas privataſve inſtituebant ſcholas, adeoque nullis docendi moleſtiis aut diſcipulorum interpellationibus diſtrahebantur, ſed hoc unum agebant, ut vel ex quotidiana naturæ inſpectione, vel ex ſapientiorum ſermonibus, vel ex propria meditatione perficerent eam ſcientiam, quam unicè quærebant. At verò Chriſtiani vix alio fine ſe totos poiloſophiæ tradunt, quam ut alios docere eam poſſint. Docendi autem munera multas etiam poſt ſe trahere moleſtias ac graviorum ſtudiorum interpellationes, optime illi omnes perſpectum habent, qui aliquandiu ſaxum hoc volverunt. Et ego tamen, ſive ex tacito genii mei inſtinctu, ſive ex more ſeculi me ad docendum appuliſſe animum confiteri debeo, nullumque hactenus invenire potuiſſe vitæ genus, quod tranquillius atque ad ſapientiæ veritatiſque ſtudium commodius mihi videatur. Si enim clavo reipublicæ aſſideas, ſi cauſas agas in foro, ſi faciendæ medicinæ fueris intentus, vel mercatura, vel arte mechanica, vel alio vitæ munere impeditus, iis te diſtractum ſentis occupationibus, quibus vel parum vel nihil cum ſapientiæ ſtudio eſt cummercii. At nemo ſapientiæ præcepta aliis tradit, niſi ſemetipſum in iis continuò exerceat; nemo abdita naturæ oſtendit ac revelat alteri, niſi ea prius ex veritatis puteo eruerit. Ubi res leves, inanes aut etiam cum vanitate quadam conjunctæ, vel plus ſatis exploratæ docenti inculcantur

tur aliis, vel tempus miſerè conteritur, vel ex non intermiſſa ſatietate ac repletione vigor animi obruitur ac ſuffocatur, tantaque in ejus locum ſuccedit laſſitudo ac rerum ſublimiorum neglectus, ut vix unquam ad altiora aſſurgant verum perpetuò humi repere aſſueſcant mentes noſtræ. Si verò ea quæ docentur alicujus ponderis ac difficultatis fuerint, qualia præ cæteris ſunt quæ veritatis ac naturæ contemplationem ſpectant, aliis illa inſtillare nequis, niſi omnes animi tui conceptus & crudiores cogitationes tam minutim ruminando ac tot novis coctionibus ſubigendo, ut pingue ac ſolidum bonæ mentis pabulum inde promanet; tumque nec nauſea, nec moleſta ſatietas ac faſtidium, ſed ſalutaris ac pulcherrima animo docentis inducitur εὐεξία.. Quibus ſi adfuerit qualiſcunque ad docendum aptitudo cum prona animi inclinatione ad ea quæ noveris aliis communicanda, mirum quantum excitent generoſæ mentis alacritatem, quantum foveant illius robur. Animalium quidem ac plantarum corpora enervari videmus ex uberiori ſeminum defluvio, nec non effœta reddi ac ſterilia poſt frequentes generationes: ſed humanæ mentis longe alia eſt ratio; hæc enim quo enixè magis parere ſtudet ac aliis communicare conceptus ſuos & intelligentiæ fœtus, tanto magis vegeta evadit ac fœcunda. Sæpius tamen apud animum meum dubitavi, an uti ex privatis quibus hactenus incubui inſtitutionibus, ita etiam ex publico docendi ac diſputandi munere, quod hodiernus dies obtulit, iſta quæ jam recenſui commoda exſpectare debeam. Hæc ipſa enim cathedra, iſti parietes, ac tam denſa auditorum corona neſcio quam novam rerum mearum faciem exhibent. Non jam amplius cum notis tantum ac familiaribus inter privatos parietes agendum mihi erit, ſed in hocce theatro, ac inter tot Roſcios per-

ſonam

ſonam aliquam mihi aſſumendam video, adeoque omni ope annitendum, ut talia doctrinarum fercula auditoribus offeram, quæ non modò exquiſitæ aliquorum eruditioni & delicatis auribus, ſed etiam diverſis variè ſentientium probentur deſideriis, atque una etiam non omninò indigna inveniantur ſeculi ſapientia hujuſque Academiæ celebritate. Quod equidem nullatenus præſtare potero, niſi intendam omnem prorſus nervum, ſimulque huc advocem non exiguam partem illarum cogitationum, quas hactenus, partim ſolitariæ veritatis contemplationi, partim liberiori mentis relaxationi dare fui ſolitus: adeoque aliquantò quàm optarem longius à veteri vitæ inſtituto aberraſſe mihi videor, iiſque ex parte factus ſimilis, qui ob publica vitæ munia ſapientiæ ſtudium negligentius tractare tenentur. Et iniquiori etiam animo perferrem haſce privati ſtudii per hæc publica negotia interpellationes, niſi jamdudum ex Ariſtotele didiciſſem, perfectam quidem beatitudinem in vita contemplativa conſiſtere, verum eam meliorem eſſe quam hominis ferat natura; *non enim*, ait philoſophus, *qua homo eſt ita vivit, ſed qua divinum quiddam illi ineſt.* Quemadmodum igitur prima illa quæ in Academicorum ſtudiorum curſu occurrere diximus diverticula ac inſtituti mei interpellationes declinare prorſus non potui, ac poſteà non admodum moleſtè privatæ inſtitutionis onera ſuſtinui, alacriter etiam aggredior publicos hoſce labores; ſperans iis non minus quam privatis quibus hactenus me exercui inſtitutionibus, non mea tantum ſed aliorum etiam ſtudia nonnihil poſſe promoveri, atque ad ſcrutandas nobiſcum abditas in naturæ puteo veri cauſas exſtimulari.

Quæ ſpes, ne ſine cauſa à me concepta videatur, exponere inpræſentiarum decrevi, quæ & qualis ſit ea Naturæ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

contemplatio, quam ut ipſemet ſequor, ita & in omnibus iis, qui ſeriò mecum philoſophari & ſupra vulgus ſapere voluerint, exigo. Quod argumentum tam fœcundum quidem eſt, ut plenè hoc loco explicari & pro dignitate tractari non poſſit: ſed quia neque uſus, nec dignitas philoſophicæ contemplationis percipi, neque officium hominis philoſophi aliter intelligi poteſt, quam ex vera differentia, quæ inter vulgarem & philoſophicam conſiſtit notitiam; præcipua quæ ad eam intelligendam ſpectant capita eo uſque ſaltem attingere eſt animus, ut expoſitis *ſubſidiis, gradibus, imperfectionibus & vitiis vulgaris notitiæ*, tantò clariùs *philoſophicæ contemplationis* pulchritudo ſplendeat, omneſque quibus philoſophari eſt animus videre poſſint, quantò utilior, jucundior & generoſa mente dignior ſit profunda illa ac ſolida abditorum naturæ ſcientia, quam promittit philoſophia, quam tenuis illa anguſtiſque limitibus circumſcripta cognitio, quam omnium hominum communem eſſe docebimus.

Inprimis in confeſſo eſt, non omnia quæ ſub humanam cognitionem cadunt contemplationis philoſophicæ eſſe propria. Quædam ſupra philoſophiam ſunt, neque ab ea aut per eam dignoſci & dijudicari ullo modo poſſunt; qualia ſunt nonnulla eorum quæ Deus vel de ſe ipſo, vel de voluntate & conſilio ſuo, vel de operibus ſuis in Sacra Scriptura revelavit, aut per ſpecialem gratiam internamque mentis illuminationem aliquibus nota eſſe voluit. Quorum quia philoſophus non magis capax eſt & particeps, quam quilibet ex vulgo, omnis etiam quæ inde hauritur notitia non ulli humanæ ſapientiæ aut philoſophiæ adſcribi, ſed ſoli divinæ gratiæ accepta referri, nullique, quem Deus ea dignum eſſe voluit, invideri debet. Si vero aliquæ veritates, uti evenit in multis, non propriis tantum humanæ

manæ cognitionis viribus, ſed revelatione inſuper cognoſci queant, manifeſtum etiam eſt, philoſophicam quidem eſſe poſſe hujuſmodi veritatum ſcientiam, ubi ex communi omnium hominum cognoſcendi facultate promanat, ſi vero ex fide & propter revelationem teneantur eædem veritates, non magis ad philoſophiam referri poſſunt, quam iſtæ quas ſupra philoſophiam eſſe diximus.

Neque tamen id omne quod ſolis naturæ viribus cognoſcitur à philoſopho pro philoſophia haberi poteſt: quandoquidem plurima eorum quæ novit, cunctis mortalibus communia ſunt, ac iis etiam obvia, qui vel mente capti, vel barbari, vel ita ſaltem in ſapientiæ ſtudio exercitati non ſunt, ut philoſophi hoc eſt ſupra vulgus ſapientes dici poſſint. Taliſque maximam partem eſt omnis ea notitia, quæ *Senſuum experimentis* primam originem, *Memoriæ* conſervationem, *Imaginationi* ac *Diſcurſui* ab uno ad aliud, perfectionem atque incrementum debet. Quiſquis enim homo eſt, non ut lapis, vel arbor ex bruta tantum conſtat materia, ſed *mentem* præterea habet, quæ ad imaginem Dei facta adeoque ſua natura apta nata eſt multa percipere & intelligere, nec non judicium de iis ferre. Huic menti unitum eſt *corpus*, non una continua ac immota mole, ſed variis conſtans partibus, iiſque tam affabrè factis, ut vel à ſe invicem & à cauſis internis, vel aliunde ſeu à rebus circumſtantibus nonnihil commoveri, eamque motionem tali modo recipere atque ad mentem deferre poſſint, ut variæ internorum externorumque ſenſuum inde conſequantur perceptiones, quarum beneficio, & proprii corporis multorumque in eo affectuum, & rerum etiam extra nos poſitarum, certiores reddimur, ſimulque ea quæ commoda nobis ſunt vel incommoda dignoſcimus, & magnam qualitatum, operationum aliorumque accidentium & for-

 marum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

marum varietatem, in rebus corporeis detegimus. Univerſa enim cutis cum carnibus quibus exterior corporis habitus conſtat aliquas nervorum propagines intextas ſibi habet, quæ ubi ſpiritu turgent à pleriſque occurrentium corporum contactibus moveri poſſunt; qui motus, prout vehementes vel mediocres ſunt, aliiſve modis variant, indicant menti quid ſuo occurſu prodeſſe vel nocere queant corpora à quibus procedunt, ſimulque eam in cogitatione excitant ſenſuum varietatem, à qua tot *tactiles qualitates*, ut ſunt calor, frigus, humiditas, ſiccitas, durities ſimileſque denominantur. Qua ratione tot etiam rerum occurrentim varietates, qualitatum iſtarum nominibus inſigniri ſolitas, iiſdem ſenſuum perceptionibus cognoſcere nobis videmur. Et quia plurimæ interiores partes ſimiles habent nervorum propagines, variæque in ipſo corpore latent cauſæ, quæ afficere eas poſſunt, hinc ſenſus quidam oriuntur quos internos vocamus, eo quod non ad externa objecta, ut priores, verum ad noſmetipſos terminari nobis videantur: taleſque ſunt perceptiones *caloris* & *frigoris ubi in noſtro corpore reſident*, nec non *doloris* & *voluptatis*, ut & *famis* & *ſitis*. Quia vero lingua ac palatum cute inveſtiuntur quæ tenerior eſt ea quæ habitum corporis ambit, carneque etiam tenella ac ſpongioſa conſtant & nervoſas propagines proculdubio ſubtiliores habent; hæ partes non modo ab integris & craſſis illis corporibus, quæ palpari poſſunt, afficiuntur ſenſu tactus, verum etiam à tenuibus illis, quibus cibi liquidi vel comminuti conſtant, particulis, ita inſuper moventur, ut ſenſus ille *ſaporum*, qui guſtus dicitur, inde exoriatur. Qui ſapores ſi grati fuerint, utplurimum ſignificant commoda nobis fore ea corpora à quibus procedunt, ſi ingrati, ea tanquam noxia fugienda eſſe docent. At verſus nares ex cerebro porriguntur

guntur duo nervoſi proceſſus, qui nudi incedunt, neque carnibus, aut durioribus membranis, ut in guſtu & tactu fit, inveſtiuntur, adeoque neceſſario moveri debent à ſubtilioribus illis ac celeriter agitatis particulis, quæ ex corporibus odoriferis exhalantes, cum aëre quem inſpiramus eo advehuntur, ſenſumque *odorum* in mente excitant, eamque commonefaciunt corpus aliquod adeſſe, quod vel reſpiratione attractum, vel pro alimento aſſumptum, nocere aut prodeſſe nobis queat. Simileſque etiam duo nervi verſus interiores aurium receſſus protenſi excipiunt tremulos illos motus ac concuſſiones, quibus aër ſæpe agitatur, eamque in mente excitant perceptionem, quam in ſenſu *ſoni* experimur. Quæ ſoni perceptio primario à natura inſtituta videtur ad remotorum corporum, quæ forte irruere in nos poſſent, impetus cognoſcendos & declinandos; & non contemnendum præterea uſum præbet in mutua cogitationum noſtrarum, quæ certis vocabulorum ſonis ex communi inſtituto alligatæ ſunt, communicatione. At longe majori artificio natura exſtruxit duos oculos, qui, cum tunicis humoribuſque conſtent pellucidis, lumini neceſſariò præbere debent tranſitum. Cumque poſt pellucidas haſce partes nuda ac omnium tenerrima fibrillarum nervi optici textura, quam retinam vocant, fundum oculi tegat, ac luminis impetum ſuſtineat, hîc non minus quam in aliorum nervorum extremitatibus fieri debet aliqua impreſſio & motio, quæ uti ab aliorum ſenſuum paſſionibus motionibuſque eſt diverſa, ita etiam peculiaris quædam & viſus propria inde reſultat perceptio, ea nempe quam in *luminis* & *colorum* ſenſu experimur. Ubi humana cogitatio eo quo dictum fuit modo à propriis ſingulorum ſenſuum affectionibus excitata fuit, non ſubſiſtit in perceptionibus caloris, frigoris, ſaporum, odorum,

ſono-

ſonorum, luminis atque colorum, quæ ſingulorum ſenſuum propriæ ſunt, verum una etiam *magnitudines, figuras, ſitum, diſtantiam*, *motum* ac *quietem*, ut & *ſubſtantiam* quandam *corpoream* ſeu extenſam, cui hæc omnia una cum qualitatibus iſtis inſint, concipit. Etſi enim viſus proprie tantum à colore & lumine, auditus à ſono, olfactus ab odore, guſtus à ſapore, & tactus denique à calore, frigore, duritie ſimilibuſque aliis patiatur qualitatibus; ideoque nihil præter hujuſmodi perceptiones ad ſenſum ſit referendum, ſi accuratè illum ab intellectu diſtinguere velimus: nihilominus, quia hæ qualitates nec reperiri, nec intelligi poſſunt ſine re aliqua ſubſiſtente, quæ præter ſubſtantiam ſuam corpoream, etiam magnitudinem, figuram, ſitum, nec non motum vel quietem habere ſolet, hæc omnia una cum dictis qualitatibus ſenſu percipere nobis videmur. Et quanquam ſenſus verſari tantum dicatur circa *ſingularia*, ita tamen omnes facti ſumus à natura, ut relictis ſingularibus circumſtantiis hujus aut illius ſubſtantiæ, vel qualitatis, vel magnitudinis, alteriuſve attributi, *communem pluribus naturam* libenter & facile contemplemur.

Porrò advertentes, non pro arbitrio noſtræ voluntatis, verum citra animi conſenſum nobis plerumque advenire iſtas ſenſuum perceptiones, eas etiam, non à nobis effictas, verum à rebus aliis *extra nos exiſtentibus* ſenſui impreſſas eſſe judicavimus. Quarum rerum cum nullam aliunde prima ætate haberemus notitiam, quam ex jam dictis ſenſuum perceptionibus, non potuit etiam aliud nobis veniſſe in mentem, quam illas hiſce ſimiles eſſe. Ita verò eos ipſos ſapores, odores, calores, ſonos, nec non ipſa illa quæ ſenſimus lumina, una cum innumerabili in coloribus varietate; ut & magnitudines, figuras & motus extra nos exiſtere judicavimus; atque rem illam ſubſiſtentem, quæ ita colo-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

colorata, calida, magna, figurata aliiſve prædita formis videtur, pro diverſitate formarum quæ ſenſibus ſeſe offerunt, vel ſolis, vel lunæ, vel arboris, vel lapidis, vel aquæ, vel ignis, aliove nomine notamus.

Sequitur notitia *effectuum*, *operationum* & *mutationum*, quæ in hiſce corporibus notari poſſunt, & non ita ab ullo alio ſenſu, quam quidem à viſu deprehenduntur. Nam tactus, guſtus, olfactus & auditus defixi eſſe ſolent in perceptione earum paſſionum, quas objecta ipſis imprimunt. Viſus eas inſuper mutationes & operationes detegit, quæ rerum quas intuemur ſunt propriæ. Sicque tria diverſa effectuum actionumque genera notamus; vel enim corpus unum videmus agere in aliud, ut cum ignis aliquid comburit & conſumit, ſol omnia vegetat ac movet; vel corpori noſtro aliqua inducitur mutatio, ut fit à medicamentis, aëre, aqua pluribuſque aliis; vel denique actionem aliquam in ſe ipſa exercent corpora, ut cum ignis conſumit ſe ipſum, cœlum in orbem gyrat, magnes ſe dirigit ad polos mundi. Quæ tria mutationum operationumque genera, cum à nullo corpore proficiſci poſſint, niſi vi & facultate quadam fuerit præditum, jam ab ineunte ætate aſſumptum à nobis fuit, præter ſenſibiles qualitates ſenſus noſtros per ſeſe afficientes, *naturales* quaſdam à nobis *potentias* & *facultates* cognoſci, quibus corpora vel in ſe ipſis operari, vel in corpore noſtro, aut alio quovis mutationem quandam inducere valeant. Atque tales potentiæ videntur eſſe gravitas, levitas, vires magneticæ & multæ medicamentorum, venenorum aliorumque corporum facultates, quæ, quia per ſeſe non afficiunt aliquem ſenſum, ut color, calor & talia, verum per opera ſua inveſtigari debent, *occultarum qualitatum* nomine veniunt apud philoſophos.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

Denique ſæpe ſimilitudo aliqua reperitur inter hæc ſenſuum objecta, aut unum alterius cauſam, effectum, conſequens aut antecedens eſſe novimus, ſicque notitia unius promovet ac perficit cognitionem alterius. Sæpe etiam ex communi inſtituto, aut conſuetudine, res una alteram ſignificat ac notam facit. Quæ vis ſignificandi in omni eo quod ſenſu percipitur collocari quidem poteſt, ſed commodiſſimè, vel iis quæ movent viſum, vel etiam ſonis aliquibus alligatur. Inter *ſigna* quæ à ſonis deſumuntur, nulla vel ad uſum vitæ commodiora, vel ad humanæ cognitionis promotionem utiliora hactenus ſunt inventa, quam quæ in *articulatis hominum vocibus & ſermone* conſiſtunt. Etſi enim in vocabulorum enunciatione nihil præter ſonos reperitur, quia tamen ab ineunte ætate pleroſque animi conceptus iis alligavimus, & propter continuum loquendi uſum non ad verba tantum, ſed etiam ad eorum ſignificata attendere didicimus, vix quicquam adeò eſt abſconditum in animis hominum, quod non voce aliqua exprimi & alteri hoc pacto communicari poſſit. Et quantum hoc compendii atque adjumenti adferat in acquirenda rerum cognitione, nemo non videt. Signa autem, quæ in viſum incurrunt, multiplicia ſunt: quædam enim res ipſas ſignificant, ut *picturæ*, & multa genera *characterum*; quædam non res tantum, ſed noſtras etiam de rebus cogitationes manifeſtas faciunt, ut *geſtus* qui in uſu ſunt apud mutos, nec non *hieroglyphica* Ægyptiorum, ſub quibus multiplex ſapientia condi ſolebat: quædam denique inſtituta ſunt ad notandos hominum ſermones, ut *literæ* ſeu *ſcriptura*. Ut enim voces ore prolatæ conceptuum, ita ſcripturæ characteres vocum ſigna ſunt. Et quia, ut jam dictum fuit, æquè de vocabulorum ſignificatis atque de eorum ſonis cogitamus,

quo-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

quotieſcunque ad ſermonem attendimus, fieri non poteſt, quin ſcriptura, quæ ſermonis index eſt, ea etiam, quæ ſermone iſto deſignari novimus, ſimul manifeſta nobis faciat.

Enimverò admodum anguſtis limitibus circumſcripta foret tam multiplex ſenſuum notitia, & forte ne primariis quidem hujus vitæ neceſſitatibus ſatisfaceret, ſi, quam citò ex corporeis motionibus in cognitione noſtra oritur, tam ſubito etiam evaneſceret, ceſſante externi organi motione, & abſente objecto à quo illa pendebat. Jam verò ita à natura factum deprehenditur humanum corpus, ut, quamvis peculiaris ſit ſingulorum ſenſuum conſtitutio, & peculiares etiam unicuique organo inſerantur nervi, hi tamen nec oriantur, nec finiantur in iſtis organis, verum ex intimis cerebri penetralibus, tanquam diducta ac prolongata ſubſtantiæ ipſius filamenta, ad omnes fere corporis partes ſint protenſi, ut, quoties bene diſpoſiti ſatiſque expanſi fuerint in vigilia, eam impreſſionem, quam in externo organo recipiunt, ad communem omnium originis ſuæ locum deferant ac deponant. Et quia tales externorum ſenſuum impreſſiones ſæpe redeunt, & quandoque ſatis vehementes ſunt, fieri non poteſt quin in tenella & flexili illa cerebri ſubſtantia, ad quam nervorum interventu pertingunt, aliquod ſui veſtigium relinquant. Atque hoc externæ impreſſionis veſtigium, quod ſpecies & phantaſma dicitur philoſophis, conſervat in nobis rerum abſentium & jam ante à nobis perceptarum *memoriam*, fungiturque vice ipſius objecti ubi de eo abſente cogitamus.

Hæc autem peculiaris cogitandi formam, qua non ad rem ipſam externo ſenſui præſentem, ſed ad ejuſdem imaginem ſeu præteritæ impreſſionis veſtigium mentis obtutum vertimus, *Imaginatio* ſeu phantaſia vocatur. Quæ licet initio

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

tio non tam vivida & expreſſa eſſe ſoleat, quam quidem ipſæ externorum ſenſuum perceptiones, iteratis tamen aliquoties externorum ſenſuum motionibus, & repetita quandoque interna meditatione ita perfici poteſt & confirmari, ut multum adjumenti & perfectionis inde accedat communi iſti, de qua hactenus locuti fuimus, hominum notitiæ, quæ ex variis ſenſuum perceptionibus atque experimentis ortum ducit. Ut enim objecta externa motioneſque ab iis excitatæ circa ſenſus externos, ita cerebri veſtigia ſpirituumque animalium interna commotio ſe habent circa imaginationem: neque magis neceſſarium eſt, præſente ex. gr. corpore luminoſo oculiſque ab eodem commotis, ſequi illius ſenſum, quam præſente in cerebro hujuſce motionis veſtigio, loco corporis illuminati, ſpiritibuſque ab eodem convenienter agitatis, vim etiam imaginandi excitari, ipſumque illud corpus, quod non eſt præſens, concipere, uti quotidiè id experiri licet in inſomniis, nec non vigilantium fortuitis imaginationibus, & delirantium imprimis ac melancholicorum phantaſiis. Quemadmodum etiam ex ſingulorum ſenſuum impreſſionibus, non luminis tantum, & colorum, & caloris aliarumque qualitatum elicimus perceptiones, verum interiori mentis agitatione varia judicia ac ratiocinationes iis ſuperſtruimus, multaque de rerum extra nos poſitarum figuris, magnitudine, ſitu, motu, ſubſtantia, mutationibus, effectis & viribus agendi cognoſcimus concludimuſque, & res etiam abſentes ac inſenſibiles per ſua ſigna intelligimus, haud aliter imaginatio rerum abſentium ac ſenſationum præteritarum veſtigiis excitata, & interna ſæpè ac liberiori mentis & ſpirituum agitatione adjuta, hæc omnia præſtat quam promptiſſimè. Quibus ſi addamus, quod imaginatio nunquam fere ſit otioſa, ſed ut plurimum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

mum præſentia ſibi habeat aliqua objecta in quorum contemplatione ſe exerceat, vel ſi ad ea non attendat, quod quidlibet ex memoria depromere ac ſibi præſens ſiſtere, nec non celerrime de eo cogitare, ſimulque variè illud conferre cum aliis, ut & componere, dividere, ampliare aut contrahere, & hæc omnia denique memoriæ mandare ac firmiter imprimere poſſit: quis non videt quot & quanta hinc humanæ cognitionis ſubſidia ſequantur?

Et hæc tamen omnium hominum communia eſſe voluit optimus Deus; ad hæc non docti ſed facti, non instituti ſed à natura imbuti ſumus. Ipſi amentes non ſenſuum tantum, verum etiam memoriæ atque imaginationis aliquem habent uſum. Quotquot verò mentem ſanam in corpore ſano nacti fuerunt, non aliter quidem colorem, lumen, calorem ſimiliaque percipiunt, ſed rectius de rebus extra nos poſitis judicant, diſtinctius earum figuras, magnitudines, motus ſubſtantiamque concipiunt, mutationes, effecta & agendi vires curioſius perſcrutantur, & fœlicius plerumque res præteritas memoriæ mandant & ubi opus fuerit ex ea promunt, ac celeriori denique certiorique utuntur ratiocinatione. Majus etiam ſciendi deſiderium inditum à natura habent, majoremque ex rerum novarum notitia hauriunt voluptatem. Et quia plurimarum rerum indigi ſumus, dum fragile hoc corpus circumferimus, & vix quicquam rerum externarum occurrit, quod non vel ad vitæ conſervationem aliquid conferat, vel nocere aut prodeſſe poſſit: neceſſum fuit non animi tantum gratia nos captare rerum occurrentium notitiam, verum etiam ſtudio & labore eam quærere, magnaque diligentia memoriæ mandare. Etenim corpus noſtrum non perpetuò in eodem ſtatu ſubſiſtit, verum ab internis externiſque cauſis continuo mutatur conſumiturque. In aëre

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

ſpiritum ducimus, cibo & potu indigemus, ut ex infantibus evadamus viri, virilemque ætatem in vigore diu conſervemus, tandemque etiam ſenecta fruamur quantum fieri poteſt vegeta ac immuni ab iis moleſtiis, quæ graviorem ipſam reddunt. Et quia hiſce auxiliis ſartam tectam ſervare valetudinem noſtram, neque rerum externarum injuriæ, neque fatalis corporis noſtri ad deteriora lapſus permittunt, præter noxios proprii corporis affectus actionumque ipſius vitia ac impedimenta, etiam remedia quædam ſeu auxilia notare debuimus, quibus vel imminens periculum præveniri & arceri, vel præſens noxa removeri poſſit. Et mediocris horum omnium notitia ſufficeret nobis, ſi ea foret cœli clementia corporiſque noſtri fortitudo, ut ſub dio ac nudi vivere poſſemus, ſique cuncta ad ea quæ diximus neceſſaria ſponte obvia nobis fierent, ac denique ſi pauca illa, quibus natura contenta eſſe poſſet, noſtris etiam deſideriis ita ſatisfacerent, ut non quæreremus tanto ſtudio rerum aliarum apparatum, quæ vel ſuperfluæ ſunt, vel ad voluptatem tantum atque mollitiem comparatæ. Fateor quidem eos mortalium, qui maximè barbari ſunt, parum ſollicitos eſſe de acquirenda talium rerum penitiori ampliorique notitia. Vivunt illi ferarum more, victumque in diem plerumque quæritant. Securè iis fruuntur, quæ vel natura vel raptus ſuppeditat. Cuncta diſcriminant externis illis formis, quas ab ineunte ætate ſenſu obſervant. Quæ ipſos latent, non anxiè inquirunt, quia illa ſibi commoda vel neceſſaria eſſe poſſe non vident. Illi verò qui poſita barbarie in magnas coïere ſocietates, vitamque ducunt tranquillam ac manſuetam, quia rerum, quas poſſident, proprietates & dominia accurate diſtinguunt, ſinguli ſua ſorte contenti eſſe debent. Quæ ad vitæ ſuſtentationem neceſſaria habent, non raptu, ſed arte ac-

qui-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

quirunt, & ſi fortunam experti fuerint benigniorem, pacatè iis fruuntur quæ ex bonis propriis proveniunt. Atque in hac vitæ tranquillitate & otii abundantia magis circumſpecti & ad ea quæ quotidiè in vita occurrunt attenti eſſe ſolent homines. Ubi obſervant quippiam, quod uſum vel commoditatem in vita allaturum ſperant, id non contemnunt, vel negligunt, verum diligenter ejus qualitates, formam, operationes, vires uſuſque notant. Sicque inventa fuerunt veſtimenta, caſæ, ædificiaque quibus nos defendimus ab aëris injuria, variæque alimentorum ſpecies ac formæ una cum aëris, aquæ, ignis, tempeſtatum, & locorum quæ inhabitamus differentiis viribuſque diligentius obſervatæ. Eodemque modo notatum etiam fuit, quid herbæ, quid mineralia, quid variæ animalium partes, quid denique innumerabilis illa corporum quæ nos circumſtant multitudo efficiat in corporibus noſtris, quaſve hæc omnia ſibi invicem inducant mutationes, ut eorum commoda proſequi, incommoda fugere poſſimus: quæ prima *artis Medicæ initia* fuere. Acceſſit noſtri etiam corporis curioſior contemplatio; & primum quidem externa ejus forma, ac ſtructura una cum operationibus, accidentibus, morbiſque conſpicuis notata fuere, ſicque exculta fuit *Chirurgia:* deinde verò interior abditarum partium inſpectio in cadaverum animaliumque diſſectionibus fuit tentata, multaque admirabilia & ante incognita, circa partium figuras, magnitudines, nexus, colores, conſiſtentiam, vias & horum omnium denique uſus per *Anatomen* ſunt detecta. Cumque multis rebus ad vitam neceſſariis non ita integris prout occurrunt uti poſſimus, verum vel componendæ, vel dividendæ, vel aliter formandæ ſint ac ſtruendæ, non contenti dignotione earum varietatum, & virium, quas ipſa natura offert, arte naturam perficere,

vel

vel ſuperare laboravimus, quæ prima *Mechanices* artiumque, quas illiberales vocant, initia fuere. Ac denique neceſſum eſt mentem hominis, quæ tot *rerum utilium* notitia quotidie imbuitur, magis magiſque affici plura cognoſcendi deſiderio, tandemque tantam ex rerum novarum cognitione haurire voluptatem, ut, quicquid novum vel incognitum occurrit, ob hoc unum noviſſe ac notare velit, quia ipſa ſibi pretium eſt cognitio. Atque hoc pacto non utilia tantum & commoda ad vitam quæ jam recenſuimus, ſed quælibet etiam alia, quæ *rara* vel *admirabilia* nobis videntur, magna cum voluptate advertimus. Et prout quiſque vel otio abundat, vel ſciolus, curioſus atque admirabundus fuerit, tanto ulterius progreditur in hoc ultimo cognitionis genere, & tanto majori ſtudio ea quæ in cœlis, terra, aqua, meteoris, lapidibus, metallis, brutis animantibus & homine rara occurrunt, memoriæ mandat. Scilicet in ipſis rebus quæ cognoſcuntur invitamenta inſunt, quibus ad earum notitiam movemur. Fictas fabulas, è quibus nulla utilitas duci poteſt, cum voluptate legimus. Etiam pueri ne verberibus quidem à contemplandis rebus perquirendiſque deterrentur: gaudent ſe novi aliquid addiſcere idemque aliis narrare geſtiunt; pupo, ludis ſimilibuſque ſpectaculis in tantum tenentur, ut vel famem & ſitim ea propter perferant; imo ipſa nativitatis hora magna cum voluptate verſus lumina oculos flectimus, ſuavique riſu ſæpè teſtamur, quantum delectationis ex tot novarum rerum intuitu capiant mentes noſtræ.

Atque hæc tam utilis, tam neceſſaria ac jucunda multarum rerum cognito, ea ipſa eſt quam omnibus hominibus communem fecimus. Hujus natales ducendæ ſunt ab ipſo mundi exordio; hæc ante philoſophiæ ſtudium ad aliquam perfectionem perducta, poſteaque à vulgo mortalium

lium exculta fuit: Ut jam quoque ab eo cognitionis genere, quod philoſophi proprium eſt, diſtingui debeat. Et quanquam Europæi, aliæque magis cultæ nationes, ut humanitate & manſuetudine, ita eorum quæ jam recenſuimus ſcientia alias gentes antecellant: incredibile tamen eſt ullos reperiri homines adeo brutos ac barbaros, quin eam harum notionum partem aſſequuti fuerint, qua & vitæ neceſſitatibus ſatisfacere, & animum quoque ſuum nonnihil delectare poſſint. Conſulite eos qui novi orbis barbariem, aut Septentrionis & Auſtri ſtupiditatem viderunt. An non homines illic vivunt ſenſibus ſuis juxta nobiſcum utentes, rerum colores, calores, frigora, ſapores, figuras, motus, magnitudines & ipſam denique ſubſtantiam recte diſtinguentes; multos etiam rerum effectus & vires agendi notantes, & ſi non literas, ſermonem ſaltem quem didicerunt intelligentes? Et annon aliqua eorum quæ hoc pacto cognoſcunt memoriæ tradunt, & ubi opus fuerit imaginatione recognoſcunt, nec non ex notitia una in aliam ducuntur? annon arte naturæ vires ſuperare, machinas extruere, & valetudinis aliquam rationem habere ſolent? Et quidni ea etiam ſcire deſiderent, quæ præter ſcientiam nullam in vita adferunt utilitatem? quid obſtat quo minus præter quotidiana, & ubivis obvia ſenſuum experimenta, ea obſervent, quæ admiranda rara nobiſque magna partem incognita ſunt?

Enimvero quantacunque etiam videatur vulgaris hujuſce notitiæ amplitudo, fieri tamen non poteſt, quin multis *erroribus*, *tenebris*, ac *præjudiciis* ſit obnoxia; vel, ſi quid recte perceptum, penituſque exploratum in ipſa videatur, id tam parum eſt tamque *anguſtis limitibus circumſcriptum*, ut ſuavitate ſua provocet quidem & augeat ſciendi deſiderium, ſed nullo modo extinguat. Diſtinctè quidem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

dem imaginamur quantitatem illam geometricam ſeu extenſionem, quæ omnium corporum communis eſt, & ſine ulla ſenſibili forma conſideratur: partibus autem hujuſce quantitatis quaſlibet magnitudines, figuras, ſitus, motus locales, motibuſque iſtis quaſlibet aſſignamus durationes. Et prout motus cum motibus, figuras cum figuris, magnitudines cum magnitudibus variè componimus, hinc innumeræ exurgunt horum ad ſe invicem habitudines proportioneſque. Et hæc quidem ſic in genere ſpectata nulli non nota eſſe poſſunt: Geometræ autem & mechanici, omneſque illi qui imaginationem rationemque ſuam horum contemplationi aſſuefaciunt, multa etiam particularia de figuris, motibus, & numero præcipue ac magnitudine, quæ puræ matheſeos objecta vocantur, attendendo ac meditando percipiunt. Verè etiam jam ab ineunte ætate concluſum à nobis fuit, hæc omnia generatim ſaltem ſpectata in rebus corporeis, quas ſenſu percipimus, reperiri: &, ſi ſatis propinqua & magna fuerint aliqua corpora, talem ſæpè figuram, magnitudinemque revera habent, qualem ſenſu in iis percipimus. Sed obſecro vos, ut conſiderare mecum dignemini, quàm multa deficiant in particulari iſta magnitudinum, figurarum, motuum ac diſtantiarum notitia; quam obſcuræ ſint qualitatum ſenſibilium perceptiones; & quam nulla ſit intimæ ſubſtantiæ una cum viribus ſuis atque potentiis per corporeos ſenſus cognitio? Annon in vobiſmetipſis & aliis ſæpius obſervaſtis, non ita in parvis aut longe diſſitis corporibus, quam quidem in magnis & propinquis poſſe dignoſci cujus ſint *figuræ*, aut *magnitudinis*, quantumque vel à nobis vel ab aliis *diſtent*? Quotuſquiſque ex vulgo lunam non putat ſtellarum omnium eſſe maximam? & revera eſt minima: & quid ſcimus annon eadem fallacia contingat in pluribus?

& unde

& unde certi fiemus ſolem ſua luce & magnitudine tantum ſuperare ſtellas fixas, quam quidem nobis apparet ex viſus indicio? & quid ni ſtellæ illæ fixæ revera non habeant omnes illas primæ, ſecundæ, tertiæ, quartæ, quintæque magnitudinis differentias, quas oculis exhibent, ſed eæ, quæ videntur minimæ, cur aliis non poſſint eſſe æquales, aut majores, omneſque inſtar ſolis noſtri propria luce fulgere, ac tam parvæ tamen debileſque videri ob immenſam à nobis diſtantiam? Vulgus ex viſus indicio planetis omnibus, ut & lunæ nativam attribuit lucem, quam tamen nullam habent, cum corpora ſint prorſus opaca, terræ noſtræ ſimilia, montibus vallibuſque diſtincta, omneque lumen, quo conſpicua nobis fiunt, à ſole mutuantia. Quam abſurdè oculi judicant de planetarum erroribus? putant eos circa terram fieri, multiſque regreſſibus, accelerationibus, retardationibus, apogæis & perigæis eſſe irregulares, qui tamen omnes uno ſimplici & ordinatiſſimo circa ſolem abſolvuntur motu. Notum eſt, quot ſeculis ante detectum novum orbem terram eſſe planam nulloſque habere antipodas creditum fuerit, atque tam pertinaciter ex ſenſuum præjudiciis aſſertum, ut & ineptum, & ridiculum, & fabuloſum eſſe putaverint contrarium aſſerere. Et ut alii ſenſuum errores, quibus per omnem ætatem aſſueſcimus, ita hic etiam non imperitæ tantum plebis, ſed doctiorum animos occupavit. Cumque rationibus ſtabiliri non poſſet terram nullos habere antipodas, vi ac conſequentiis ex Theologia petitis actum fuit, dictumque quod antipodibus inductis in terrarum orbem alius etiam induceretur Chriſtus. Sic Vigilius Epiſcopus Salæburgenſis, qui pro concione huic errori contradixerat, à Bonifacio Epiſcopo Moguntino crimine impietatis accuſatus, literiſque à Zacharia pontifice impetratis damnatus Sacerdotioque de-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

jectus fuit. Tanta videlicet præjudiciorum vis eſt, tamque arridet nobis imperfecta illa ac in multis erronea ſenſuum cognitio, quam de rebus extra nos poſitis à pueritia coacervavimus, ut illi, qui ſanctiſſimi veritatis cuſtodes eſſe deberent inter homines, tam turpiter lapſi hic fuerint. Et dato quod rerum viſibilium figuras, magnitudines, motus, ſitum atque diſtantiam recte percipiamus, uti id fieri ſæpe fatemur: quid dicendum de tot myriadibus corporum inviſibilium parvitate ſua, quibus pulvis, vapor, fumus, aqua, oleum, vinum, ſanguis, lac, ignis, aër, cœlum, ſol, omniaque fluida conſtant? & annon arbor, lapis, caro, os, ferrum, magnes, ſal, aliaque innumera corpora ſtabilia ex tam parvis in ortu ſuo coaluerunt partibus, ut earum magnitudines, figuræ, nexus & intervalla nullo ſenſuum acumine dignoſci queant? annon multa ſubtiliora corpuſcula craſſiorum intervalla replent ac permeant? annon ex humano corpore aliiſque inſenſilis exſpirat materia? Deſcribite nobis, quotquot tantum tribuitis ſenſibus veſtris, horum omnium numerum, magnitudines, figuram, motum, intervalla, diſtantiam, vel propinquitatem. Quantum verò ad *lumen, colorem, odorem, ſapores ſimiliaque propria ſingulorum ſenſuum objecta*, ea quidem valde clarè percipere nobis videmur, ſed propius noſtras de iis perceptiones inſpicienti manifeſtum fit, eas intimam veramque qualitatum iſtarum naturam nullo modo detegere. Hoc enim ſi ita ſe haberet, & infans, & demens intelligerent in quo conſiſtat tot ſaporum, colorum, odorum, ſonorumque, quos ſapiens ſæpe admiratur, varietas: & ſi verum ſit, quod ab infantia nobis perſuaſimus, bruta animantia iiſdem nobiſcum gaudere ſenſuum perceptionibus, annon canis majorem odorum notitiam habet ſuo domino? an accipiter, an aquila non rectius percipit, quid lumen, & co-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

& color ſint in re viſibili, quam philoſophus hoc unquam percipere poteſt?

Nos aper auditu præcellit, aranea tactu,
Vultur odoratu, lynx viſu, ſimia guſtu.

Philoſophi occultas vocant eas qualitates quarum quidem effectus & operationes videmus, intimam vero naturam ſenſu non attingimus: taleſque ſunt apud ipſos vires magnetis, pæoniæ, rhabarbari & pleræque naturales agendi potentiæ, quas idcirco ſenſui non obvias eſſe docent. Sed ô boni, quæ quæſo eſt manifeſta illa notitia quam de qualitate, quæ afficit ſenſum, evidentiorem habet vulgus quam de vi magnetica? annon uti ignem calefacere, & comburere, acetum attenuare ac incidere, aquam humectare, annon ita, inquam, magnetem ferrum ad ſe allicere, pæoniam comitialem morbum curare & rhabarbarum purgare, ſenſuum experimento conſtat? Et ſi quæram in quo conſiſtat vis illa incidendi in aceto, humectandi in aqua, comburendi in igne, aliudne reſpondetur ex communi hominum notitia quæ ex ſenſibus hauritur, quam hanc eſſe & ignis, & aceti, & aquæ proprietatem ſeu qualitatem, ut opera iſta præſtare poſſint? Quod cum de vi magnetica omnique alia occulta qualitate, cujus effecta ſenſu percipimus, dici etiam poſſit, quid cauſæ eſt quod magis manifeſtæ nobis videantur vires ignis quam magnetis? Nil juvat enim quod uti ignis facultas caloris ita pleræque aliæ, quæ manifeſtæ dicuntur, ſuo indigitentur nomine, vis autem magnetis, pæoniæ ſimileſque nomine careant. *Non enim*, uti Fernelius lib. 2. de abditis rerum cauſis cap. 17. ſapienter hic reſpondet, *ex nominum ſed ex rerum ſcientia ducenda eſt cognitio.* Et quanquam ignis ſuo calore & lumine non ſolum in rebus extra nos poſitis operetur, verum etiam paſſionem aliquam imprimere ſoleat ſenſui,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

nihilo hinc manifeſtior evadit caloris & luminis natura. Deſcende in te ipſum quiſquis hac de re dubitas, & vide an tam manifeſta tibi ſit harum qualitatum, quam quidem cubi, vel trianguli, vel extenſionis natura. Hærebis quidem prima vice, eo quod per omnem vitam ex judicio infantiæ tibi perſuaſeris, id omne, quod exhibetur ſenſui, tale eſſe in rebus extra nos poſitis, quale repræſentatur in ſenſus perceptione: ſed ſi examines, ſi attendas, quidnam ſit quod iſte ſenſus ex. gr. ſoni, vel caloris, vel coloris, tanquam in corpore ſonoro, calido & colorato tam aperte tibi oſtendere videtur, facile advertes, te quidem poſſe concludere, aliquam in corporibus iſtis eſſe qualitatem perceptiones iſtas in ſenſu excitantem, ſed quæ propria ſit hujuſce qualitatis natura, id ſenſus non tam aperit quam abſcondit. Quis enim de continui ſolutione cogitat ubi ſentit dolorem? Quis in ventriculo percipit eam nervoſarum partium vellicationem & punctionem, à qua excitatur ſenſus famis? quis tremulum aëris motum ſibi imaginatur, ubi audit ſonum? Certè nulla inter haſce ſenſuum perceptiones & corporis noſtri rerumve externarum qualitates, quas ſignificant, reperitur ſimilitudo. Et unde quæſo conſtabit reliquorum etiam ſenſuum, ut & qualitatum quas percipiunt non parem eſſe rationem? Et quis tamen ex vulgo ad iſta attendit? quis non ſenſuum ſuorum perceptiones veras & expreſſas rerum ſenſibilium imagines eſſe putat?

Sed ut liberalius vobiſcum agam quotquot nimium tribuitis vulgi & ſenſuum notitiæ, largiemur inpræſentiarum, præter externas corporum figuras, magnitudines ac motus, etiam colores, calores, ſapores reliquaſque patibiles à philoſophis dictas qualitates recte percipi à ſenſibus veſtris, quid verò dicetis de intima ac propria cujuſ-

que

que corporis *ſubſtantia* ac *forma*? Annon ſua etiam penetralia intimoſque receſſus habet natura? annon ut in ædificiis hominum, ita etiam in corporibus ab ipſo Deo creatis plus artificii ac pulchritudinis in interioribus latet, quam in extima ſuperficie ac primo aditu? annon igitur interiorum illarum partium, quæ ſenſus fugiunt, ſuæ ſunt figuræ, magnitudines & nexus? annon hæ etiam propriis ſibi motibus moveri poſſunt, &, ubi nectuntur inter ſeſe, annon intervalla ac interſtitia aliqua ex figurarum irregularitate inter ipſas remanent? Hæc ſi nota vobis non fuerint, uti revera non ſunt, quid aliud erit externas iſtas formas noviſſe, quam vitrum lambere cum vulpe & pultem non attingere? Et ſane miſerior eſt hac in parte hominum quam vulpis conditio: vulpes enim pultem quidem non attingit, quamdiu vitreo vaſi eſt incluſa, ſed eam tamen per pellucidam ejuſdem vaſis ſubſtantiam foras intuetur, ſicque memor dulcedinis quam pabulo ſuo ineſſe novit, non tam vitrum lambere, quam perfringere, adeoque ipſa frui pulte unicum ejus deſiderium eſt. At verò cortex ille externorum accidentium, cui rerum corporearum medulla maximæque naturæ dilitiæ includuntur, non ulli ſenſui eſt pervius, neque ut vulpi pultem ita nobis naturæ medullam prius deguſtaſſe contigit, verùm primæ ætatis cogitationes totæ occupatæ fuerunt in externo tantum cortice lambendo. Hiſce adde quod non omni ſapore & ſucco deſtitutus ſit naturæ cortex, uti vas vitreum, ſed nonnihil grati & non omninò inutilis ſucci hauriri inde ſolet. Imo omnes illæ ſenſuum perceptiones, quibus in lambendo utimur, neſcio quas in ſe continent illecebras, quibus dici non poteſt quantum afficiantur & delectentur humanæ mentes. Hæ nos avocant ab intimis naturæ penetralibus, hæ efficiunt ut non cum vulpe ad

ipſam naturæ pultem penetrare, ſed perpetuò ejus corticem lambere velimus; & ut pueri lactis ſaccharique dulcedine pellecti ſolidiores cibos non quærunt ſed faſtidiunt ſæpe, haud aliter humanus animus ita capi ſolet prima illa dulcedine quam ineunte ætate in ſenſuum perceptionibus experitur, ut poſteà ſolidioris contemplationis pabulum nunquam ſæpe deſideret. Tantumque poteſt continua illa aliquot annorum conſuetudo non niſi extima naturæ corporeis ſenſibus delibandi, ut non eorum tantum, quæ ſub externis rerum ſenſibilium formis latent, penitus obliviſcamur, ſed paulatim etiam nobis perſuadeamus, nil quicquam in rerum natura exiſtere aut intelligi à nobis poſſe, niſi quod ſenſibilibus ejuſmodi aut corporeis ſaltem formis præditum ſit. Ita omne ſpatium, in quo nihil occurrit quod moveat ſenſum, omni etiam ſubſtantia vacuum ac merum nihil eſſe putatur; cum tamen vacuum & deſtitutum non ſit quantitate & extenſione, qua res verè ſubſiſtens eſt. Minus ſubſtantiæ creditur eſſe in aëre & fumo, quam in auro aliove ſolido & gravi corpore. Atque ita generatim ea omnia, quæ magis afficiunt ſenſus, etiam majora, vel præſtantiora & fortiora eſſe judicamus; quæ minus, contra. Et quod mireris, tantum potuit hæc primæ ætatis ſenſuumque noſtrorum inconſiderantia, ut multi etiam philoſophi communem rerum corporearum materiam, præter quam nihil in ipſis ſubſtantiale intelligi poteſt, pro ſubſtantia haberi noluerint, ſed modo ens in potentia, modo non ens, modo puram vocaverint potentiam. Et quanquam hæc materia non tantum diviſibilis, ſed reipſa etiam diviſa ſit in innumeras particulas, quæ omnem ſenſum fugiunt, quotuſquiſque tamen de iis cogitat? Flamma ex ſolo fumo, omniſque ignis ex ea tantum conſtare putatur materia, qua ali ipſum videmus.

Neſcit

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

Neſcit ſenſus quod ſapiens antiquitas docuit & Ariſtoteles etiam admiſit, quod nempe materia quædam valde ſubtilis & agilis omnia corpora permeet & unumquodque pro ſua aptitudine moveat, ſicque multorum operum, quæ vulgus admiratur, præcipua ſit cauſa. Ubi corpus aliquod expanditur & majus fit, nihil ipſi accedere, ubi ad minorem contrahitur quantitatem, nihil ipſi decedere putamus, quoties id oculis corporeis non fit conſpicuum; & quicquid in auras abit ſenſumque omnem effugit, id ex rerum etiam natura abiiſſe ac prorſus evanuiſſe nobis perſuademus. Et ut dicam uno verbo, multa præſtantiſſima efficaciſſimaque mundi corpora, multæ naturæ vires & operationes ſcitu digniſſimæ, multæ corporum formæ ac proprietates ob hoc unum non conſiderantur, ſæpeque etiam negantur, quia nullum ſenſum ab iis affici experimur. Eandemque ob cauſam tam rarò in ſe ipſas deſcendunt humanæ mentes: aut, ſi hoc quandoque tentent, magnam in cogitationibus tarditatem, in perceptionibus ſtuporem confuſionemque experiuntur, &, niſi vel divina gratia hoc impediat, vel hominum traditiones aut ſalutaria philoſophiæ præcepta aliter doceant, ſeipſas vel tenue corpus, vel craſſi illius, quod oculis vident & manibus palpant, qualitatem ſeu perfectionem quandam eſſe autumant: Et, ne unquam à ſenſuum & imaginationis præſcripto deflectant, gloriam Dei immortalis in imaginem hominis, vel beſtiæ, alteriuſve corporis transformant. Tandemque advertentes, tam abſurdum imaginationis ac ſenſuum ſuorum idolum, non eſſe verum illum & perfectiſſimum rerum omnium Creatorem qui Deus dicitur, neque alium ab omni materia ac ſenſibili forma ſecretum apprehendere valentes, ejus exiſtentiam, in qua ipſimet vivunt ac ſubſiſtunt, vel in dubium vocant, vel prorſus abnegant.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

Ex dictis facile liquet, quid de notitia *mutationum operationumque*, nec non *facultatum* ſeu *virium*, à quibus procedere cogitantur, ſit dicendum. Si enim mutatio ſecundum ſubſtantiam internamque formam contingat, ea certè à nemine intelligi poteſt qui formam illam ac ſubſtantiam non prius perſpectam habuerit. Et quis dicat quid ſit calefactio, refrigeratio, induratio ullave alia ſecundum ſenſibilem qualitatem mutatio, niſi qui & caloris, & frigoris, & duritiei, & reliquarum qualitatum naturas intellexerit? Videmus quidem arbores & animalia creſcere, ſed quam remotum eſt ab oculis corporeis vulgarique hominum notitia, quo pacto iſta accretio perficiatur? Sola ſecundum locum mutatio, quæ vocatur Motus, haud difficulter vulgo concipitur, &, ubi in ſatis magna corpora inciderit, corporeis etiam agnoſcitur oculis: ſed quis non capit motum adeo poſſe accelerari aut in tam minutis corpuſculis reſidere, ut nullus ſenſus aſſequi eum poſſit? Et verum quidem eſt, omnem motum & mutationem vim aliquam & potentiam, à qua proficiſcantur, arguere, ſed quis ſenſus certos nos faciet, an in eo quod mutatur vel movetur, an in alio reſideat iſta vis? Planetarum errores, gravium deſcenſus, levium adſcenſus, magnetis directionem ad polos mundi, ferri cum magnete conjunctionem, animalium inceſſus quotidie videmus; cordis, ventriculi, muſculorum ſimiliumque corporis noſtri partium opera & functiones ſæpe notamus: cauſas vero horum omnium, ſi ex ſenſuum indicio diſcere velimus, eas non alias eſſe putabimus, quam hæc ipſa craſſa corpora, quæ oculis videmus & manibus palpamus, quandoquidem nihil præter ipſa ad exequenda hujuſmodi opera concurrere videmus. Atque hoc pacto & in planetis, & in magnete, & in lapidibus, & in muſculis, & in ventriculo ſimilibuſque craſſis &

otioſis

otioſis ſua natura corporibus, neſcio quas naturales & ad opera iſta ſufficientes potentias effingemus, viamque præcludemus intellectui veras talium operationum cauſas alibi extra hæc corpora indagandi. Si verò quandoque conſtet cui corpori vis & agendi potentia competat, intelligi inſuper debet, quæ & qualis ſit vis iſta ſeu in quo conſiſtat. Et hoc quidem ex parte intelligitur in potentiis mechanicis, quatenus illæ ab iſtiuſmodi corporum magnitudinibus, figuris, nexu ſituque dependent, quæ oculis conſpici poſſunt: at verò naturæ opera tam ſubtili perficiuntur artificio, ut nullus corporeus ſenſus aſſequi illud poſſit. Et novit tamem imperitiſſimus quiſque, igni vim quandam ineſſe, qua multa corpora comburuntur, diſſipantur, liquefiunt, concoquuntur, indurantur, & quis neſcit, vino, pani aliiſque alimentis ineſſe aliquam potentiam vires noſtras inſtaurandi & alendi? innumeræ herbarum facultates, cœli, aëris, anni tempeſtatum, ventorum, aquarumque potentiæ ipſis barbaris & infimæ plebi innotuerunt: ſed an quiſquam eorum intimas harum potentiarum naturas intelligit aut intelligere ſtudet?

Liquet etiam, quantum tribui debeat ultimo humanæ cognitionis ſubſidio, quod ex *ſermone* & *literis* petitur. Si enim literæ vocum, & voces humanarum cogitationum & conceptuum ſigna ſunt, apertum eſt, non aliam ex librorum lectione & vivis ſermonibus hauriri notitiam, quàm quæ comprehenſa primum fuerat in loquentis & ſcribentis animo. Si igitur evidens, ſi ſolida, ſi profunda, ſi ab errore, ſi à tenebris, ſi à præjudiciis vacua ſit ſcientia ore prolata aut ſcripto conſignata, fieri etiam non poteſt, quin is, qui ſermonem literaſque illas novit, multo hinc evadat ſapientior. At ſi ut communiter fit res obviæ & leves, ſi errores, ſi tenebræ, præjudicia & conjecturæ voce aut

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

ſcripto-communicentur, quid aliud inde exſpectes quam confirmationem & incrementum, tenuis illius ac ſuperficialis, nec non obſcuræ, præcipitis, conjecturalis & magnam partem erroneæ cognitionis, quam omnium hominum communem eſſe oſtendimus?

Liquet denique ex his omnibus, quæ de communi mortalium notitia breviter dicta fuerunt, quodnam *philoſophi circa naturæ contemplationem officium* eſſe debeat. Scilicet non circa cruſtas & prima rerum involucra hærere, ſed interiora ſcrutari abditaſque eruere debet cauſas: & cum vulgus in proximis obviiſque cauſis ſubſiſtat, philoſophus earum ſeriem nexumque debet perſequi, donec ad eam pervenerit quæ omnium prima eſt & potiſſima. Vulgus non caloris, non frigoris, non humidi, non ſicci, non duri, non mollis, non fluidi, non acidi, non ſalſi, non odoris, non ſoni, non lucis, non colorum, non ponderis, non coctionis, non nutritionis, non vitæ ullas quærit cauſas; ſed hæc aliaque ſimilia tanquam vulgaria & ubivis obvia contemnit & negligit: Philoſophi verò prima cura in hoc uno poſita eſſe debet, ut ante omnia eorum, quæ ita obvia ſunt, ſcientiam ſibi paret, quò poſtea, hiſce bene perſpectis, ad eorum etiam, quæ magis abſtruſa videntur, indagationem pergere, tandemque ad intimos naturæ receſſus penetrare poſſit. Vulgus naturæ opera admirando, philoſophus eadem per veras cauſas intelligendo & quantum poteſt admirationem tollendo ſe oblectat: vulgus valde exultat, ubi rarum quippiam, quod nec auditum nec viſum nec alio ſenſu notatum ſibi antea fuerat, detegit: philoſophus non tam raritate ac novitate, quàm utilitate & cognitionis evidentia metitur ſcientiam rerum. Vulgus non aliam effectuum cauſam dare ſolet, quam hanc eſſe rerum naturam, taleſque iis inditas eſſe poten-

tias,

rias, ut opera quæ vident præſtari ab iis poſſint; philoſophus inquirit quibus de cauſis agendi potentiæ rebus inſint, quæque ſit intima earundem natura. Vulgus externas tantum rerum differentias formaſque obſervat; philoſophus ad interiora deſcendere, minutiſſimarum partium ſtructuram, nexum & intervalla aperire, latentes motus notare, & totum denique naturæ artificium una cum ſuis cauſis retegere debet.

Magna hæc ſunt, & ſoli Deo penitus perſpecta. Sed non novimus vires noſtras, quando nihil horum ſciri poſſe putamus. Pium quidem eſt, naturæ propriæ infirmitatem agnoſcere, ſed imprudentia eſt, id omne quod factum à te non fuit hactenus, nunquam fieri poſſe aſſeverare. Imo ſumma ſuperbia & invidia eſt, ſuæ cognitionis infirmitatem in naturæ ac ſcientiarum calumniam & aliorum omnium deſperationem vertere. Hinc pertinax illa Scepticorum dubitatio, qua nihil tanquam ſatis perſpectum exploratumque aſſerere auſi, ab omnibus aſſenſionem cohibent. Hinc ſuperba Academicorum acatelepſia, quæ humanum genus ad ſempiternas tenebras damnavit, omnemque evertit ſcientiam, clamans fallaces eſſe ſenſus, infirma judicia, res ipſas inexplicabilibus difficultatibus obductas, ita ut aut nihil ſit verum, aut, ſi quid eſt, id certè à nobis animo cerni & comprehendi nequeat. Nobis autem vobiſque omnibus longe alia mens eſſe debet. Scimus rationem illam veſtram, quam abſque ſapientiæ præceptis cum vulgo mortalium communem habetis, ex multa fide, ex multo etiam caſu & conjecturis, nec non ex puerilibus quas prima ætate temere recepiſtis notionibus ac præjudiciis farraginem quandam eſſe & congeriem, adeoque non poſſe non multis modis eſſe obtenebratam, impeditam atque diſtortam. Scimus ſenſuum veſtrorum per-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

ceptiones ad intima rerum non pertingere, & ea etiam, quæ in ſuperficie reperiuntur, imperfecte dignoſcere: ſcimus inconſiderata illa eorundem ſenſuum judicia, quibus ab ineunte ætate uſi fuiſtis abſque ſufficienti examine, multis fallaciis erroribuſque eſſe obnoxia. Sed, ſi hac matura ætate quam degitis, ſi hiſce ſenſibus quibus nimium tribui non debere jam noviſtis, ſi mente repurgata, ſi judicio circumſpecto, ſi ratione ſevera ſolidæque ſapientiæ præceptis confirmata, ſi denique intellectu virium ſuarum conſcio atque ex corporeorum ſenſuum anguſtiis aſſurgente, vos ad naturæ contemplationem applicetis, creditiſne aliquam diſtantiam, aut materiæ ſubtilitatem, aut externorum accidentium corticem arcere vos poſſe à rebus perſpiciendis? Fiat periculum, audentes fortuna juvat. Si non omnem, multam ſaltem ex naturæ puteo eruetis veritatem, multos ante actæ vitæ errores detegetis, multas diſcutietis tenebras. Utinam omnes Magni Alexandri animos haberetis, & non minores propriæ mentis debellaretis hoſtes, quàm ille Aſiæ domuit populos, & ut ille multorum regnorum, ita vos totius univerſi ac naturæ ſpoliis reverti poſſetis ab expeditione veſtra. Non magna militum manu, non multis opibus & commeatu opus eſt, ſed animi conſtantia & fortitudine, ſed mente purâ, quam ut morigeram præſentemque in ſtudiis habeatis, non niſi à vobiſmetipſis dependet. Non effœta & inertia jam vivitis ſecula, ſed ea potius, quibus ſcientiam multiplicatum iri, ab eo, qui falli nequit, prædictum fuit. Hæc noſtra tempora vera mundi ſenectus ſunt: vos juvenes pygmæorum inſtar antiquitatis humeris inſiſtitis. Quid ni ergo tam longe in hoc univerſum proſpicere, & cum Democrito, Platone, Ariſtotele ſimilibuſque Græciæ heroibus ſupra vulgus ſapere, intima rerum corporearum penetralia ſubire,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

ſubire, atque ita vos veluti dominos ac poſſeſſores naturæ efficere laboratis? Me quod attinet, polliceor vobis ex animo & addico operam meam, quæ vobis ſtudiiſque veſtris non privatim tantum, ſed publicè etiam militabit. In quo quidem labore egomet mihi ipſi delectationem aliquam & alacritatem certo promitto, utpote quam in propaganda & detegenda veritate expertus jam ſæpius fuerim in ſcholis privatis. Veſtra autem erga me benevolentia, & prona ad audiendum aſſiduitas, ut perpetuò conatibus noſtris reſpondeant, mihique & vobis continuò adſpiret divina benignitas, à Deo Opt. Max. datore omnis boni & patre luminum ex intimis præcordiis precor.

DISSERTATIO
DE
SAPIENTIA VETERUM,

Quæ partim vera partim non vera Philoſophia fuit.

Recitata in Illuſtri Amſtelodamenſium Athenæo, cum Primariam Philoſophiæ Profeſſionem auſpicaretur 17 Januarii Anno 1669.

EX Academia toto orbe celeberrima ad illuſtre Athenæum accedo, & in Urbem venio, quæ compendium orbis, Naturæ delicium, artis ac induſtriæ omnis miraculum eſt. At hæc tanta rerum mearum, & imprimis loci mutatio, hactenus tam me turbare & movere viſa nondum fuit, quam quidem præſens apparatus & ſolemnis hic omnis actus turbant atque movent me. Siquidem per tot annos Philoſophus

phus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

phus qui fui, jam Orator videor in ſcenam prodire. Quod, ſi quicquam aliud, à meo alienum genio & parum conveniens meæ profeſſioni eſt. Atque ideo non tam mea voluntate accidit, quam more recepto & conſuetudine, quæ pro lege ſunt. Philoſophiæ ſtudium non aliud quam Veritatis eſt: Hoc ſolo Philoſophi ſumus. At Veritas in ſe ſimplex & nuda cum ſit, ſimplex & apertum & pauciſſimis contentum verbis dicendi genus poſtulat. Suis ipſa pollens viribus, ſuis freta præſidiis, aut nihil, aut non admodum externa auxilia requirit. Fucum & pigmenta reſpuit, cupit nuda videri nativa pulchritudine ſua. Verborum lenocinia, quibus inſidiæ auribus ſtruuntur, non admittit, fugit ambages, declinat inutilem apparatum. Et ſine his tamen conſtare oratio non videtur, quæ *hominum ſenſibus ac mentibus accommodata*, quæ apta ad perſuadendum ſit. *Qua prudentibus diſerte, ſtultis etiam videmur vere dicere.* Hæc enim, ſi Tullio credimus, principi oratorum, propria Oratoris laus & facultas eſt. Quâ ratione recte putamus Philoſophum ſuo munere fungi, & ſpartam quam nactus eſt, exornare, quando breviter, perſpicue & nervoſe ſecundum veritatem dixit, quæ contenta doceri eſt. Cum Orator debeat copioſe, fuſe & ornate ſecundum opinionem dicere, quæ debet perſuaderi. Quia veritatem & evidentiam non habet, quam in docendo requirimus. Proinde Philoſophus, qui pariter vellet Orator eſſe, cujus ego jam videor partes ſuſtinere, ſic dicere deberet ſecundum opinionem, ut pariter ſecundum veritatem diceret; Quod eſſet uno atque eodem dicendi genere docere ac perſuadere. Id vero mihi ſaltem ſatis arduum ac difficile videtur, qui per tot annos rerum potius quam verborum ſollicitus fui. Qui expertus ſum, non omnium aures ad veritatem factas eſſe, ut quidem ad opinionem. Communiter probabilia &

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

in promptu poſita delectant, Philoſophus ad recondita & abſtruſa contendit. Non eum deterret difficultas, ſed exſtimulat. Non obtundit ſubtilitas, ſed exacuit. Non dura, non cruda illi veritas videtur, quando ſine condimento eſt. Hæ me rationes movent, Aud. omnium Ordinum ac Dignitatum excellentiſſimi, ut non videar veſtræ de me exſpectationi ſatisfacere poſſe, ſi Philoſophum Oratorem exſpectetis. Atque ideo non ſine timore aliquo hodie in publicum prodeo, & cathedram conſcendo, quæ oratore philoſopho olim celebris fuit. Attamen id quoque eo majore fiducia facio, quo plures adeſſe novi, qui veritatis amore huc confluxerint. Qui norunt mecum, quam difficile ſit, vel Oratorem Philoſophum, vel Philoſophum Oratorem eſſe. Quamobrem, non ut forte Orator faceret, putans ſe de omnibus rebus diſſerendi facultatem habere, alienum à mea profeſſione argumentum ſumam, de *Sapientia Veterum* dicturus, quæ *vera vel falſa Philoſophia eſt*. Et quod ante omnia Philoſophum decet, in dicendo conabor veri & falſi rationem reddere: Quæ manifeſta fiet, ſi ſeriem temporum & periodos ſpectemus, quibus vel in bonam, vel in malam partem inſignis mutatio accidit. De quo illuſtri ac ſublimi argumento, ſi neque ita nervoſe & plene, ut Philoſophum, neque adeo ornate & copioſe dixero, ut Oratorem decet, utrimque æqui bonique conſulere debetis: ſiquidem una atque eadem non poſſit dictio Philoſophi atque Oratoris eſſe.

Prima tempora ſi ſpectemus, quibus primum incepiſſe videtur Philoſophiæ Studium inter homines, quod Studium Sapientiæ eſt, cenſeri poſſunt ea fuiſſe, quibus veritatem cœperunt ac veram ſcientiam quærere & comprehendere ex parte. Proinde ſi natura omnes homines ſcire deſiderant atque amant veritatem, & qualemcunque veri

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

ſcientiam habent, atque ita pariter affecti omni tempore ac ab initio fuerunt: Non aliud Philoſophiæ, quam generis humani videri poteſt initium fuiſſe, eſſemuſque adeo omnes à natura Philoſophi. Quæ conſideratio, ſicut olim gentiles movit, ut Deorum, ita Chriſtianos, ut veri Dei Philoſophiam dicerent donum atque inventum eſſe, ab initio potiſſimum inter primos ac ſapientiſſimos homines diſtributum, à quibus id acceperint poſteri eorum. At mea quidem opinione longe aliter de Philoſophia ac Studio ejus ſentiendum eſt, & non tam alte ducenda origo ejus. Siquidem omnes homines, ut oportet, natura ſcire non deſiderant, neque ut videri volunt, amant & comprehendunt veritatem, quam nos amare & conprehendere Philoſophia docet. Non ſcientia, non veritas omnis Philoſophiæ propria eſt, ſed ea tantum quæ rerum in ſe ipſis ſpectatarum ſecundum verum intellectum eſt: quæ eſt una tantum ſicut verus intellectus eſt unus. Habent artes ac diſciplinæ omnes veritatem ac ſcientiam aliquam. Quas tamen poſſumus ac debemus à Philoſophia diſtinguere. Quia alius conſiderandi modus, alia veritas & ſcientia eſt. Quin communis ſenſus & vulgaris intellectus ſuo modo veritatem habent: quæ etiam ſine ſcientia non eſt. An idcirco omnes homines Philoſophi ſunt? An vulgaris populariſque notitia Philoſophia eſt? Eſt vitæ & morum diſciplina inter homines, eſt Naturæ Hiſtoria & contemplatio, eſt Ratiocinatio ac rationis uſus, atque ab initio fuerunt iſta. An idcirco pariter de his vera ſcientia, An triplex Philoſophia eſt, atque ab initio fuit, Moralis, Naturalis ac Rationalis, ſicut debet eſſe? *Philoſophia Moralis* ars bene beateque vivendi exiſtens ſecundum verum intellectum, pariter docet nos in vita & moribus bonum à malo, virtutem à vitio ſecundum veritatem diſtinguere. Quatenus animus ſe ipſum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

ipſum cognoſcens atque in ſe virtutis rationem intelligens, primum ſui, hinc aliarum rerum poteſt pretium æſtimare. Quo fit ut non amplius totus corpori ſerviens, atque in eo ſenſibus & affectibus ſuis, etiam non ſinat ſe ſeduci ab iis: ſed rationem velit ac intellectum ſequi. Quæ prima, ſi non unica, virtus eſt, ſub ſe omnes alias complectens. Ita fit, ut quiſque apud ſe ſcientiam habens cum bona conſcientia, inter alios viri boni officium præſtare, apud ſe imprimis voluptatem & dolorem contemnere, hinc mortis metum effugere, & ſic porro alia omnia quæ cadere in hominem præter voluntatem poſſunt, ſubter ſe habere, deſpicere, atque omni culpa carens præter ſe ipſum cenſere poſſit nihil pertinere ad ſe. Jam vero quæ communiter inter homines eſt vitæ & morum diſciplina, aliquo modo quidem & qualicunque ratione ars bene beateque vivendi eſt, bonum à malo, virtutem à vitio diſcernens. At non tam ſecundum veritatem & verum intellectum, quam ſecundum ſpeciem & opinionem, quæ fundata plerumque in utilitate eſt. Hæc communiter inter homines loco veritatis ac veri intellectus ſunt. Quo fit, ut communiter cum non intelligant homines pretia rerum, ſicut veritatem non intelligunt, neque ſuam poſſint, neque aliarum rerum dignitatem æſtimare. Ut non tam rationem velint, quam ſenſus & affectus ſequi, ut eant qua itur, non qua eundum eſt, & ſequantur antecedentium gregem. Ut exemplo & conſuetudine malint, quam certa cognitione duci. Hinc leges, hinc inſtituta petunt. Hæc vitæ & morum diſciplina eſt. *O vitæ* hæc diſciplina *dux! ô virtutis indagatrix, expultrixque vitiorum! Quid non modo nos, ſed omnium vita hominum ſine te eſſe potuiſſet! Tu urbes peperiſti! Tu diſſipatos homines in ſocietatem vitæ convocaſti! Tu eos inter ſe primo domiciliis, deinde conjugiis, tu literarum & vocum communione junxiſti!*

xiſti! Tu inventrix legum, tu magiſtra morum fuiſti! Ad te confugimus, à te opem petimus! Tibi nos totos tradimus. Etenim, quanquam magnifica hæc ſunt, totidem verbis in laudem Philoſophiæ ab Oratore Philoſopho Marco Tullio recitata, quid eſt quod non communis ſenſus & qui cum eo junctus eſt intellectus, quid quod natura non doceat nos? Imprimis enim ſi vitam velimus ſingulorum hominum ſeorſim ſpectare, ut quiſque ſibi vivit & res ſuas apud ſe agit, ſequitur plerumque genium & naturam ſuam. Ut vitio naturæ mali, ita bonitate boni ſunt, fortes, temperantes, manſueti, modeſti, generoſi, liberales, prompti, diligentes. Quatenus in his atque multis aliis, ut communiter pro virtutibus habentur, partim externa ſpecies in corpore ſpectatur, quæ tam in cæteris animalibus, quam in homine eſt; partim animi mores temperamentum corporis ſequuntur. Qui hoc pacto natura boni non ſunt, neque per omnia poſſunt, aut volunt ſequi eam, ſæpe exemplo, monitis, item mali aut pœnæ formidine fiunt boni. Atque ita quod natura pariter in omnibus non præſtat, ſæpe uſus & exercitatio efficit. Quæ idcirco etiam vitæ & morum ſcientia ſecundum verum intellectum non eſt, quam nos Moralis Philoſophia docet. Deinde ſi inter omnes homines vocum, inter pleroſque literarum communio eſt, hoc etiam donum atque inventum Philoſophiæ non erit, ſed Naturæ quæ omnium communis eſt. Porro donum atque inventum Philoſophiæ non ſunt, maris atque fœminæ conjunctio, quam nos *Matrimonium* appellamus, non liberorum procreatio, non educatio, non amor parentum erga liberos, non honor & veneratio parentum, & quæ conſequuntur ex his. Quia ſi ſecundum ſenſum & externam ſpeciem ſpectantur, ut communiter ſolent ſpectari, videntur communia nobis cum brutis animantibus eſſe: quatenus commune nobiſcum corpus

pus habent, ſenſumque & vitam communem. Ita enim jus Naturale definitur, quod Natura omnia animalia docuit, quæ in cœlis, quæ in terrâ, quæ in aquis verſantur. At ſi ſecundum Rationem ſpectantur & internum animi actum, videri poſſunt omnium hominum ſaltem communia eſſe, quatenus in omni homine tam Ratio, quam Senſus, & qualiſcunque internus animi actus eſt. Cætera quod attinet, quæ ſola per ſe nos videtur Ratio docere, uſu exigente & neceſſitate aliqua, ut quæ vel juris gentium inter omnes homines, ut emptio, venditio, locatio, conductio & talia: vel juris civilis ſunt, quod ſibi proprium quiſque populus conſtituit; in his externa ſpecies etiam multum ab interno animi actu differt. Et externam ſpeciem, hic etiam videmur poſſe, in aliquibus ſaltem, communem cum cæteris animantibus habere, internum animi actum, cum hominibus cæteris. Atque etiam in Jure gentium omnes homines, in Jure civili populum, aut civitatem, una dici poteſt Ratio movere, quæ non tam veritas & verus intellectus, quo juris originem & veram cauſam novimus, quam utilitas, opinio, & ſæpe vis & autoritas eſt ac poteſtas imperantis. Et ſic putamus, non ullis Philoſophiæ præceptis, non ſcientia vera, quæ certa & evidens cognitio rei per cauſam eſt, verum neceſſitate, utilitate, & quod præcipuum eſt, naturæ ductu & inſtinctu quodam, diſſipatos homines in ſocietatem vitæ convocatos urbes exſtruxiſſe, inter ſe domiciliis & conjugiis junctos leges inveniſſe, atque hanc primum fuiſſe vitæ & morum magiſtram, ad quam confugimus, à qua opem petimus omnes.

Sequitur *Philoſophia Naturalis*, quæ docere nos debet ſenſibilia per intelligibiles cauſas explicare, atque adeo externam ſpeciem à rebus ipſis & intrinſeca veritate diſtinguere. Quo ſit ut cognitio noſtra non Naturæ Hiſtoria &

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

obſervatio tantum, quæ de manifeſtis ſecundum ſenſum eſt, ſed vera ſcientia ſit, quam de occultis poſſumus ſecundum intellectum habere. Ita vero occultæ in Natura omnes rerum cauſæ ſunt, occulta eſt connexio cauſarum & rerum inter ſe, ad quam in vera ſcientia Naturæ ante omnia attendendum eſt. Quatenus ut cœlum terræ miſcetur atque omnibus aliis corporibus, quæ complectitur ambitu ſuo, ita virtute & influxu cœli ſubſiſtunt omnia, atque habent naturam & formam ſuam, quæ hoc pacto etiam in continuo motu & fluxu eſt. Ita vero non unum poſt aliud corpus, ac ſine alio, verum multa debemus ſimul ſpectare, ſpectata unitate & connexione quam in mundo habent, & qua ſunt partes mundi, quæ non poſſunt unæ ſine aliis eſſe: quia omnes cohærent inter ſe. Atque hæc demum vera ac unica Naturæ ſcientia: Hæc vere Naturalis Philoſophia eſt. At enim communiter omnes homines imprimis Naturæ hiſtoriam & Naturæ ſcientiam non diſtinguunt hoc pacto. Et Hiſtoria contenti, ſatis eſſe putant ſenſibiles effectus notare, qui manifeſti ſunt. De occultis atque abditis rerum cauſis, quæ tantum intelligibiles ſunt, vel non cogitant prorſus, vel ſecundum ea quæ ſe putant in ſe ipſis aut rebus aliis deprehendiſſe, eas imaginantur aut fingunt tantum. Atque ita pariter quoque vix aliud in Natura quam externam ſpeciem ſpectant, quæ non tam in rebus ipſis, quam noſtro de iis ſenſu, non cauſa ſed effectus eſt. Et ut ſpecie externa res ſingulæ videntur ſeorſim exiſtere, ita ſeorſim ſpectantur quoque, unæ poſt alias atque ſine aliis. Ac ſi ſingula per ſe eſſent permanens ac ſubſiſtens quid. Videnturque adeo cœleſtia, ut ſunt ſupra nos, ita nihil pertinere ad nos. Atque omnia quæ vel in cœlis, vel in terris corpora videmus, ut ſingula per ſe ſpeciem, formam & qualitates, ita videntur naturam habere. Quod idcirco pari-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

pariter quoque de nobis ipſis perſuademus nobis. Quæ certè adeo perverſa atque tot erroribus implicita de Natura cogitatio, non ſcientia vera, non verè Naturalis Philoſophia eſt. Et hæc tamen ſunt, quæ admirantur, quæ amant, quæ noviſſe omnes cupiunt, ac debent noviſſe, quia utile in communi vita eſt. *Omnes homines*, inquit Ariſt. hanc ſcientiam reſpiciens, *Natura ſcire deſiderant. Et illius ſignum eſt ſenſuum dilectio. Qui etiam abſque uſu propter ſe ipſos amantur; præ cæteris ille qui per oculos fit. Non enim ut agamus ſolum, verum etiam nihil acturi, ipſum videre præ omnibus aliis eligimus. Cauſa autem eſt, quod ſenſuum hic vel maxime cognoſcere nos faciat, multaſque differentias manifeſtet.* Ita vero Ariſt. porrò cum ſenſu Memoriam, cum Memoria Imaginationem jungit, & hinc eſſe putat Prudentiam & Diſciplinam quandam, non in hominibus tantum, verum etiam in cæteris animantibus. Homini inſuper Rationem cum Intellectu tribuit, ſed qui in eo tantum poſitus ſit, quod à particularibus, quæ interventu memoriæ atque imaginationis primum accipit à ſenſu, univerſalia abſtrahere, atque ea iterum iis applicare poſſit. Quæ primum nova atque à ſenſu & imaginatione diverſa ſimplex Intelligentia, hinc etiam nova videtur ſcientia eſſe. Quanquam non ſit revera, quatenus primum nova tantum attentio & conſideratio, hinc nova compoſitio & applicatio notionum eſt, quas omnes primum accipit à ſenſu. Proinde ſi viſus, ſi ſenſus omnis alius externam ſpeciem tantum notam facit, quæ confuſa & obſcura eſt ac fallit nos, ſi non manifeſtat aliud: Etiam memoria & imaginatio non accipit, Ratio non concludit, Ars & Prudentia non invenit, ac denique Intelligentia & ſcientia, quam videmur hoc pacto de Natura habere, non ſpectant aliud. Et quid aliud poſſunt ſpectare, quatenus primæ & ſimpliciſſimæ notiones,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

nes, quæ deberent primo in intellectu eſſe, hoc pacto primum in ſenſu ſunt: Sicut in ſenſu videtur primum ſciendi deſiderium ac prima ſcientia eſſe, ubi non ſecundum veritatem, ſed ſecundum ſpeciem eſt ut videtur poſſe in brutis animantibus eſſe. Prorſus ut communiter inter homines, atque inter animalia quoque ſtudium aliquod & ſpecies virtutis eſt: quæ virtus videtur ſecundum veritatem & veram ſcientiam eſſe, quando ut in corpore & ſenſu eſt, & hinc ſolum ad animum venit, putatur ea ipſa eſſe, quæ primum in animo & intellectu revera eſt, atque inde in corpore & ſenſu apparet tantum. Sic verò etiam diximus, quando illius Juris, quod *Naturale* vocant, peritiâ omnes homines atque omnia animalia cenſentur, per errorem nos poſſe iis juris ſcientiam tribuere. Quando non attendimus ſatis, quod peritia juris, ut hominum atque animalium communis eſt, naturæ corporeæ inſtinctus & impetus tantum in ſenſu ſit. Cujus rationem & veritatem animus debet ſecundum intellectum noviſſe, quo verè habeat juris formam, quam ſpecie externa videtur habere, & vere juris ſcientia ſit. Ita inquam ſentiendum eſt de Naturæ ſcientia & vera Naturali Philoſophia, quatenus pariter quoque ſecundum ſpeciem in ſenſu, ſecundum veritatem in intellectu eſt.

Supereſt *Philoſophia Rationalis*, quæ nihil aliud quam ars & ſcientia quædam intelligendi eſt, quemadmodum Philoſophia Moralis, bene beateque vivendi, Naturalis ſenſibilia per intelligibiles cauſas explicandi. Quamobrem ſicut Philoſophia Moralis vitæ & morum, Naturalis Naturæ, ita Rationalis rationis ſcientiam tradit. Una ſpeciatim quid vitæ & moribus, altera quid Naturæ, tertia univerſim quid Rationi, quid rebus omnibus, ſumma ſaltem genera ſpectando, conveniens vel adverſum ſit, docet nos.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

nos. Id vero ante omnia debet ſecundum intellectum docere ſi futura ars quædam intelligendi & prima Rationis ſcientia eſt. Quem in finem non ſupponit, non credit, non ut notum & præcognitum aſſumit quicquam, verum iis omnibus ſepoſitis tanquam præjudiciis, quæ vel à vero, vel à veri cognitione avertunt nos: ab initio atque ordine omnia probat, etiam ea quæ per ſe manifeſta, vel aliunde ſatis nota videntur. Quia eo quo oportet modo nota & manifeſta non ſunt, ſi ſumma certitudo, ſi ordo, ſi accurata rerum veritas ſpectetur. Hac via tantum, non ulla alia, imprimis omnem præcipitantiam atque anticipationem in judicando cavemus: quæ prima regula in recto uſu rationis eſt, quoad veritatis contemplationem. Hinc primas & ſimpliciſſimas veritates, à quibus omnes aliæ pendent, in tuto collocamus. Regulam veri & falſi invenimus. Omnes ſimplices & primitivas notiones, quoad ſumma genera rerum, in clara luce ponimus. Quod in iis clarum & diſtinctum eſt, ab eo quod confuſum & obſcurum, diſtinguimus. Veritatem in intellectu, in ſenſu fallaciam deprehendimus. Et hanc eſſe primam omnium errorum atque præjudiciorum cauſam advertimus. Quatenus intellectus ſe accommodat ad ſenſum & ab eo notiones accipit. Quæ conferentes cum iis quæ confuſius antea cogitabamus, claros diſtinctoſque & bene ordinatos rerum cognoſcibilium conceptus formandi uſum acquirimus. Quo ſolo aliquid firmum & ſtabile in Philoſophia, & primum Rationis, hinc Naturæ & ſic demum vitæ & Morum vera in nobis ſcientia eſt, quæ certitudinem atque evidentiam habens, dici poſſit cognitio rei per cauſam eſſe. Quia certitudo & evidentia prima, primæque cauſæ & Principia humanæ cognitionis his paucis continentur. At quid in his omnibus eſt, quod communiter notum,

quid quod ab initio dici poſſit animadverſum fuiſſe? Quid quod non magis remotum à communi ſenſu & vulgari intellectu ſit, quam vel Naturæ, vel vitæ & morum ſcientia? Quid in quo magis deſtituant, in quo magis fallant nos? Equidem primi homines atque etiam poſteri eorum, non tam de recto Rationis uſu in contemplatione veritatis, quam de uſu vitæ & rebus agendis videntur ſolliciti fuiſſe: ut communiter adhuc ſunt. Sed vero vitæ uſus & rerum agendarum neceſſitas, quia accurati examinis moram non permittunt, multa ſupponere, multa credere, multa ut manifeſta ſatis admittere nos cogunt, quæ ut videntur manifeſta non ſunt. Quo fit, ut neque veritas, neque certitudo, neque ordo in ea cognitione ſit, quæ ad uſum vitæ comparata, omnium hominum communis eſt. Communiter, quia ita jubet vitæ uſus, prima de vita & moribus, ſecunda de natura, ultima & ſæpe nulla de ratione cogitatio eſt. Cum ad contemplationem veritatis, quæ ſcientiam parit, de qua communiter non cogitamus, *Ordo* per omnia debeat contrarius eſſe. *Certitudo* communiter primo in ſenſu, hinc in intellectu, & quando primo videtur in intellectu eſſe, vix aliud quam opinio, conjectura & perſuaſio: Hic contra primo in intellectu, & ſic demum prima & perfectiſſima ſcientia eſt. *Veritas* communiter tantum relate ad nos, Hic abſolute & in ſe ſpectatur; Hic una & ſimplex, illic multiplex, Ut intellectus à ſenſu ſejunctus in ſe unus & ſimplex, ita ſenſus multiplex, à ſe diverſus, ac ſibi contrarius eſt. Et talis quoque intellectus fit, ut à natura eſt junctus cum ſenſu, quem communiter omnes homines ſequuntur, & quem debemus ſequi, quoad vitæ uſum. Hic ſecundum ſimplices & primitivas notiones, quæ paucæ ſunt & inquibus veritas eſt: Illic ſecundum compoſitas & aliunde ortas, quæ ſunt infinitæ: in quibus veritas non

eſt,

eſt, quatenus male applicatæ in particularibus, & male abſtractæ, adhuc mille conſiderandi modis detortæ ſunt. Quas idcirco, ſepoſitis particularibus, à quibus abſtrahuntur, omnique applicatione ſepoſita, qua unum de altero affirmamus, novo & accurato examine diſtinguere, antequam quicquam affirmemus, & hinc petere veri & falſi judicium, quoad ſumma genera rerum, ut primo in intellectu ſunt, prima ſapientia, prima Rationis ſcientia & vere Rationalis ac prima Philoſophia eſt. Sicut iterum confundere & miſcere has notiones, atque eas à ſenſu petere, & hinc putare, unumquodque ita ſe habere abſolute & in ſe, ut relate ad nos & noſtro conſiderandi modo ſe habet, nos videtur communis ſenſus & vulgaris intellectus docere. Quod qui non advertunt, & hinc de rebus omnibus ſecundum communes nos putant debere notiones judicare, quæ petitæ à communi ſenſu & vulgari intellectu ſunt, quaſi hæc recta ratio, hæc regula veri & falſi ſit: Philoſophiam ſupponunt, quæ ut communis omnium hominum, ita ad vulgarem popularemque ſenſum tantum accommodata eſt. Quæ non vera ſed falſa, aut ſi mavis nulla Philoſophia eſt, ob hoc unum, quod vel nullum, vel falſum, veri & falſi judicium, nulla vel falſa Rationis ſcientia ſit, verum Rationis qua utimur, ut partim vera, partim falſa eſt, ſnppoſitio tantum. Verum enim vero, ita longo tempore non veram, & ex parte nullam Philoſophiam fuiſſe, quæ mille poteſt formas habere: adhuc magis manifeſtum fiet, ſi jam porro, quantum brevitas hujus temporis permittit, *Periodos & Tempora* ſpectemus, quibus vel in bonam, vel in malam partem mutata Sapientia Veterum eſt.

Prima Periodus, quantum literis proditum eſt, eorum erat, qui primum apud Barbaros, poſtea apud Græcos *Sapientes* vocabantur. At hi non tam Philoſophi quam cordati

 dati

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

dati tantum viri fuere, legumlatores, Rerumpubl. Principes, conditores & in bello imperatores quoque. Qui primum ſuos, hinc aliorum mores vitamque, cum adhuc rudis & barbara eſſet, ad rectæ rationis normam componendo, ac uſu probatis præceptis aptaque oratione informando, præ aliis prodeſſe Reip. videbantur. Quæ non tam vera ſcientia, quam Prudentia atque eloquentia fuit, ad quam communis ſenſus & vulgaris intellectus ſufficit, eaque dicendi ratio, quæ in medio poſita, apta ad perſuadendum eſt. Quocirca non alia quoque dicuntur eorum ſtudia fuiſſe, quam quæ huc referri poſſunt, oratoria & poëtica imprimis: ut finitimus oratori poëta eſt, numeris adſtrictior tantum, & uterque non tam arte quam natura fit. Dicunturque adeo ratas ſententias, quæ lumina orationis erant, & carmina ſcripſiſſe, atque iis veterum fabulas, heroum facta, res geſtas, bella, leges, aut morum præcepta tradidiſſe. Ut ante ipſos Homerus atque alii poëtæ fecerant, qui hinc etiam ſapientes vocabantur. Sic enim dicitur *Anacharſis* de Scytharum & Græcorum legibus ſcripſiſſe ad vitæ informationem & frugilitatem, itemque de re bellica ad nongentos verſus: *Bias* ad duo millia verſuum, qua ratione quis felix eſſe poſſit: *Periander* Monita ad duo millia: *Cleobulus* carmina & obſcuras ſententias ad tria millia. Ut jam de iis non dicam qui Theogenias atque Poëtarum fabulas ſcripſere, ut præ aliis *Epimenides* fecit, qui etiam inter ſapientes numeratur. Hactenus vero prima veterum ſapientia, inter Græcos ſaltem, partim Mythica ſeu fabuloſa, partim civilis fuit. Atque ut Plutarchus in Solone advertit, qui ex eorum numero erat, *nomen à civili virtute inveniens, ultra uſum non extulit ſe ad contemplandum. Phyſicam* quod attinet, quæ per otium tantum, cum ſic toti in negotio eſſent, acceſſiſſe videtur, primum inter Barbaros,

poſtea

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

poſtea inter Græcos, ea pariter ad uſum vitæ comparata aut delectationem, nihil aliud videtur, quam Naturæ Hiſtoria atque obſervatio fuiſſe ad communem ſenſum & vulgarem intellectum accommodata: quemadmodum neceſſe eſt in communi vitæ uſu, atque id etiam ad delectationem ſufficit. Ita vero, ut inter omnes homines aliqua corporis & animi, & eorum quæ pertinent eo, atque etiam aliqua Dei & rerum divinarum notitia eſt: Et ut de iis quæ vel in aëre, vel in aqua vel in terra occurrunt circa nos, videmur adhuc plura noviſſe: Et ſic etiam cœlorum ac ſyderum quæ ſunt longe ſupra nos, contemplatione delectamur, atque eorum apparente motu & viciſſitudine quæ in oculos incurrit, dies, noctes, anni tempeſtates, atque alia temporum intervalla diſtinguimus: quod in communi vita ſummè neceſſarium eſt: Ita horum omnium notitia multo excellentior in prima potuit Veterum Sapientia fuiſſe & valde late extendiſſe ſe. Atque eo imprimis eorum Aſtronomiam, Medicinam, omnemque aliam particularium notitiam referimus, quæ non ultra phænomena ſe extendit. De *Logica*, quantum literis proditum eſt, ita non cogitabant ab initio: ſive ut ſcientia rationis, ſive ut ars diſſerendi ſpectetur, ut ſpectata poſtea fuit. Nec de ea poterant cogitare ut Prima Rationis ſcientia eſt. Quia res humanas tractabant, quæ fluxæ & mutabiles, atque ideo incertæ ſunt natura ſua, quatenus voluntas vel affectus intervenit. Unde firmum & immobile non requirunt veri & falſi judicium, ut in ſcientiis requirimus, quarum veritas inſtar ipſarum rerum determinata eſt.

Sequuta eſt *Secunda Periodus* eorum qui ſepoſitis Reip. negotiis cœperunt Naturam rerum contemplari. Atque tum non amplius *Sapientes*, verum *Philoſophi*, hoc eſt, Studioſi & amatores ſapientiæ vocabantur. Quia non conten-

ti prima veterum Sapientia, aliam quærebant multo ſublimiorem, quæ in Deum quidem, haud ita verò videatur in hominem cadere. Qui idcirco illius amore & ſtudio, parviſque initiis & ſpecie quadam debeat contentus eſſe. Anteceſſores in ea imprimis Thales Mileſius, hinc Pythagoras, & mox etiam Xenophanes Colophonius fuere, trium principum ſectarum, à quibus omnes aliæ profluxerunt, Ionicæ, Italicæ & Eleaticæ, conditores. Quanquam ab initio non videatur inter ipſos hoc divortium fuiſſe. *Thaletis* æqualis & amicus Pherecydes Syrius fuit. Utrique *Pythagoras* addictus: qui eorum conſilia & exemplum ſequutus, barbaris Græciſque myſteriis initiatus, ut divina humanis jungeret, atque ad Sacerdotes & Aſtronomos in Ægyptum, ad Chaldæos & Magos in Aſiam eſt profectus. At horum Sapientia imbutus, non ut alii faciebant, Reip. curam ſepoſuit, verum in Italiam veniens, cum patria tyrannide opprimeretur, leges Italis dedit. Ubi, quod antea etiam ita factum non erat, Scholam inſtituit ac multos diſcipulos habuit. Quos primum Mathematica ad ingenii exercitationem, quæ ipſis pro Logica fuit, hinc Divina & Naturalia ad Scientiam, & ſic demum civilia & moralia ad vitæ informationem docebat. Plenam perfectiſſimamque in Rep. adminiſtranda Scientiam requirens. Quem in finem primis annis ſilentium imperabat auditoribus, quibus ſatis erat mentem præceptoris percepiſſe, & rogatos, ἀυτὸς ἔφα *ipſe dixit* reſpondiſſe: poſtea ſuum cuique permittens judicium, quo eorum quæ audiverant rationes apud ſe inquirere, atque aliis reddere licebat. Qui idcirco non ut Auditores amplius, verum ut Diſcentes atque proficientes ſpectabantur. Et ſic ſolum ſuos putabat ſatis inſtructos ad Remp. eſſe Philoſophiæ ſtudio, hoc unum agens ut cum prima Veterum Sapientia, quæ civilis tantum Prudentia atque multiplex experientia erat,

erat, Phyſicam & Mathematicam Scientiam & qualemcunque Theologiam jungeret, ut Pherecydes etiam Thelogus fuerat, atque tam de Diis ac rebus divinis, quam de Natura primus diſſeruerat, & ſcripſerat inter Græcos. *Xenophanem* quod attinet, illi æqualis Heraclitus Phyſicus fuit, ut ipſe etiam erat. Hic vero propius ad Thaletem quam Pythagoram accedens, vitæ civilis & dignitatis quæ cum ea juncta eſſe poteſt, contemptor fuit: & quo ſoluto & vacuo poſſet animo philoſophari, regnum fratri conceſſit, & quanquam rogatus, neque civibus leges dare, neque una cum iis Remp. adminiſtrare voluit. Donec, quia civitas peſſima conſuetudine corrupta eſſet, fugiens conſortium eorum, quorum vitia non poterat emendare, ſolus ſeceſſit & vitam in montibus duxit. Horum ſcientiam atque opiniones quod attinet, notandum ſolummodo, quod *Xenophanes & Heraclitus* eorumque ſive æquales & amici, ſive ſectatores primi, ut Phyſici erant, cum cæteri ex parte etiam Theologi eſſent, videantur Deo & Animæ corpoream naturam tribuiſſe, atque à corporeo ſenſu, qui incertus & mutabilis eſt, ob materiæ conditionem, intellectum, qui immutabilis atque ideo certus eſt, eo quo oportet modo non diſtinxiſſe. Quo factum eſt, ut ab initio bene conſtituere non potuerint, primum quidem veri & falſi, & poſtea quoque boni & mali judicium. Sine quo nihil unquam firmum & ſtabile in Philoſophia eſt. At Pherecydes & cum eo Thales & Pythagoras ac præ omnibus, qui eos ſequutus eſt, Anaxagoras, aliquanto melius Dei & Animæ Naturam à natura corporis diſtinguendo, etiam melius potuerunt intellectum à ſenſu diſtinguere, & cuique tribuere judicium ſuum. Quo conſtituto, haud adeo difficile boni & mali in vita & moribus judicium eſt. Quia ſic facilius bonum animi à bono corporis diſtinguimus, & cujuſque pretium ac valorem ſecundum veritatem

æſti-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

æſtimamus. Sic fuit ſecunda Periodus Sapientiæ Veterum, quæ prima Philoſophorum eſt: diſcentium & veritatem quærentium, non verbis, ſed rebus ac veritati intenta: libera quidem in ſententiis & opinionibus, verum non abutens ad factiones & contentiones libertate ſua. Hi videntur vadum tentaſſe, & partim penetraſſe, partim impegiſſe.

Tertia Periodus, in qua multo plura conſideranda veniunt, docentium, diſputantium & ſectas facientium fuit. Hæc vero in prima & ſecunda jam habuit qualecunque initium & fundamentum ſuum, cum primum Poëtæ, hinc Rhetores & Oratores, & tum quoque Sophiſtæ & Dialectici, ut varia hominum ingenia ac ſtudia erant, immiſcebant ſe, & non pauci inſuper Reip. negotia tractabant, ad quæ artium illarum temporibus iſtis non contemnendus uſus fuit, quem putabant pariter debere in Philoſophia eſſe. Atque hic imprimis videtur aliqua mali cauſa in *Pythagora* fuiſſe, quatenus imitatus primam Veterum Sapientiam, pariter mythicam & civilem Philoſophiam reliquit, & Poëticam quoque, neque ab Oratoria eorum, ut ipſe eloquens erat, alienus fuit: ſatis eſſe putans Phyſicam per otium admiſcere iis, cui iterum Mathematica & Theologica admiſcebat, ut ſpeciem haberet ſcientiæ ſublimis. Deinde *Empedocles* auditor Pythagoræ etiam in Rep. clarus, ſic porro *Oratoriæ ac Rhetoricæ*, ut artes quædam ſunt, *inventor*, & ut referunt, *verborum forenſium formator fuit acutus in dicendo atque etiam metaphoris cæteriſque Poëtarum figuris utens*, tantumque Homero tribuens, ut ab Ariſtot. *Homericus* dicatur. At Anaximenes hæc putans non debere cadere in Philoſophum, qui rerum Naturam comtemplatur, *Ionica loquutione ſimplici & non fucata* dicitur uſus, ut nuda & ſimplex natura eſt: proculdubio Thaletem & Ionicam Philoſophiam ſequutus, uti Empedocles Italicam,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

quæ Principem in Repub. formans, majori indigebat apparatu. Sic verò etiam Xenophanes hac in parte à Pythagora & Empedocle diverſus, contra *Heſiodum atque Homerum ſcripſit, ridens ea quæ de Diis ſcripſere.* Neque aliter Heraclitus Phyſicus judicabat. Atque hæc una corruptæ poſtea Philoſophiæ cauſa fuit, primum per Mythicam & Civilem veterum Sapientiam, ad quam Poëtica acceſſit; deinde per Oratoriam & Rhetoricam, quæ ut bene conveniunt inter ſe, ita mox ſequutæ ſunt. Altera corruptio facta per *Dialecticam* fuit, quam Zeno Eleates videtur cum Rhetorica conjunxiſſe. A qua non multum differebat, quatenus tam una quam altera ab initio ars diſſerendi erat, quæ poſtea viſa fuit ars & ſcientia intelligendi, veri & falſi in ſe judicium habens. *Zeno* autem iterum clarus in Republ. erat, ut & Parmenides anteceſſor ejus. Quanquam Zeno ſic non dicatur civibus leges dediſſe ut *Parmenides* fecit, qui nonnihil Pythagoricis addictus, genere atque opibus illuſtris fuit: verum Tyrannis tantum oppoſuit ſe, atque Heracliti inſtar magno animo contempſit eos. Sic verò Zeno Philoſophiam etiam carmine non eſt complexus, advertens forte, Dialecticam & Poëticam non ita bene convenire inter ſe, quam quidem ambæ cum Rhetorica & Oratoria conveniunt. Quatenus Rhetorica, ut recte Ariſt. advertit οἷον παραφυὲς *quaſi agnatum quid Dialecticæ eſt, ac doctrinæ de moribus, quam Politicam vocamus*: ac præterea, *Finitimus Oratori poëta eſt, numeris adſtrictior paulo, verborum autem licentia liberior, multis vero ornandi generibus ſocius ac pene par, in hoc quidem certe prope idem, nullis terminis ut circumſcribat aut definiat jus ſuum, quo minus ei liceat eadem illa facultate & copia vagari quo velit.* Quæ Poëtæ atque Oratoris deſcriptio ſecundum Ciceronem eſt. At hi primi novarum & malarum artium in hac periodo inventores, ab

initio adhuc parum abutebantur iis. Poſſunt enim certè extra Philoſophiam ſervari & ſic habere uſum ſuum. Qui probandus eſt. *Leucippus*, qui Zenonem in Phyſicis ſequebatur, & *Democritus* quoque, Dialecticam non admiſcebant, neque Oratoriam & Rhetoricam, rebus intenti, ſine hoc novo apparatu. At jactis jam fundamentis artium illarum, diu durare non potuit ſimplicitas iſta: quippe quæ difficultatem quidem, haud ita uſum videbatur in communi vita habere, quo continuo referebant omnia. Præterquam quod prima & externa ſpecie non afficiat multum. Ut mirandum non ſit, quod leviora ingenia paulatim ad alia converterent ſe, quæ ad uſum atque ſenſum communem magis accommodata, & faciliora videbantur. Ut fere omnia, quæ in Philoſophia tractamus, videntur faciliora eſſe quam quidem ſunt, ubi non tam res ipſas in ſe, quæ nudæ & ſimplices ſunt, quam verba ſpectamus & ornatum quendam. Ut nos Rhetorica & Dialectica docent. Proinde cum hæ artes magis ac magis excolebantur, vera & ſimplex forma Philoſophiæ, quam cœpit ſecunda periodo habere, cum Philoſophi remotam à communi ſenſu & nudam veritatem quærerent, ſic paulatim mutata eſt; Ut *Periodus Tertia* ſequeretur, contentioſa, garrula, ſophiſtica, quia non tam rebus quam verbis & captionibus ſtudebat: cujus hæc initia fuere, de quibus jam porro videbimus. Anteceſſores in ea præ aliis Gorgias & Protagoras fuere, non tam Philoſophi, quam Rhetores & Sophiſtæ tantum. Hos Cicero dicit *primos dicendi magiſtros* fuiſſe, *qui docere ſe profitebantur, arrogantibus ſane verbis, quemadmodum cauſâ inferior dicendo fieri ſuperior poſſet* Et hæc eorum Oratoria erat. Nec aliter ſe in Philoſophia gerebant, inutilia, paradoxa, abſurda contra communem ſenſum & verum intellectum defendendo, ac in publicis congreſſibus, ubi intelligi non

pote-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

poterant, de iis diſputando. Et Gorgias quidem, Empedoclis Philoſophia imbutus, proculdubio ejus oratoria ſeductus fuit: cum qua, ut erat Sophiſta inſignis, Zenonis Dialecticam junxit. Hac duplici arte confiſus, ut porro Cicero advertit, *Græcorum cuique permittebat quodcunque vellet interrogare, ac nemini non reſpondebat. Audax negotium, dicerem impudens, niſi hoc inſtitutum tranſlatum poſtea ad noſtros Philoſophos eſſet. Qui poſtea vulgo facere cœperunt hodieque faciunt* [ita Tullius tam noſtri quam ſui temporis ſophiſtas depingit] *ut nulla ſit res neque tanta, neque tam improviſa, neque tam nova, de qua ſe non omnia, quæ dici poſſunt, profiteantur eſſe dicturos. Protagoram* quod attinet, is Democriti ſapientia & fama ad Philoſophiam invitatus, ea ex parte imbutus quidem, at Zenonis dialectica & ingenio ſuo, quod leve & vagum erat, abuſus fuit. Is, ut Laërtius refert, *primus orationum certamina ſpectavit, & ſophiſma ſuggeſſit iis qui contentione delectabantur. Etiam omiſſa mente de nomine diſſeruit, ac ſuperficiale & leve illud contentionis genus introduxit, docuitque ad quæſtiones argumenta aptare.* At, quod memorabile eſt, Sophiſta tantus, tantum tribuens malæ arti ſuæ, etiam multum ſenſibus tribuebat, dicens *Animam nihil eſſe præter ſenſus, & hos ſemper veros eſſe.* Ac poſtremum illud de ipſis ſenſuum perceptionibus & phænomenis intelligens, ut in nobis ſunt, cum quæſtio de rebus ſit ut ſunt extra nos, inepto Sophiſmate ſuſtulit omne verum, quod cognoſci de rebus ipſis poſſit: ut certe cognoſcitur, quatenus vera in nobis non notionum & nominum tantum, ſed rerum ſcientia eſt. Et hac mala arte tamen, ut Plato notavit, *Protagoras annos plus quam quadraginta, cum id nemo in tota Græcia animadverteret familiares ſuos pervertit, deterioreſque quam accepit reddidit, & multum inde lu-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

cratus, magno in honore fuit. Quod pariter quoque de Gorgia referunt. Hæc prima novæ formæ initia erant quoad Tertiam Periodum, quam Rhetores ac Sophiſtæ dedere. Hi primi in ea inſtitores. Cum ſic meritoria & publica & vaga per urbes & compita facta eſſet, atque tam incerta, ut *cum contenderent inter ſe coram iiſdem auditoribus, nunquam in diſputando idem ter ordine ſuperior eſſet, ſed modo hic, modo ille, interdum is cui potiſſumum volubilis lingua, & ad popularem auram accommodata erat.* Quod jam ſuo tempore Hippocrates notaverat, cum Democrito non probans haſce artes malas. Quo factum eſt, ut paulatim ludibrio exponerent ſe & ſapientum & vulgi, & neque Philoſophi amplius, neque veri oratores haberentur. Hinc vero ut debuiſſet, iterum relicta non eſt perverſa hæc tota philoſophandi ratio, ſed nonnihil emendata, primo à parte Rhetorum & Sophiſtarum, deinde per Philoſophos quoque. Ita verò *Iſocrates* præ aliis, ut in ejus vita referunt, *cum confuſam dicendi rationem à Gorgia & Protagora Sophiſtis accepiſſet, primus, ſubtilitate diſſerendi & naturæ obſcuritate relicta, ad orationes ſe civiles contulit. Cujus illum eſſe fructum advertit, ut in eo verſati qui ſunt, utilia & deliberent & agant. Horum alii in forenſibus cauſis excellebant, alii in publicis negotiis & adminiſtratione Reip. alii res à barbaris & Græcis geſtas in literas referebant.* Hæc una emendatio erat, qua ſaltem Rhetores facti boni oratores ſunt, cum ſic paulatim deſinerent Philoſophi & Sophiſtæ eſſe. Altera emendatio, qua debuiſſent viciſſim boni Philoſophi eſſe facti, præ aliis Socratem autorem habuit. Sed qui has artes ſive bonas ſive malas, ſic non potuit à philoſophia ſeparare, ut quo boni eſſent oratores, ſeparaverant ab ipſis Philoſophiam. Quod tamen debuiſſet factum pari diligentia fuiſſe. Quia ut finis Phi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

Philoſophiæ veritas, ita finis artium illarum perſuaſio, captio, aut inanis ſubtilitas eſt, quæ à veri cognitione avertit nos. Socratem quod attinet, [qui in hac altera emendatione anteceſſor, & hinc dictus *Philoſophiæ parens* fuit] is in Philoſophia quidem Anaxagoram & Archelaum Phyſicos audivit, non verbis ſed rebus, non perſuaſioni & captioni, ſed veritati intentos. Atque inde ſatis magnum in eo videtur ſtudium veritatis fuiſſe; ſed vero partim Gorgiæ & Protagoræ, partim Empedoclis, Parmenidis & Zenonis diſciplina, ut varius & multiplex erat, hic ipſe Socrates, qui tantus Philoſophus videbatur, etiam Rhetor & Sophiſta factus, *ſepoſita naturæ contemplatione, primus cœpit de vitæ ratione diſſerere*, & quæcunque attingebat in Philoſophia ad populares diſcurſus ac diſputationes revocare. Hoc ſolum cum diſcrimine, quod alii, ut de Gorgia referunt, *in conventu poſcerent quæſtionem, de qua quiſque audire vellet*, & vel ſoli dicerent, vel plures contenderent inter ſe. Cum ipſe, ut Protagoras fecerat, *quæſtionem movendo eliceret eorum opinionem, quibuſcum diſſerebat; ut ad ea quæ illi reſpondebant, ſi quid videretur, diceret.* Atque id adeo modeſte, tum publice, tum privatim inter familiares & amicos faciebat, ut cum cæteri Philoſophi multa, Sophiſtæ videri vellent omnia ſcire, ipſe cunctis perſuadere conaretur: *Nihil ſcire ſe, præter hoc unum quod nihil ſciret.* Sic ſe putans aliorum, ſive temeritatem ſive confidentiam, quam judicabat nimiam eſſe, nonnihil temperare, atque etiam in contrarium flectere poſſe. Quod ita effecit, ut primum error cum errore permutatus, hinc ex uno duplex factus ſit. Quatenus ab eo tempore Philoſophi, partim nimium dubitabant, partim inter dubitandum ac diſputandum, ut omnis diſputatio dubitatio eſt, nimium credebant, multa temere affirmando

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

quæ adhuc perſpecta non habebant, ob hoc unum quod moleſta diſputatio ac dubitatio ſit. Prorſus ut utrumque, & poſterius præcipue, in communi vita facimus, ad quam hac arte nova putabant omnia referri debere. Qua ratione ſi Rhetores & Sophiſtas, quia adeo inepti fuere pro Philoſophis non habeamus, prima cauſa mali, Philoſophos quod attinet, in hac Tertia Periodo referenda ad Socratem erit, quatenus Dialectica & oratoria ſua aliam Philoſophiæ formam dedit, quam vel inter Philoſophos veteres, qui has artes ignorabant, aut ſic non permiſcebant, vel inter Rhetores & Sophiſtas habuit. Horum levitatem aut impudentiam, cum illorum gravitate & modeſtia tali pacto temperando, & ſic miſcendo opiniones ac dogmata eorum, quanquam parum convenirent, ut vagum, incertum & male cohærens genus Philoſophiæ reſultaret, quod certam formam non habens, in mille potuit ſectas & factiones ſcindi & adhuc ſcinditur quotidie. Qui Socratem præ aliis ſequuti ſunt, & novam ſectam non condidere, *Æſchines & Xenophon* fuerunt, non tam Philoſophi quam Oratores. Qui ut factum ab Iſocrate erat, ſubtilitate diſſerendi & Naturæ obſcuritate relicta, ad civiles ſe orationes conferebant. Alii Socratis ſectatores, qui adhuc habiti pro Philoſophis ſunt, omnes novam ſectam condidere. *Ut ex illius variis, & diverſis & in omnem partem diffuſis diſputationibus, alius aliud apprehenderat. Ita enim proſeminatæ ſunt quaſi familiæ diſſentientes inter ſe & multum disjunctæ & diſpares, cum tamen omnes ſe Philoſophi Socraticos & dici vellent & eſſe arbitrarentur.* Ac primo quidem Dialectici ac Sophiſtæ occurrunt, qui non tam rebus, quam captioni, ſubtilitati & verbis intenti, mox iterum oratores facti ſunt, ut ab initio videmus has artes bene cohærere inter ſe. Inter hos agmen duxit *Euclides*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

clides Megarenſis, ut referunt, *adeo ſtudioſus Socratis, ut cum capitale eſſet Megarenſibus Athenas venire, ille ſub noctem, muliebri habitu contenderet eò, ac ante primam lucem, cum parte aliqua noctis audiverat Socratem, viginti amplius paſſuum millibus Megaram rediret.* Ad quem poſt obitum Socratis, Plato atque alii auditores, tyrannorum metu etiam conceſſerunt. Et hic ipſe tamen, adeo fidelis & ſincerus ſectator Socratis, ita promovit inchoatas ab aliis Dialecticas contentiones, quarum captione & ſubtilitate non parum Philoſophia corrupta erat, ut qui ipſum ſequuti ſunt, Ἐριστικοὶ, *Contentioſi & Dialectici* dicerentur, atque id poſtea nomen peculiaris ſectæ fuerit, petitum ab arte, qua ſe jactabant, & modo quo tractabant Philoſophiam. Quatenus Euclides ille *interrogando ac reſpondendo ſermones libroſque compoſuit.* Ut quod Socrates populari ac placido, ille ſophiſtico & contentioſo videretur ſermone facere, cui Socraticus ille occaſionem dedit. Cum vix poſſit Dialecticus eſſe, vel tali pacto ſermones miſcere, qui pariter Sophiſta non ſit, aut non fiat paulatim. Quanquam futurus tantus Sophiſta non ſit, nec tam facile probaturus captiones & confidentiam eorum, ſi inſuper oratoriæ deditus, ad vulgarem popularemque ſenſum accommodet ſe. Atque id poſtea *Stilpo Megarenſis* fecit ἐν τοῖς ἐριστικοῖς *in contentionibus verſatiſſimus, ſed civilis, facetus, popularis*, qui hæc ſtudia conjunxit iterum, ut conjuncta in Socrate fuerant. Quod etiam adeò feliciter fecit, ut, cum *inventione & eloquentia alios præcederet, parum abfuerit, quin omnis Græcia in illum intenta in Megara tranſiſſe dicatur. Ferturque Athenis hominum in ſe ſtudia ita convertiſſe, ut ex officinis confluerent ad eum.* Sic vero etiam alios Philoſophos & oratores pertraxit ad ſe, ut ipſe volebat Orator & Philoſophus videri. Atque hi Megarenſes

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

ſes fuere Dialectici & contentioſi. *Eliaci & Eretrici* nomen à civitatibus habentes, parum differunt ab his. Hoc intereſt, quod adhuc magis ad Socratem accommodantes ſe, ut *Æſchines & Xenophon* fecerant, videantur oratores fuiſſe, contemnentes Sophiſticam, ut in dialectica ſubtilitate conſiſtit. Quamvis quoad captiones ac diſſerendi copiam atque facilitatem, eam non contemnerent. Atque id ſaltem de *Menedemo* manifeſtum eſt. Qui Eretricus quum eſſet id nomen huic ſectæ dedit, cum à Phædone Elienſi Socratis diſcipulo, primum Eliaci dicerentur. Nam Menedemus ille imprimis *Stilponem admirabatur* & Megaris egit apud ipſum, etiam Ἐριστικώτατος & *pugnax in quæſtionibus*, confiſus ingenio atque eloquentia ſua, quia Dialecticam contemnebat ut formam artis habet, & Socratem imitatus *nullum dogma aſſerebat*. Etiam Tragicos, & Poëtas amabat, ſed maxime omnium ſtudebat Homero. Tandem *etiam ad Remp. acceſſit, & legationibus functus magno in honore fuit.* Ita in bene multis iterum accedens ad primam Veterum Sapientiam, ſicut Socrates inceperat, præterquam quod fuerit contentioſus. Sic prima Socraticorum familia Rhetorum & Sophiſtarum fuit. Sed qui priorum audaciam & impudentiam Socratis modeſtia & gravitate nonnihil temperabant. Qui porro ſequuti ſunt, aliquanto magis Philoſophi fuere. Ut jam porro brevis ſim, *Cynici Antiſthenem*, *Cyrenaici Ariſtippum*, *veteres Academici ſive Platonici*, *Platonem* ſequuti. Hinc *Stoici* à Cynicis, *Epicurei* à Cyrenaicis, *Peripatetici* ab Academicis ſive Platonicis nonnihil deflectentes, *Zenone*, *Epicuro* & *Ariſtotele* anteceſſoribus. Donec, quia hactenus ſatis bene conſtitutum non erat veri & falſi judicium, alii iterum contenderent, nihil certi eſſe. Qui Pyrrhonii, Sceptici & novi Academici fuere, certam diſciplinæ formam non admittentes. A quibus non multum diſta-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

diſtare Eclecticos putamus, qui ſequuti poſtea ſunt. Et quidem Cynici, ut breviter de dogmaticis dicamus, duritiem, auſteritatem atque impudentiam, quo eos ducebat genius eorum, Cyrenaici mollitiem, voluptatem & elegantiam profeſſi, in quo etiam ſequuti videntur genium ſuum, vitæ inſtituto & moribus, cæteri, cum ita ſingulares non eſſent, doctrina potiſſimum diverſi erant. Quandoquidem Cynici ſua duritie, Cyrenaici mollitie doctrinam contemnentes, contendebant ſolum virtutem in opere conſiſtere, non verbis, non diſciplina indigere, & hanc ſolum veram & non fucatam Philoſophiam eſſe. Ut adhuc multi contendunt. Quo videntur imitari voluiſſe primam Veterum Sapientiam, quæ quantum literis proditum eſt, etiam in opere verſabatur. Quatenus ergo Stoici cum Cynicis, Epicurei cum Cyrenaicis aliquam ab initio ſocietatem habebant, etiam vitæ inſtituto & moribus, primo inter ſe, hinc ab aliis diverſi fuere. Præterquam quod pariter quoque, tum inter ſe, tum ab aliis doctrina diverſi & in aliquibus contrarii eſſent. Etenim *Epicurus* Naturali ac Morali Philoſophia contentus, ut in utraque amabat Ionicam & Eleaticam ſimplicitatem, omnem fere aliam diſciplinam atque doctrinam contemnebat, vel negligebat, Grammaticam, Poëticam, Rhetoricam & Dialecticam ac Sophiſticam imprimis, putans Philoſophiam hac diſpari miſtura corruptam eſſe. Logicam qua videbat ſe carere non poſſe, quoad veri & falſi judicium, titulo *Canonicæ* tractabat, paucis regulis comprehenſam. Quibus ille veritatem primo ſenſui, hinc intellectui tribuebat, ſupponens nihil unquam in intellectu eſſe, quod prius in ſenſu non fuerit, & ſic putans de rebus omnibus ſecundum communes nos debere notiones judicare: ut in ſenſu evidentiam, & hinc ſolum in intellectu videntur veritatem

habere. Quam intellectus veritatem veteres *anticipationem* vocant. Ita vero Epicuri Philoſophia præ cæteris ad communem ſenſum accommodata, & minus contentioſa quidem, ſed idcirco vera & certa non fuit. Quia nimium ſenſibus & corpori tribuens, recte non conſtituit veri & falſi judicium, ut in animo ac intellectu eſt. *Zeno & Stoici* imprimis non aliam quam Epicurus de veri & falſi judicio opinionem habent, veritatem pariter in communi ſenſu ſecundum evidentiam, in intellectu vero ſecundum anticipationem, quæ petita à ſenſu ſit, ſupponendo, & non oſtendendo, cur & qua ratione ſit, aut non ſit, ut ſæpe non eſt. At Dialecticam atque Rhetoricam pariter à Philoſophia nom removebant, veteres Sophiſtas, & qui eos ſequuti erant Dialecticos & Contentioſos imitati. Verum utramque putabant pro una poſſe ac debere arte haberi, inſtar *pugni* & *palmæ*, ut loquebantur, quæ una manus ſunt, contracta & explicata. Et ut manus una, ſive contracta, ſive explicata, ad unum unius hominis corpus pertinet, ita illi hanc artem totam ad unam Philoſophiam referebant. Cumque adeo Stoici hoc pacto etiam veram Logicam non haberent, quoad veri & falſi judicium, atque illius loco Dialectica uterentur, quæ poſita tantum in argutiis & vocibus erat, non tam novarum rerum, quam verborum & dicti & facti inventores ſunt. Quæ idcirco etiam non potuit vera Philoſophia eſſe, verum falſa & corrupta multiplici nomine: imprimis male cohærens rebus, quas non invenerant ipſi, quia Dialectica non rerum, ut vera debet Logica eſſe, ſed notionum & nominum inventrix eſt; hinc ſubtilis & ſpinoſa verbis quæ ſecundum proprias notiones imponebant; brevis & acuta ſententiis, quas ſic ſatis graviter pronuntiabant; denique abrupta definitionibus & concluſionibus, quibus omnia includebant, & ſic in arctum cogebant, ut neque fines

nes extendere, neque ex ſe ipſis poſſint incrementum capere, niſi aliunde aliquid infarciatur. Quatenus ab initio corraſa ex aliorum ſententiis fuit, quibus tanquam ſuis utebantur, ſua iis nomina & notiones imponendo. *Ut reliqui fures*, quod de ipſis bene Tullius notavit, *earum rerum quas cœpere ſigna commutant, quando iis uti pro ſuis volunt*. Quæ vitia ſic non fuere in Epicuri Philoſophia, ob hoc unum præcipue, quod Dialecticam aliaſque malas artes removerit: putans ſatis eſſe communem ſenſum ſequi, & ſermone uti, qui in medio poſitus, ſine argutiis & novis figmentis ſimplex & planus, ſecundum proprium cujuſque intellectum eſt, quem Natura atque uſus docent nos. *Plato*, quem ſequuti *veteres Academici* ſunt, artes, diſciplinas & ſcientias alias, quæ videri poſſunt à Philoſophia diverſæ eſſe, etiam non contempſit, neque neglexit eas, verum Pythagoram imitatus, putavit eas excolendas & in ſtudio Philoſophiæ tractandas eſſe. Quatenus in Repub. neceſſariæ, & hinc ſolum homine Philoſopho dignæ videbantur. Ita vero diſpari miſtura nonnihil quoque Philoſophiam corrupit. Primum quidem quoad res ipſas & doctrinam, cum Phyſica, quam obiter attingit, Theologiam, Mathematicam & Politicam miſcens, & nimis arcte eas nectens inter ſe. Deinde quoad ſermonem, qui adeo ſimplex, planus & apertus in Dialogis non eſt, quos Socratica diſſerendi libertate ſcripſit, quam quidem poſſet, vel deberet extra Dialogum eſſe. Attamen in remedium erroris videri poteſt Dialecticam adhibuiſſe, non ut ſolum ars diſſerendi eſt, quæ facit hanc miſturam, quatenus videmur poſſe ac debere de rebus omnibus diſſerendi facultatem habere: verum ut eſt ars intelligendi, quam nos *Rationis ſcientiam* & *Rationalem Philoſophiam* appellavimus. Quæ adeo eſt propria Philoſophiæ, ut non poſſit inveniri extra eam, vel in communi vitæ uſu, vel in

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

artibus, diſciplinis & ſcientiis aliis. Quatenus ubique credimus, ſupponimus & quæ non intelligimus verè ſecundum ſenſum imaginamur & opinamur. Hic ſine fide, ſuppoſitione & imaginatione, ab initio omnia ſecundum intellectum probamus, & veritatem reſpicimus, quæ in rebus ipſis eſt. Atque ita primum in nobis veri & falſi judicium formando, opinionem à ſcientia, ſuppoſitionem à veritate, denique ſpeciem nos docet à rebus ipſis diſtinguere. Quod non ſemper quidem, at ſæpè utile in communi vita, ſæpe neceſſarium in cæteris artibus, diſciplinis & ſcientiis eſt: quin Platonis ſententia ante omnia viro principe in Repub. dignum, ut tam in judicando poſſit, quam in diſſerendo valere, in uno potens, in altero perſpicax eſſe. Qua ratione Platonis Philoſophia ac Sapientia tota, minus quidem quam Zenonis & Stoicorum, at aliquanto magis, quam Epicuri contentioſa fuit, attamen obſcura, confuſa, difficilis & adhuc incerta in pleriſque. Primum quidem quia veri & falſi judicium, quod ſupponit in intellectu, obſcurum, & difficile eſt, atque etiam incertum videtur: quatenus non oſtendit, quo pacto vel à natura inſit, vel ſtudio & labore comparetur. Ut utrumque nos debet Rationalis Philoſophia docere. Accedit, quod tali pacto non conſtituat veri & falſi judicium, ut ſimul conſtituta ſit tota Rationis ſcientia, & Rationalis Philoſophia, ad quam ſupra vidimus plura requiri, ſi quid in ea futurum firmum & ſtabile eſt. Neque, quantum quidem nobis conſtat, Naturalem atque Moralem Philoſophiam, ita fundatam nobis dedit in Rationali, atque ex ea, tali pacto, deductam, ut tota unum opus atque inventum Rationis ſit. Verum ex adverſo trium principum ſectarum, non cohærentes opiniones, ut viſæ elegantes & probabiles ſunt, Socratica, qua uſus eſt diſſerendi libertate, quantum poterat in unum conflare, at-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

que omnium aliorum artes, quas modo probabat ipſe, adhibere conatus eſt. Ac ſi omnis rerum optimarum cognitio, atque in iis exercitatio Philoſophia ſit, omneſque adeo artes & diſciplinæ,ac ſcientiæ omnes pertineant ad plenam perfectamque formam ejus. Quam tanto apparatu primum Pythagoras, hinc Plato nobis dedit. Ob hoc unum quod ambo Philoſophum formarent, qui leges dare, & vel ſolus regnare, vel cum aliis poſſit Magiſtratum gerere. In quo non una & ſimplex, quam in Philoſopho requirimus, ſed varia atque multiplex, debet Sapientia eſſe, ut in rebus humanis, quæ fluxæ & mutabiles ſunt, multiplex varietas eſt. *Ariſtotelem* quod attinet, & veteres Peripateticos, hi non aliam ab initio, quam Plato & veteres Academici Philoſophiam habuere. Quatenus *Platonis autoritate, qui varius & multiplex & copioſus fuit, una & conſentiens duobus vocabulis Philoſophiæ forma inſtituta eſt, Academicorum & Peripateticorum. Qui rebus congruentes, nominibus differebant.* Atque eatenus ſaltem una utriuſque laus,unus & communis error eſt. At Ariſtoteles aliquanto adhuc magis laboraſſe videtur, ut certa dogmata,ut certam diſciplinæ formam haberet, in omni Philoſophiæ parte, etiam Rhetorica,Poëtica,Dialectica, Oratoria,aliiſque quæ videri poſſunt non pertinere ad eam. At certudinem, non ut Plato,primo in intellectu,verum ut Zeno & Epicurus, cum Stoicis & Epicureis,in ſenſu ſupponebat,adhuc magis quam Plato cognitionem omnem ad uſum vitæ referens,quo res omnes relate ad nos, ſecundum ſenſum poſſumus ac debemus ſpectare. Hinc vero, imprimis res ipſas quod attinet, quantum poteſt, obvia & popularia tractat, hoc unum agens, ut tam ad vitæ uſum, quam ad communem ſenſum cognitio accommodata ſit. Cum Plato atque alii ante ipſum antiqui Philoſophi, veritatem quærerent, quæ re-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

mota à communi ſenſu, ipſa ſibi pretium, ac primo & per ſe utilis ad vitam non eſt. Quanquam poſſit habere uſum, ut pietas ad omnia utilis eſt, & tamen pretium poſitum in utilitate non habet. Et modum tractandi ſi ſpectemus, is neque veterum modeſtiam & ſimplicitatem, neque Platonis moderationem & gravitatem ſapit. Quatenus iterum Dialecticam adhibuit, quæ veterum Sophiſtica erat; quam idcirco ſummo ſtudio perfecit, atque in formam artis redegit: Duas illi partes tribuens, unam ſervato nomine *Dialecticæ*, quæ probabiliter diſſerendi, cui agnata Rhetorica ſit, alteram, quæ certo ſciendi videatur inſtrumentum eſſe, cui proprium nomen *Analyticæ* dedit. Et hoc pacto videri voluit, Platonem ſequi, cum ab eo recederet longe, omnem ſcientiam atque demonſtrationem putans à præcognitis pendere, quæ anticipationes, non primo ſecundum intellectum, ſed ſecundum ſenſum ſunt, quibus ille perverſe nomen Intelligentiæ dedit. Etenim præcognita hæc, ita partim vera, partim falſa, & quoad nos modo certa, modo incerta ſunt, ut diſcerni non poſſint: & talis quoque eſt intelligentia eorum, quam ſupponit ſenſu & experientia haberi. Ut mirandum non ſit, quod ſimilem nobis reliquerit Philoſophiam, Naturalem præcipue, in qua hic error maxime manifeſtus, & ſuperius jam in lucem protractus eſt, cum illius ideam quandam ob oculos poneremus. Qua ratione, ut in communi vita, quia vera falſis, certa incertis permiſta ſunt, interrogando atque reſpondendo, ut verum, quantum quidem poſſumus, eliciamus, unus alterum exercet; Ita Ariſt. ut referunt, *in docendo ad propoſitam quæſtionem diſcipulos una exercebat, ſimul Oratoriam docens*: ut nempe lingua volubilis, prompta & expedita Oratio ſit. Quod utile & laudandum in communi vita, at nihil ad ſcientiam, vel veritatem facit quam in Philoſophia ſpectamus.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

Etiam de ſingulis rebus in utramque partem dicendi exercitatio ab eo inſtituta eſt, ut non contra omnia ſemper, ut Arceſilaus diceret, qui primus in nova Academia erat, *& tamen ut in omnibus rebus, quicquid ab utraque parte dici poſſet, expromeret.* Abſtinebat ſolummodo à congreſſu & conventu publico, in Lyceo inter deambulandum exercens ſuos, moderatius & modeſtius quam veteres Sophiſtæ & Socrates, liberius & familiarius, quam Plato & veteres Philoſophi, gerens ſe. Quod genus Philoſophiæ peperit firmitatem in perſuaſione, certitudinem in opinione, facilitatem in externa ſpecie habens; Sophiſticum, contentioſum & dictatorium; at populare, externa ſpecie moderatum, & modeſtum, cui facile contradici poteſt, & quod patitur contradictionem. Quatenus mille hominum ſenſus, diverſi vel contrarii, mille intellectus, ſecundum ſenſum, ac denique mille conſiderandi modi ſecundum Dialecticas notiones ſunt, in quibus non minor, ſi non major adhuc diverſitas & contrarietas eſt: Quia quiſque, ut vult, non de rebus ipſis, quarum una ac ſimplex notio eſt, verum circa res, fingit & refingit eas ex ingenio ſuo, in quo finis & exitus non eſt.

Ego tamen debeo dicendi finem facere, quia diutius quam par eſt, detineo Vos, errores perſequendo, quorum finis non eſt, & mille formas in Sapientia Veterum ſpectando. Veniam date, Viri Illuſtres, Magnifici, qui Ampliſſimæ Urbis, qui Illuſtris, Scholæ Curam geritis. Quorum ego liberalitate & munificentia huc vocatus ſum. Abrumpo ſermonem, vobis offero omnia officia, omnes labores meos. Hos ſacros facio juventuti, quæ ſpes patriæ, ſeminarium Reip. eſt. Qui hactenus Patriæ, qui toti orbi in Academia, jam civis veſter, in Illuſtri Schola, hinc urbi ſervio, quæ Patriæ columen & firmamentum eſt. Non quidem ego, ut accepimus Pythagoram atque Platonem feciſſe,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

feciſſe, Principem Philoſophum formo. Curam hanc Vobis Ipſis relinquo, & puto relinquendam eſſe. Attamen Veritatem doceo, quæ viro principe digna, quæ utilis in Repub. quæ ipſa ſibi pretium eſt: quæ judicium format, ingenium exercet, rectum rationis uſum docet, qua ſola Philoſophi, qua Homines ſumus.

BREVIS ENARRATIO,

Veritatem & ordinem humanæ cognitionis, ut veræ propria eſt Philoſophiæ, ſummatim exhibens.

Diſputata Lugd. Batav. 1665. Menſe Martio.

I. Veritatem ab homine comprehendi poſſe, adeoque veram ex naturæ lumine poſſe dari ſcientiam, affirmamus contra Academicos: qui ἀκαταληψίαν profeſſi, hoc unum pro certo affirmabant, Nihil certi ſciri poſſe.

II. Quinimo veritatem ſic in multis comprehenſam ac detectam eſſe, ut neque aliter comprehendi, neque cum ratione in dubium vocari poſſit, aſſerimus contra Scepticos: qui quærunt quidem & ſpeculantur, non vero ſine dubitatione amplectuntur veritatem, verum τὰ φαινόμενα admittentes, nihil de rebus ipſis affirmant.

III. Veritatis de quacunque re comprehenſio ſeu perceptio, imprimis ſi cauſarum notitia accedat, Scientia dicitur. Quæ vero de primis rerum principiis & altiſſimis cauſis, adeoque univerſim de rebus præſtantiſſimis & maxime ſublimibus, quæ per ſe ſcitu dignæ ſunt præ aliis, haberi poteſt veritatis comprehenſio, ea Ariſtoteli & antiquis philoſophis ſapientia dicta fuit, VI. Eth. cap. 7.

IV.

IV. Quod ſapientiæ & ſcientiæ nomen auguſtum quidem eſt, nec facile doctrinæ alicui & humanæ cognitioni tribuendum: non tamen idcirco, vel ex affectata modeſtia recuſandum, vel ex diffidentia omnino rejiciendum eſt.

V. Quid enim? An ex eo quod ſapientiæ & veræ ſcientiæ nomen non mereatur, quicquid inter homines venit hoc nomine, negabimus ullam inter homines dari poſſe, ſed ſtudium tantum aliquod & amorem à quo Philoſophia nomen habet? ſic enim idem dicendum erit de quacunque alia Diſciplina.

VI. Ut enim ſolus Deus Sapiens, ſic ſolus Medicus, ſolus Juſti & æqui per omnia intelligens, ſolus bonus & ſanctus eſt. Homo autem, uti Deus non eſt, ſed divinitatis imaginem, vel umbram quandam habet, ſic quoque virtutum & ſcientiarum, quæ pertinent ad Dei imaginem, initia quædam habere, atque adeo ſaltem ex parte poſſidere eas poteſt. Quod certe ſuo modo, & quidem ſublimiori, quam aliæ multæ artes & ſcientiæ, de quarum certitudine & evidentia non dubitatur, vera Philoſophia præſtat.

VII. Proinde hanc veritatis per Philoſophiæ ſtudium comprehenſionem in dubium revocare, non vera modeſtia, ſed animi quædam abjectio eſt, ex virtutum, quas agnoſcere oportet, ignorantia procedens.

VIII. Quæ ignorantia, quandiu affectata non eſt, & tantum in veræ cognitionis defectu conſiſtit, diciturque ignorantia puræ negationis, tolerari poteſt, nec multum detrimenti adfert aliis diſciplinis quæ ſubſiſtere poſſunt abſque ſublimiori ſcientia illa, quæ Philoſophiæ propria eſt.

IX. At dubitatio de veritatis comprehenſione, raro ſic à mera ignorantia procedit, vel ſubſiſtit in mera ignorantia. Quia intellectus humanus, cum advertere incipit errores ac defectus ſuos, eos tegere, & ſæpe etiam ſub Virtutis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

ac Veritatis ſpecie tueri conatur. Quod hic non ſine perverſitate quadam in voluntate, non ſine errore in judicio contingit. Quæ idcirco *ignorantia* eſt, quam Philoſophi *pravæ diſpoſitionis* vocant, diſtinguuntque ab *ignorantia puræ negationis*.

X. Multi enim viam non videntes, qua ad veritatis cognitionem perveniant, contenti non ſunt ingenua propriæ ignorantiæ confeſſione, quæ ex moſteſtia procedit & laudem meretur: ſed in ipſam rerum incomprehenſibilitatem, aut intellectus humani infirmitatem culpam rejicientes, quicquid neſciunt ipſi, ſciri non poſſe non ſolum ipſi præſumunt, ſed ab aliis quoque credi volunt. Quæ præſumptio non amplius nuda & innocua ignorantia, ſed perniciosus error eſt, præter faſtum & diffidentiam, contemptum quendam & odium veritatis poſt ſe trahens. Quibus ſic averti neceſſe eſt animum hominis à veritatis ſtudio, ut eam comprehendere primum nolit, cum poſſet, & poſtea etiam non poſſit, cum vellet.

XI. Quid vero tandem eſt veritatem comprehendere ac invenire? certe nihil aliud, quam cum aſſenſu cognoſcere eam. Hoc intellectus, illud voluntatis eſt. Et utrumque non ſine gaudio & delectatione facit, quiſquis amore veritatis & ſerio illius ſtudio tenetur & illius aliquem guſtum habet.

XII. Veritatem novit nemo, niſi qui res novit: quia ſine rebus nulla eſſet veritas. Res autem noviſſe dicimur, ut ſunt, ubi novimus *quid* ſint, *quod* ſint & *quare* ſint. Nec de ulla re quæri, vel ſciri poteſt, quod ſit, & quare ſit, ſi omnino ignotum fuerit, quid ſit. Et veritas cognitionis noſtræ, illius conformitas cum rebus eſt.

XIII. Intellectus igitur multas res cognoſcens, multas novit veritates. Ut veritatem omnem comprehendere dici poſſit, quiſquis omnes res comprehendit. Id autem modo

modo perfectiſſimo facit divinus intellectus, quatenus neque per partes unum ſine alio, neque ſucceſſive unum poſt aliud, ſed omnia ſimul intelligit ac videt uno intuitu. Quod neceſſario facit, quatenus à ſe eſt, & æternitas ejus, quæ partes & ſucceſſionem non habet, nihil ſupponit extra ſe, à quo accipiat menſuram, modum & ordinem intelligendi.

XIV. Et ſic dicere poſſumus cum Ariſtotele VII Eudem. cap. 12. & XII. Metaph. cap. 9. *Deum nihil præter ſe ipſum intelligere, eo quod optimus ſit.* Non quod Deus cætera omnia negligat & ſibi ipſis relinquat (uti inter alios gentiles etiam Ariſtoteles putavit) verum quod extra ſe nihil inveniens, quod per ipſum & ad ipſum non ſit, rebus aliis affici non poſſit, atque ſe ſolo contentus in ſe ipſo videat omnia.

XV. Intellectus humanus, cum ipſe optimus non ſit & perfectiſſimus, nec ſolus ad omnia ſufficiat ſibi, alia quærit & invenit extra ſe, vel ſuperiora, quibus frui ac ſubjici, vel inferiora, quibus uti, vel ſimilia, quorum ſocietate gaudere poſſit; inter quæ etiam dici poteſt ipſe eſſe, quatenus eſt proximus ipſemet ſibi. Quæ ſingula cum determinatam jam habeant naturam ac veritatem, quæ cognoſci poſſit, antequam homo cogitet de iis, mirum non eſt quod menſuram ac modum ponant humano intellectui, qui ſine menſura & modo nequit perfectus eſſe, quia à ſe non eſt.

XVI. Ut ergo ipſæ res ac veritates variæ ſunt, ſic quoque per partes & ſuceſſive, hoc eſt, unæ ſine aliis, ac unæ poſt alias intelliguntur à nobis. Et quiſquis actu non habet omnem intelligentiam, nunquam tot ac tanta intelligit, quin plura poſſit intelligere. Quia in iis quæ ſimul & ſemel non ſunt, quicquid eſſe poſſunt, etiam alia atque alia continuo occurrunt, de quibus antea non cogitaverat intellectus, qui ſimiliter ſimul & ſemel non eſt, quicquid poteſt

 eſſe.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

eſſe. Et huic modo intelligendi ſic aſſueſcimis paulatim; quia talia continuo obverſantur cogitationi noſtræ, ut vix quicquam poſſit à nobis aliter intelligi.

XVII. Adeo ut mens noſtra etiam in ſe ipſa & rebus aliis ſimplicibus multa diſtinguat & fingat, entiaque & compoſitiones ſine neceſſitate multiplicet. Et ſic tandem quoque circa Deum, qui ſemper idem & nullo modo compoſitus eſt, non aliter intelligendo verſari poteſt, quam circa ea quæ ex naturæ ſuæ conditione id totum ſimul non ſunt in una ſimplici eſſentia, quod ea eſſe poſſibile eſt, ſed qualemcunque perfectionem ſuam in continua mutatione, ſucceſſione & compoſitione poſitam habent.

XVIII. Circa quodcunque igitur objectum verſetur intellectus noſter, partim ob imperfectionem ſuam, partim ob ipſam rerum conditionem, ſic actu intelligit unum, quod vel reipſa, vel cogitatione tantum & conſiderandi modo ab altero diverſum eſt, ut ad plura ſemper in potentia ſit. Et ut ea quæ intelligenda ſuperſunt, difficiliora aut ſaltem minus obvia ſunt iis, quæ perſpecta habemus, ita hæc etiam æque obvia & manifeſta non fuiſſe cogitandum eſt, antequam erant perſpecta.

XIX. Sunt igitur *gradus aliqui humanæ cognitionis & evidentiæ*, non ab opinione noſtra, ſed *à natura rerum & noſtro intellectu* pendentes. Et cavendum diligenter eſt, ne naturæ ordinem, quem in intelligendo ſervaret intellectus, ſi ſui juris & recte diſpoſitus eſſet, cum eo qui per ignorantiam & errorem tenetur, confundamus.

XX. Quod enim ſimpliciter & natura notius dici debet, non id eſt, quod ante alia & communiter notius videtur, ſed quod revera notius eſt iis, qui pura & incorrupta ratione utuntur, quos Ariſt. dicit εὖ διακειμένους τὴν διάνοιαν. v. I. Top. cap. 4. Quemadmodum ſimpliciter ſalubre dicitur,

tur, inquit, quod ſalubre eſt iis, quorum corpus bene diſpoſitum & ſanum eſt.

XXI. *A natura rerum* dicitur pendere *ordo cognitionis*, quatenus cognitionem unius ſic ponimus ante cognitionem alterius, ut unum altero prius, vel poſterius eſt reipſa. Sed res omnes inter ſe non habent talem connexionem, ut unæ aliis priores dici poſſint, vel poſteriores, cum multa natura ſua ſimul ſint, aut non connexa inter ſe. Vel ſi quis ordo in natura inveniatur, intellectus noſter, qui ordinis cauſa non eſt, eum vel ignorare, vel negligere poteſt.

XXII. Atque tum, vel liberum nobis eſt, quo ordine cognoſcere velimus ea quæ ſimul comprehendere non poſſumus; vel ſaltem in mente noſtra, quatenus in intelligendo tam ſuam quam rerum aliarum naturam poteſt reſpicere, cauſam invenimus, cur unum facilius ac prius, alterum difficilius ac poſterius cognoſci debeat, ſi diſtincta & plena futura ſit cognitio. Et *Arbitrarius* dici quidem poteſt *ordo* ille, qui ſic omnino à voluntate pendet. Sed cujus cauſa in nobis ipſis & natura intellectus eſt, non minus *Naturalis* cenſetur, quam qui à nexu & natura rerum pendet. Quia in pleriſque ordo diſtinctæ & melioris cognitionis, cujus cauſa in nobis eſt, reſpondet ordini naturæ qui eſt in rebus extra nos.

XXIII. Ut enim *cauſa*, vel tempore, vel natura antecedit *effectum*, adeoque effectus à cauſa pendet & eſſe ſuum accipit, ſic quoque effectuum notitia pendet ac perficitur à cauſarum cognitione, etſi cauſa ſine effectu non minus cognoſci quam eſſe poſſit.

XXIV. Et ut *accidentia* ſeu modi intime pendent à *ſubſtantia*, quæ eorum ſubjectum eſt, ſic quoque notitia accidentium, neceſſario ſupponit & includit notitiam ſubſtantiæ; Etſi ſubſtantia ſine aliquo accidente, non minus cognoſci quam eſſe poſſit.

 XXV.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

XXV. Et ut natura *totum* non facit niſi *partes* habeat, nec ullum compoſitum eſſe poteſtante ſimplicia ex quibus conſtat, ſic intellectus totum & compoſitum diſtincte cognoſcere nequit, ſi partes & ſimplicia ex quibus coaluit, prius aut ſimul non noverit. Et quanquam in aliquibus pars una ſine alia videatur cognoſci poſſe, quatenus ſingulæ per ſe totum aliquod conſtituunt, ut plurimum etiam *partes inter ſe naturalem connexionem, vel dependentiam* habent, quam intellectus ſic apperehendere debet, uti natura inſtituit eam. Quæ partium connexio & dependentia, uti mutua tantum & ſic undiquaque æqualis eſſe poteſt, ut quæ pars prior, vel poſterior ſit, dici non poſſit, ex.gr. cives in republica, anima & corpus in homine: ſic quoque intellectus noſter tum rationem non invenit, cur partem unam prius, alteram poſterius cognoſcat, ſed ſatis eſt, quod omnes & ſingulas cognoſcat in ſocietate & unione illa, quam inter ſe & in toto habent. Ubi vero pars una plus altera minus alterius ſocietate indiget, ut in animali, omnes partes corde & ſanguine, in mundo ſublunari omnia corpora ſole & cœlo indigent: intellectus noſter etiam plus, vel minus, item prius vel poſterius ad hanc vel iſtam partem attendere, & ad diſtinctam plenamque notitiam totius acquirendam, eo ipſo ordine conſiderare debet partes ſingulas, quo natura junxit eas.

XXVI. Atque his modis & forte pluribus aliis ita inter ſe conſentiunt ordo naturæ ac noſtræ facilioris & melioris cognitionis, ut dici vix poſſit, unde deſumatur potiſſimum. Et conſenſus ille non aliunde oritur, quam quod in talibus intellectus noſter propria libertate & nativo tantum lumine utatur. Quod agendo non ulla figmenta ſua, vel inanes apparentias, ſed ſimplices & primitivas notiones reſpicit: quæ cum à natura inditæ, & ab ipſis rebus, quarum neque

causa,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

cauſâ, neque menſura eſt intellectus noſter, deſumptæ ſint, mirum non eſt, quod eodem modo & ordine referant ſingula, quo reipſa in natura inveniuntur & connectuntur inter ſe.

XXVII. Quo minus verò intellectus humanus ita in omnibus naturæ ordinem ſervet in cognoſcendo, uti id facere poteſt in aliquibus, in cauſa præcipue eſt, quod corpori alligatus ac in illi totum mancipatus ſit. Hinc enim ab initio vitæ cum vinculum unionis adhuc recens & duriſſima ejus ſervitus eſſet, neque ad naturæ lumen attendit, neque de rerum in ſeipſis ſpectatarum veritate & nexu inquirit, ſed de eo quod apparet ſenſibus cogitat tantum, in quo neque iſte verus de quo loquimur ordo, neque iſta veritas eſt, ſed eorum quæ fortuito occurrunt confuſio & inanis apparentia tantum.

XXVIII. Talia ſunt ſenſus famis & ſitis, item doloris & voluptatis in nobis; ut & luminis & colorum, ſoni, odorum, ſaporis, caloris, frigoris, in rebus aliis, ut putamus, extra nos; & denique magnitudinis, figuræ, motus, quietis, ſitus & diſtantiæ, in rebus iiſdem quibus iſtas qualitates tribuimus. Et quia hi ſenſus omnes ſæpe ex improviſo nobis adveniunt, & in corpore illo quod proximum nobis eſt & cujus pars una palpare & videre poteſt alteram, prius experiri eos videmur, quam quicquam aliud cogitemus: Nihil notius & certius putamus, quam nos habere tale corpus, quod vim habeat primum quidem ſe & ſua, & hinc etiam alia extra ſe ſentiendi. Et ſic ſimul ante omnia alia notum putavimus, varia circa corpus noſtrum alia corpora exiſtere, quæ eos omnes in nobis ſenſus excitent, quorum cauſam in nobis ipſis non invenimus. Quibus corporibus idcirco tribuimus omnem illam varietatem, quam experimur in ſenſibus, ut lumen & colores, ſonos

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

nos &c. Et cum denique horum omnium aliam non haberemus notitiam, quam ab illis ſenſuum perceptionibus, neque etiam quicquam aliud prima ætate in mentem veniret, mirum non eſt, hinc omnem cognitionem noſtram tanto faciliorem, priorem & clariorem nobis videri, & res quoque ipſas in ſe tanto haberi veriores, ſolidiores, digniores & priores, quanto ſic magis afficiunt nos & occurrunt frequentius.

XXIX. Jam vero ex eo quod unum ante aliud ſenſibus occurrat, & magis afficiat nos, non ſequitur, id natura ſua idcirco prius & notius eſſe. Imprimis enim ea quæ in ſe exigua ſunt & poſtponenda aliis, multam & ante alia afficere nos poſſunt, ſi modo ob propinquitatem, pondus, duritiem aut aliam qualitatem, majorem in aliquo ſenſu impreſſionem faciant. Uti ex adverſo res maximæ, præſtantiſſimæ & cognitu revera faciliores, ob contrarias cauſas, vel omnino fugere, vel leviter tantum afficere ſenſum poſſunt. Deinde non etiam à natura rerum, ſed à caſu plerumque & aliquando etiam à noſtra voluntate pendet, quod unum præ alio ſenſibus occurat. *Caſu* autem fieri nequit, ut quicquid in natura, vel ob ſimplicitatem, vel ob rerum aliarum ab eo dependentiam, cognitu facilius eſt, primo occurrat ſenſibus: ſed tanto unumquodque remotius eſt à ſenſu, quanto ſimplicius & prius eſt in ſe & natura ſua, uti ea quæ compoſita ſunt & ab aliis pendent, maxime familiaria & obvia ſunt ſenſibus & præ aliis afficiunt ſenſum. Et *voluntatem* quod attinet, ea determinare quidem poteſt intellectum, ut unum præferat alteri & cognoſcat præ alio: quod etiam recte facit, ſi notum fuerit quid revera prius, dignius & facilius cognitu ſit. At hoc nihil juvat in ea notitia, quam à ſenſibus habemus, nec in ea idcirco ordinem naturæ ſequimur. Tum quia per ſenſus rerum dignitatem, nexum,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

nexum, & ordinem, non abſolute, & in ſe, ſed relate ad nos, cognoſcimus, ut nobis apparent tantum. Tum quia non quæcunque volumus, ſed ea tantum quæ poſſumus, quæque ſatis propinqua & efficacia & obvia ſunt, ſenſu percipimus. His vero ſic afficimur & aſſueſcimus ab initio vitæ noſtræ, ut poſtea non ſine quadam difficultate ad ea attendamus, quæ revera cognitu digniora, faciliora & priora eſſent, ſi non tam ſenſuum fallacias quam rerum in ſe ipſis ſpectatarum veritatem & nexum, noſtrique intellectus naturam reſpiceremus.

XXX. Poſtquam igitur ſic breviter ob oculos poſuimus, quis ordo naturæ ſit in cognoſcendo, quatenus ille à rebus ipſis pendet, & quid nos avertat ab hoc ordine. Reliquum eſt ut porro videamus, quomodo intellectus noſter ſe ipſum atque adeo diſtinctam & faciliorem cognitionem tantum reſpiciendo, naturæ ordinem in cognoſcendo ſervare dici poſſit. Qui *ordo faciloris cognitionis* in multis quidem, ſed non ubique rebus reſpondet.

XXXI. Cum cognitio noſtra aliud nihil ſit, quam repræſentamen rei in intellectu: imprimis evidens eſt, eam tanto quoad nos priorem & facilorem eſſe poſſe, quanto præſentius & propius eſt, quod cognoſcendum venit. Atque ita mens ipſa ante omnia ſibi, hinc Deo, tum corpori ſuo, & per illud rebus aliis corporeis, quæ per ſenſum afficiunt eam, proxima eſt. Quæ idcirco eo ordine, quoad nos nota cenſeri poſſunt. Ut vero ratio ordinis, quam hoc pacto ab eorum quæ cognoſcimus *propinquitate & præſentia* petimus, adhuc magis manifeſta fiat, etiam ad *ideas ſeu ſpecies*, quas in cognoſcendo reſpicimus, attendendum eſt.

XXXII. Quorum natura in aliqua repræſentatione conſiſtit, qua quid debeat notum fieri, ea facillime & optime id faciunt, ubi nulla impuritate commaculata ſunt, nec

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

obſcuritate ſua oculorum aciem fugiunt, & neque per admiſtionem eorum quæ à rei repræſentandæ forma aliena ſunt, confuſa, neque per nimiam compoſitionem nimis intricata & implicita ſunt. Quare cum omnis generis ſigna & imagines in una tabula exprimi, atque ex eorum intuitu cognitio hauriri debet, evidens eſt, priorem, poſteriorem, facilem, difficilem vel nullam fore eam notitiam, prout ſingula, vel clare, diſtinctè ac plene expreſſa, vel obſcure, confuſe & leviter adumbrata tantum, aut etiam nulla vera imagine, ſed maculis tantum aut quocunque alio ſigno (quod materiale vocant, quia rei formam notam non facit) deſignata fuerint.

XXXIII. Etſi enim per maculam aut ſignum quodcunque aliud pro arbitrio pictoris poſitum, non minus quam per diſtinctas imagines ſignificari aliquid poſſit; & quanquam ſæpe neceſſe ſit, in tabula pro ſigno accipere quod nullam cum re ſignificata ſimilitudinem habet: perſpicuum tamen eſt, veram imaginem longe aliter ac prius & facilius aliquid notum facere. Quia ſi aliunde nota non fuerit res ea, quæ aliter quam per veram & diſtinctam imaginem in tabula pictoris denotatur, ſæpe prorſus ignota manet; vel ſi ex pictoris genio aut conditione tabulæ colligatur, non ſine cauſa ſignum aliud appoſitum eſſe & additum diſtinctis imaginibus, concludere quidem licet, quod aliqua in ipſo ſignificandi vis ſit, quid vero ſignificet, non primo cognoſcimus inde, ſed tantum in memoriam revocamus, ſi notum aliunde fuerit.

XXXIV. Atque ita, ſi in hac ipſa tabula aliquam cognoſcendi facultatem à pictore poſitam ſupponamus, qualem nos in tabula mentis habemus, ea non tam à vivido colore, aut lineamentorum craſſitie & multitudine, quam diſtinctis & multum exprimentibus imaginibus pendebit:

cum

cum colores & lineamenta eſſe poſſint, ubi nulla vera imago eſt.

XXXV. Quod oculorum aciem ſæpe fugiant, quæ magno artificio quidem ſed ſubtili penicillo & colore diluto in tabula pictoris expreſſa ſunt, id non alia de cauſa contingit, quam quia non immediate ſed per reflexionem luminis tantum videntur: unde parum, vel nihil videmus, ubi hoc lumen imbecille, paucum, vel nullum eſt. At vero oculus mentis, quem jam ſupponimus in hac tabula, non ſic alieno ſed proprio tantum lumine, atque adeo immediate intuetur expreſſas in ſe imagines. Ideoque acutius videt, & parva ac magna pari facilitate perſpicit, neque ex forti, vel magna impreſſione, quæ multum afficiat, ut in ſenſu fit, ſed ex diſtincta & facili eorum quæ cognoſcenda ſunt expreſſione, quæ plus notum faciat, ut in intellectu contingit, æſtimat ſigna & imagines, in quantum vera cognitio unice inde petenda eſt, & facile advertit, quod cæterorum alius quoque uſus ſit.

XXXVI. Sic ergo revera cum Humana cognitione comparatum eſſe putandum eſt, quatenus à rerum in mente, quæ ſola in nobis cognoſcendi facultatem habet, repræſentamine pendet, quia ea quæ cognoſcimus omnia ſecundum ſe non poſſunt præſentia eſſe, ſed mens ſola ſic ſibi præſens eſt, quoad proprios actus ſuos. Quæ omnium clariſſimæ ac veriſſimæ videntur imagines eſſe in propria ſingulorum ſenſuum perceptione, & hinc primo & ante alia cenſentur aliquid notum facere, puta dolor, calor, frigus, lumen, color, ſonus, odor, ſapor &c. totidem quaſi maculæ ſunt, quas pura mentis tabula ex contagio corporis cui unita eſt, & illius cum corporibus aliis commercio accipit. Ideoque ut maculæ, nihil à ſe diverſum notum faciunt, & tamen vivido colore & craſſitie præ diſtinctiſſimis imaginibus con-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

ſpicuæ eſſe poſſunt, atque adeo oculum ſpectatoris ad ſe trahere: ſic quoque de his ſenſibus putandum eſt. Hoc unum intereſt, quod oculus extra tabulam pictoris poſitus, facile advertat, quid macula tantum, vel diſtincta & vera imago ſit. Mens vero quæ ipſa ſibi & tabula & oculus eſt, quæque nullo vitæ tempore libera & repurgata eſt à ſenſuum contagio, id ſic non poteſt advertere: niſi in ſe deſcendens videat quantum ab his maculis veræ imagines diſtent, quatenus hæ in intellectu ad veritatis contemplationem, illæ in ſenſu ad uſum vitæ tantum datæ nobis ſunt.

XXXVII. Quæ præterea cadunt in ſenſum, ut magnitudines, figuræ, motus & talia, quæ plerumque, cum lumine & coloribus videmus, quaſi picturæ ſunt minori artificio elaboratæ, & non ipſomet Primi Pictoris Optimi penicillo expreſſæ, ſed una cum dictis maculis adventitiæ. Quæ idcirco nonnihil veri quidem continent & aliquatenus realitatem objecti exprimunt, ſed in pluribus deficiunt ab eo, quatenus ut lineamenta nimis craſſa & implicita, ad naturam macularum accedunt. Ideoque tam in propinquis & ſatis magnis, quam in diſſitis & parvis, eo quo oportet modo non repræſentant.

XXXVIII. Quæ denique non ſic ſenſu, ſed intellectu tantum percipimus de rebus corporeis, ut ea omnia quæ ad generalem notionem quantitatis poſſunt referri, quatenus objectum puræ Matheſeos eſt, neque ut tales maculæ, neque ut confuſa & non bene expreſſa lineamenta ſe habent, ſed ut veræ imagines, quæ per omnia referunt archetypos, quia Pictoris Optimi & Maximi, qui in eo fallere & falli non potuit, penicillo expreſſæ ſunt. Hoc ſolum intereſt, quod tabula pictoris corporea ad expreſſas in ſe imagines ipſa nihil conferat, præterquam quod earum ſubjectum ſit. Quod ſic dici non poteſt de tabula mentis,

cujus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

cujus eſſentia in perpetuo actu conſiſtit. Exercet vero hunc actum ſuum in ideis formandis, vel excitata à corpore per ſenſum, qui à ſe ipſo in multis diverſus & ſibi quoque contrarius eſt, vel excitata à ſe ipſa per innatam cogitandi facultatem, quæ ſemper eadem eſt, vel denique ſola voluntate ſua, quæ facit quod vult & ſemper eadem non eſt. Et ut hæ ultimæ ideæ fictæ & factæ, primæ adventitiæ, ſic eæ quæ ſecundi generis ſunt, innatæ poſſunt dici per eam cogitandi facultatem quam à natura omnes eandem habemus. Et hæ ſolæ idcirco apud omnes eædem, & non minus quam res ipſæ, veræ & immutabiles ſunt. Quas hinc quoque ut Pictoris Optimi & Maximi perfectum opus in tabula mentis conſideramus, in quo non poteſt error eſſe, vel cauſa erroris. Uti ex adverſo in ideis adventitiis, quatenus ab innatis diverſæ ſunt, aut nihil aut parum veri eſt, eo quod res extra nos poſitæ non poſſint germanam ſui ſpeciem in tabula mentis exprimere, ſed quaſdam maculas aut confuſa lineamenta illi imprimere tantum. Et ſic quoque in fictis & factis per noſtram voluntatem ideis, compoſitione, diviſione, mala applicatione, multiplex error eſſe poteſt. Quia voluntas in nobis menſura & norma veritatis non eſt. Quæ ſingula in exemplis alibi à nobis demonſtrata ſunt.

XXXIX. Quod idearum diſcrimen inter ſe quiſquis recte non intelligit, & inter alia non advertit, quo pacto idea tantum quoad facultatem, quam mens ipſa invenit apud ſe, poſſit innata dici, non aliam de ideis quam de imaginibus corporeis cogitationem habet, mentemque putans inſtar tabulæ pictoris eſſe, cujus omnes imagines adventitiæ ſunt, intellectum cum ſenſu, & ideas, quæ incorporeæ ſunt, cum corporeo plantaſmate confundit. Et hos errores ſuos alteri impingit, quiſquis putat per ideas

innatas à nobis intelligi, *neſcio quid permanens quod ſemper obverſetur etiam extra actum concipiendi*, ut ipſe fingit intentionales ſpecies (quæ præcipua cauſa hujus erroris ſunt) ceu picturas quaſdam, primum eſſe in aëre, tum in oculo, & hinc in anima, quæ ipſa quoque non formet ſed recipiat eas.

XL. Ut vero hoc tabulæ corporeæ exemplum etiam in cæteris cum tabula mentis conveniat, quæ ſecreta ab omni materia, in perpetuo actu poſitam habet eſſentiam ſuam: cogitemus præterea, hanc tabulam attendendo ad expreſſas & formatas in ſe imagines, actuſque alios, quibus ex imaginum intuitu aliquid de rebus ipſis affirmat, negat, eaſque proſequitur aut fugit, hoc ipſo etiam ad ſe & ſua attendere & ſui quandam notitiam hinc habere, quatenus hos omnes actus videt pertinere ad ſe. Et ſic porro cogitemus, eundem hujus tabulæ & cæterarum rerum, quas in ſe depictas deprehendit, Opificem eſſe, qui ſui quoque imaginem quandam poſuerit in ea, ut ſit tanquam nota artificis operi impreſſa: eo quod inter alia ipſe quoque huic tabulæ velit ac debeat notus eſſe, eamque ſe agnoſcere, tam ex ſui ipſius, quam ex aliorum operum intuitu. Ut fama eſt, teſte Ariſt. lib. de Mundo cap. VI. Phidiam celebrem olim ſtatuarium, cum Minervam faceret, ſuam in medio clypeo ſic expreſſiſſe & occultaſſe faciem, ut eximi non poſſet ſine operis deſtructione. Quibus addi debet, hanc tabulam, non, ut fieri ſolet inter homines, deſeri ac ſeponi ab opifice, quaſi ſemel facta porro ſubſiſtere poſſit per ſe ipſam, ſed ab ejuſdem opificis, qui ſolus à ſe ſit, manu & penicillo, adhuc pendere eam, juxta cum aliis rebus, quarum ipſe etiam cauſa eſt: ut credimus lumen, quo imagines in oculo pinguntur, ſic à ſole pendere.

XLI. Quæ ſingula, quiſquis ad animum revocat, & ut

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

ut merentur, conſiderat cum attentione aliqua, ſepoſito partium ſtudio, quo ſolo in hac doctrina quatenus ad philoſophiam ſpectat, *plura propter odium dicentis abſque rei examine* negantur, quam ob ſolam *dicentis auctoritatem* unquam affirmantur: perſpicue videt, quo pacto Mens noſtra, Primum *Sui*, Hinc *Dei* & tum quoque *Rerum materialium* notitiam habeat, & quæ in his tribus, præter quæ nihil nobis cognoſcendum poteſt proponi, *ratio ordinis & veritatis* debeat in philoſophando eſſe, ſive *rerum ipſarum*, ſive *noſtri intellectus* naturam ſpectes. Et clarum quoque fit, quo pacto ſumma cum ratione omnis vera cognitio, non à factis, vel adventitiis, ſed ab innatis dicatur ideis pendere, & id quoque verum ſit de Naturali Dei cognitione, ſi modo nudam apprehenſionem in idea ſeu conceptu (non enim res ipſas ſecundum ſe apprehendimus) ab affirmatione, & ſenſum ab aſſenſu diſtinguas. Quia is qui negat Deum, vel dubitat de eo, illius tamen ſenſum & ſimplicem conceptum, non vero aſſenſum experitur apud ſe. Et nos omnem divinitatis ſenſum, ut ſimplex tantum perceptio eſt, qua nihil affirmamus, tantum ab illius ideæ, quam de Deo habemus, intuitu petimus: aſſenſum vero etiam ab aliarum idearum, aut, ſi mavis (quia ſic loqui ſolemus) Rerum aliarum, inter quas mens ipſa quoque eſt, poſſumus conſideratione habere. Unde manifeſtum fit, quo pacto Dei cognitio, ſi hanc perceptionem ſpectes & conceptum ſimplicem, ac velis accurate loqui, ut philoſophum decet, neque acquiſita, neque adventitia ſit, per ſenſus & cognitionem aliarum rerum, (niſi omnia confundere velimus) ſed innata tantum. Eamque, neque ſoli negant *Sociniani & pauci alii iiſcum facientes*, ſed ii quoque, qui nihil volunt in intellectu eſſe quod prius in ſenſu non fuerit, dicuntque aperte,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

te, *Non datur phantaſma ſive idea Dei.* Complexa Dei cognitio, quæ præter ſimplicem notionem, ponit affirmationem, diciturque axiomatica & dianoëtica, ut altera noëtica tantum vocari poteſt: partim innata, partim acquiſita dici, & ut adventitia conſiderari poteſt, quatenus mens noſtra tam in ſe ipſa, quam extra ſe, etiam in rebus ſenſibilibus, argumenta invenit ad concludendum quod ſit Deus. Atque hoc etiam naturæ inſtinctu quodam quiſque apud ſe poteſt affirmare, ex ſolius ideæ intuitu. Quia à natura docti ſumus res omnes, in earum ideis, ut exiſtentes conſiderare, & in idea Dei inſuper ſpecialis ratio eſt, cur ex ſolo intuitu ejus affirmemus exiſtentiam: quia nempe in ea ſolâ continetur neceſſaria exiſtentia. Quanquam extra philoſophiam hæc omnia ita præciſe cum diſtinctione, neque poſſint, neque debeant conſiderari.

XLII. Et in his paucis ſic contineri putamus omnem *Rationem ordinis & veritatis in humana cognitione*, ut certi ſimus aliam dari non poſſe, etiam Dei cognitionem quod attinet. Adeo ut ſatis non ſit ad *conſcientiæ ac rationis & naturæ dictamina* confugere, & in eo tantum ſitam putare innatam Dei cognitionem. Sed excitanda hæc conſcientia, & eorum quæ ut naturæ & rationis dictamina communi conſenſu creduntur, evidentia & veritas ob oculos ponenda eſt, ut non ſolum credantur verum etiam intelligantur, ſi velis philoſophus eſſe & non Chriſtianus tantum. Atque id recte non poteſt fieri: ſi *hoc quod de Deo ſciri natura omnes agnoſcunt*, nempe complexum hoc *Deus eſt*, ut creditur & affirmatur, *recte* quis putet *appellari ideam Dei*, quod eſt vim facere humano ſermoni. Ita enim propoſitio *Deus eſt*, non probatur, ſed ſupponitur, nec ulla datur ratio affirmationis, præter eam quæ à communi conſenſu & naturæ inſtinctu petitur. Nos vero hujus inſtin-

inſtinctus & conſenſus, aliquam rationem dari poſſe ac debere putamus, eamque hactenus non aliam invenimus, quam quæ data eſt, partim ab ipſa idea Dei, partim à natutæ noſtræ & aliarum quoque rerum indigentia petita. Quibus rationibus ſepoſitis, fide implicita recte creditur quidem & ſupponitur, ſed non, ut decet hominem Philoſophum, de quo ſolo diſputamus, intelligitur, quod ſit Deus.

LIBERTAS ET SERVITUS

Univerſim, atque etiam in Philoſophando.

Lugd. Bat. Anno 1666. *conſcripta & publico examini propoſita; Amſtelædami vero repetita Anno* 1684. 22. *Aprilis.*

I. DE vera Philoſophandi libertate dicturus, quo res tota clarior ſit, primum de ſervitute dicam. Et quia libertas vel ſervitus, ut ad corpus refertur, notior eſt, de ea primum ſum dicturus.

II. Servus quis eſt ea ſervitute quæ potiſſimum corpus affligit, vel quia ſervire cogitur ut ergaſtulus, vel quia libere ſervit.

III. *Libere ſervit*, qui vendit libertatem, pro ea victum vel aliud beneficium accipiens. Quod etiam facere cenſeri poteſt, qui bello captus, vel victus aut viribus diffidens, ut mortem declinet, alteri addicit miniſterium & obſequium ſuum. Ut in hoc genere ſervitutis tam Dominus ſervo, quam ſervus Domino obligatus ſit, & unus alteri teneatur præſtare id quod ex pacto & ſtipulatione debet. Cumque pactum, ſtipulatio & orta hinc obligatio aliquam imponant neceſſitatem, maximè ubi metus accedit, non

Hhh pror-

prorſus libera cenſeri poteſt ſervitus. Quare ut, quantum poteſt, libera ac voluntaria ſervitus ſit, abeſſe debet metus, & obligatio quam ſtipulatio parit. Et hac ratione prorſus libere ſervire putandus eſt, quiſquis ex amore obſequii ſervit, alterum pluris quam ſe ipſum faciens. Hujus ſervitutis prima cauſa veneratio & devotio quædam eſt, quam primum Deo, hinc parentibus, Magiſtratui & omnibus iis qui virtute & dignitate eminent, nos debere intelligimus: quatenus natura docet, ut inferior ſuperiori ſubſit, & ante omnia ratio virtutis & eminentiæ in dominio & ſervitute habeatur.

IV. Hactenus nihil in voluntaria ſervitute eſt, quod non laudem vel veniam mereatur, ſi modo noſtras & aliorum virtutes recte æſtimemus. At hic medium tenere arduum & difficile eſt. Multi plus æquo ſibi tribuentes aliorum virtutes deprimunt. Et ſic imperare malunt quam ſervire. Alii animo abjecto prædit, non tam ſuas quam aliorum virtutes æſtimant. Quod quidem Dei reſpectu vix unquam facimus nimis, & Deo ſervire idcirco ſumma libertas eſt. At homo cum homine comparatus ſæpe in ſe invenit aliquid, quo alteri æqualis vel etiam major ſit. Atque tum alteri ſubjicere ſe, voluntaria quidem haud ita vero laudabilis ſervitus eſt.

V. Quod attinet eam *ſervitutem ad quam quis cogitur* in vinculis vel ergaſtulo, ea neque prorſus voluntaria eſt, neque à pacto & ſtipulatione pendet. Imprimis nemo ſeipſum in vincula conjicit, vel beatum ſe putat quod ſerviat in ergaſtulo. Quia neque in hac ſervitute beneficium, neque in tali Domino virtutem videt. Deinde ex vinculis ſervire non eſt ex pacto ſervire. Nam ex pacto oritur obligatio, quæ verbis & ſtipulatione contrahitur ac manifeſtè fidem ſupponit inter partes contrahentes. At ubi vincula,

car-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

carceres & verbera adſunt, opus non eſt verbis, & inutilis quoque fides ac omnis obligatio eſt. Ut qui ſic cogitur ſervire, in hoc uno tantum liber ſit, quod vel fame aut alia violenta morte perire, vel continuò vapulare poſſit, ſi ſervire nolit. Verum hic infimus humanæ libertatis gradus eſt, qui etiam cum duriſſima ſervitute conſiſtit. Ut hactenus omnis ſervus liber ſit.

VI. Verum enim vero in iis qui ſic corpore ſerviunt adhuc alia libertas relinquitur, quæ tali pacto cum ſervitute conjuncta non eſt. Quatenus nullus ſervus ſic per omnia ſe componere poteſt ad voluntatem Domini, quin multa libere & ex ſe ipſo faciat, ac ſi ſervus non ſit. Quod imprimis manifeſtum eſt in ea ſervitute, quam quis ſponte ſua ſibi ipſi imponit, ex amore & veneratione Domini. Quatenus illi qui ſerviunt hoc pacto, ſervitutem pro beneficio habent quo frui volunt, quoties, quando & quamdiu lubet. Qui vero ex pacto ſerviunt extra vincula, pro beneficio ad ſerviendum quidem obligati ſunt, ſed obligatio iſta tanta non eſt, ut ad omnes pariter actiones ſe extendat. Relinquitur enim ipſis tantum libertatis naturalis, ut cum cæteris hominibus libero aëre frui, in aliquibus ſaltem res ſuas agere, in aliquibus miniſterium Domini detrectare vel aufugere, ſi velint, poſſint quoque. Atque hæc libertas per vincula & carceres multum quidem impediri & minui, ſed non niſi cum vita prorſus tolli poteſt.

VII. Quæ cum ita ſint, utique mirandum non eſt, eos qui corpore ſerviunt, qualemcunque habere ſuæ libertatis ſenſum quæ à vita inſeparabilis eſt, & intelligere in quo poſita ſua ſervitus ſit. Manifeſtum id eſt de iis qui prorſus libere ſerviunt. Et quamtum ad eos qui ſerviunt ex neceſſitate, hi vel ſervi nati & educati ſunt, vel matura demum ætate incipiunt ſervire. Qui matura ætate incipit ſervire, haud fa-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

eſſe obliviſcitur priſtinæ libertatis, & reliquias libertatis etiam in duriſſima ſervitute ſentit. Quinimo tanto major ſæpe eſt hic libertatis ſenſus, quantò per vincula, carceres aut Domini duritiem, durior ſervitus fuerit. Qui ſervi nati & educati ſunt, illi quidem magis aſſueſcunt ſervituti, non ita tamen ut ſe ſervire non advertant amplius, vel nunquam cogitent de libertate. Nam nemo verè ſervit, antequam Domino parere & domini ſui mandata exequi poteſt. Quod in eam ſolum ætatem cadit qua incipimus ratione uti, & libertatis, quam omnes à natura habemus, qualecumque experimentum habemus.

VIII. Et ita quidem ſe habent libertas & ſervitus, ut potiſſimum ad corpus ſpectant & non occultæ utriuſque cauſæ ſunt. Quod attinet libertatem quam in Philoſopho requirimus, ea non tam corporis quam animi eſt libertas, & præcipue in judicio conſiſtit. Et animus noſter ſi omnino liber & ſolutus eſſet, poſſetque libere judicare de rebus, talem libertatis ſenſum haberet, ut neſciret quid ſervitus ſit. Ubi vero ſervituti aſſuevit, fere neſcit quid libertas ſit & raro etiam de ſervitute cogitat: vel ſi id facere incipiat in aliquibus, ubi ratio ſervitutis ita obvia eſt, id pariter in omnibus non facit, ubi ratio ſervitutis ita obvia non eſt. Proinde ante omnia inveſtigandum nobis erit, quæ & quotuplex ſervitus ſit, quæ cum libertate pugnat quam ad, animum referimus, quo etiam ſpectat vera *Philoſophandi libertas*. Quod fere ſatis eſt, ut liberi ſimus; quia animus ita ex ſeipſo libertatem amat, ut ſervire amplius nolit, ſi modo noverit ſervitutem.

IX. Qui corpore ſerviunt, ſe ſervire facile advertunt, quia animo moleſta, vel etiam jucunda & voluntaria ſervitus eſt. At corpore pariter non ſentimus animi ſervitutem, nec ullam inde moleſtiam percipimus: ſed animus de ſe

ipſe

ipſe judicat ſive ſervus ſive liber ſit. Ut mirandum non ſit ſi facile erret in hoc judicio; quatenus vel ſervitutem pro libertate, vel libertatem pro ſervitute accipit, & quod in utraque præcipuum eſt, non conſiderat ſatis.

X. Nimirum libertas ut ad animum refertur, illius robur & integritas, ſervitus contra infirmitas. & quaſi morbus eſt. At in pleriſque morbis potiſſima mali cauſa intus latet, ſenſum fugit & ſæpe congenita eſt. Externæ & evidentes cauſæ quæ ſenſibus manifeſtæ ſunt, invalida potiſſimum corpora commovent, quæ ex ſe ipſis & ſæpe ab interna cauſa ad morbum diſpoſita ſunt. Et ſic quoque morborum accidentia quæ ſymptomata vocant, plerumque internam in corpore cauſam habent atque à morbo pendent. Vel, ſi cauſæ internæ non ſint & à morbo non procedant, tantum in iis periculi non eſt.

XI. Hæc ſingula vero nota quidem Medicis ſunt, & utiles in arte indicationes pariunt, haud facile vero ægris perſuadentur. Ægri enim de morborum magnitudine & cauſis non ex alterius opinione, ſed ex ſuo volunt ſenſu judicare. At ſenſus vix ullas internas vel congenitas morborum cauſas advertit, verum circa externas hæret, & in eo fallitur ſæpe, quod remotas & accidentales quæ vim inferunt extrinſecus, pro proximis & primariis accipiat. Deinde quod ad ſenſum, morbus maximus ſæpe minimus vel nullus apparet. Et accidentia ſive ſymptomata morborum majorem plerumque moleſtiam adferunt, quam ipſe morbus, & magis in oculos incurrunt. Ut mirandum non ſit, quod ægri recte non curent ſeipſos, & ipſi quoque Medici hic errent, quatenus ſenſum ſequuti, perverſam de ſanitate & morbo poſſunt opinionem habere.

XII. Hæ cognoſcendi & curandi regulæ tam ad animi quam ad corporis morbos ſpectant, & quam maximè lo-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

cum habent in cognoſcenda & curanda ſervitute, quæ cum verâ Philoſophandi libertate pugnat. Hoc ſolum intereſt, quod quiſque hic debeat ſeipſum curare, & in quo ſua ſervitus vel libertas poſita ſit, ex ſe cognoſcere. Agite ergo, deſcendat in ſe ipſum quisquis libertatem amat, excutiat ipſe vincula ſervitutis, non ea tantum quæ externa & maxime obvia ſunt, ſed occulta & interna, quæ propius nos tangunt & hærent firmius.

XIII. Qui in ergaſtulo aut vinculis ſerviunt, minus liberi ſunt ſervis aliis: quatenus major hinc ſerviendi neceſſitas eſt. Ideoque minus ægre ferunt omnem aliam ſervitutem quæ tam neceſſaria non eſt, & facilius quoque Dominum mutant, vel eodem tempore plures habent & ſerviunt pluribus. Quis verò dubitat, in iis qui ſic ſerviunt, vincula & carceres primariam ſervitutis cauſam eſſe? Quis non advertit, hos ſervos ſatis liberos fore, ſi vel ex carcere exire, vel vincula & compedes deponere liceret? Cum facile excutiat ſervitutem minorem quæ voluntaria eſt, quisquis excutere poteſt maximam, quæ pariter voluntaria non eſt.

XIV. Simili ergo ratione prima & præcipua humanæ mentis ſive animi in homine ſervitus eſt, quod intime unita atque arctiſſimè alligata corpori ſit. Atque hinc etiam facile deduci poteſt omnis alia ſervitus. Non enim ſic facta in nobis eſt hæc unio, ut pars utraque ſui juris maneat, aut ſuperior, ut oportet, in poteſtate habeat inferiorem, ſed revera in quadam ſervitute conſiſtit, quæ naturalis ac neceſſaria eſt. Servire autem incipit mens ab eo tempore quo unitur corpori: atque tanto durior eſt ſervitus, quanto recentius & arctius vinculum unionis eſt. Servus Domino ſubjectus quidem eſt, atque eatenus cenſetur voluntatem non habere. Quia tamen ubique præſentem non habet.

bet Dominum, multa per ſe agit ex arbitrio ſuo. At vero mens noſtra ſic mancipata corpori eſt, ut illius præſentiam in hac vita nunquam effugere, nunquam ab illo deſeri poſſit.

XV. Porro homo homini ſic mancipatus eſſe nequit, quin ſentiat hoc, &, ſi iniquior ſervitus ſit, uti vel ob ſeveritatem, vel ob vilitatem Domini eſſe poteſt, etiam adſpiret ad libertatem. At vero mens noſtra nata & educata in ſervitute, vel ob hoc unum miſera eſt, quod non ſolum viliſſimo Domino ſerviat cui deberet imperare, ſed ne ſentiat quidem ſervitutem iſtam. Neſcia ſui ac dignitatis ſuæ alligatur corpori, quod ipſi ſimul pro carcere, pro compedibus & pro iniquo Domino eſt. Unde ſervire incipit, antequam ſciat quid ſervitus vel libertas ſit, & ſenſim ac ſine ſenſu ſic aſſueſcit ſervituti, ut non advertat ſe ſervire. Ut mirandum non ſit quod carcerem pro domicilio, compedes pro ornamentis, iniquum Dominum pro amico & altero ſe ipſo habeat, cui ſic totum tradit ſe & ſervit, ut ſui obliviſcatur quoque.

XVI. Nihil horum ergo accidit nobis per voluntatem noſtram, neque ulla hic vis vel ſtipulatio intercedit, ut cum homo homini ſervit, ſed natura ipſa prima cauſa eſt, quod mens ſic mancipata corpori ſit ac tota ſerviat illi. Quid miramur igitur quod *naturalis & aliquomodo neceſſaria ſervitus* hinc ſequatur, de qua non cogitamus communiter, quanquam omnis alterius ſervitutis, quæ cum vera Philoſophandi libertate pugnat, prima cauſa ſit.

XVII. Hanc naturalem ac neceſſariam ſervitutem ante omnia in propriis ſingulorum *ſenſuum perceptionibus* experimur, quatenus prorſus involuntariæ ſunt. Ut quod ex vellicatione ſtomachi famis, ex dilatatione cordis lætitiæ, ex illius conſtrictione triſtitiæ, ex contactu ignis, caloris vel doloris ſenſum habemus, non noſtra voluntate, verum ne-

neceſſario & ex lege naturæ accidit. Neque alia hujus neceſſitatis cauſa eſt, quam quod mens ſic unita corpori ſit, ut ad ea quæ corpori vel ab internis vel ab externis cauſis accidunt, hoc pacto debeat attendere, atque adeo majorem corporis quam ſui ipſius curam gerere: quæ certe dura ſervitus eſt.

XVIII. Alterum experimentum ſervitutis, ut à natura eſt, capere licet ex quacunque animi commotione ſive *naturali propenſione*, quam in ſenſu præterea experimur. Nimirum in ſenſu famis non nuda perceptio illius vellicationis eſt, quæ ſui ſenſum in ſtomacho facit, ſed naturale deſiderium ſeu ſenſitivus appetitus, quo cœco quodam & plus quam ſervili impetu, plerumque præter, quandoque etiam contra voluntatem ferimur ad cibi vel potus proſequutionem. Et ſic amor, odium, lætitia, triſtitia, ſpes, metus, audacia, ira, miſericordia, cæterique affectus etiam ſuos impetus habent, quos animus non ſentiret apud ſe, ſi verè liber & ſui juris eſſet.

XIX. Tertium ſervitutis experimentum in *inconſideratis judiciis* habemus quæ *externorum ſenſuum* perceptiones proxime comitantur: eo fere modo quo de interna animi commotione ſive propenſione diximus in ſenſibus internis. Etenim à natura docti videmur, non ſolum cibum appetere ubi famem ſentimus, verum etiam varia de eo judicia ferre. Quatenus, & dulcedinem & odorem & colorem & qualitates ac formas alias quas aliis ſenſibus percipimus, tales illi ineſſe reipſa putamus, quales percipiuntur ſenſibus. Quo in judicio non tam ratio nos movet, quam cœcus inſtinctus ac ſervilis impetus; quem tam in externo quam interno ſenſu experimur. Ut ſervi ſic fere ſe impelli ſinunt, quando verberibus aut alia vi externa excitati, ad voluntatem aut opinionem Domini ſe componunt.

XX.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

XX. Hæc prima & viliſſima ſervitutis noſtræ opera ſunt, quæ ab unione animæ cum corpore quam proxime procedunt. Omnis alia ſervitus, quæ cum libertate pugnat, imputanda ipſi animo eſt, quatenus ut deberet ac poſſet, non utitur libertate, quæ per ſervitutem de qua diximus, multum impediri quidem, non vero tota tolli poteſt. Etenim animus adhuc triplicem in ſe libertatem habet, ſi modo eâ uti velit, unam ſe ſolo *Intelligendi*, alteram de eo quod intellexit, *judicandi*, *ſive affirmandi vel negandi*, & tertiam denique *volendi*, *ſive proſequendi & fugiendi*. Atque his triplex poteſt ſervitus opponi, quæ referenda ad ſingulas illas functiones eſt.

XXI. *Servitus ad intellectum* ſpectans in eo conſiſtit, quod ad ea quæ ſenſibus aut imaginationi præſentia non ſunt, non ſine difficultate aliqua attendere poſſimus. Eo fere modo quo vile mancipium ſic attendit ad verbera & compedum moleſtias, ut vix quicquam aliter & ex ſe ipſo agat. Proinde non aliud contra hanc ſervitutem remedium eſt, quam ut quiſque, quantum in ſe eſt, à corpore & ſenſibus mentem avocet, & ut Plato in Phædone loquitur, *ipſo animo res ipſas conſideret. Nam animus optime percipit & intelligit, quando nihil eum perturbat, neque auditus neque viſus, neque dolor, neque voluptas; ſed quam maxime ſe ipſum in ſe recipiens, deſerit corpus, neque quicquam quoad fieri poteſt, communicat cum ipſo.* Hæc ſeparatio mentis à corpore & ſenſu corporeo adeo neceſſaria eſt ad libertatem quam in Philoſopho requirimus, ut ab ea ante omnia incipiendum ſit: haud ſecus atque ille qui ex vinculis ſervit, ſi velit liber eſſe, ante omnia excutere debet vincula ſua. Quod ſi facere non poſſit reipſa, poteſt cogitatione facere, quatenus liberum cuique eſt, vincula contemnere, & ad moleſtiam quam adferunt, non attendere, atque interea

uti libertate quæ per vincula tolli non potuit. Ut certe in homine qui ex animo & corpore conſtat, per corpus & corporeos ſenſus non ſic obbruteſcit animus, ut non ſuperſit intelligendi facultas, qua poſſit ſine corporeo ſenſu uti.

XXII. *Servitus in Voluntate* eſt, quod in proſequutione boni & fuga mali plus ſenſui quam rationi & intellectui tribuamus. Hinc enim tam ſæpe pugnant inter ſe deſideria noſtra, atque aliud per rationalem, aliud per ſenſitivum appetitum volumus. Quo ſpectat vulgatum illud *Video meliora proboque, deteriora ſequor.* Eo fere modo quo ſervi vident meliora & probant apud animum ſuum, & ſequuntur tamen deteriora, quia ſic jubet neceſſitas aut voluntas Domini. Atque ita contra hanc ſervitutem etiam non aliud remedium eſt, quam ſenſui, affectibus & voluptatibus corporis reſiſtere, quo voluntas ſola dominetur, & ſui juris manens libertatem tueatur adverſus cœcos impetus iſtos.

XXIII. Denique *ſervitus in judicio* eſt, *ex præjudicio vel affectu* judicare: Et hæc prima & præcipua ſervi judicii cauſa eſt. Hoc ſolum intereſt, quod vel in nobis ipſis tantum, vel etiam extra nos præjudiciorum aut affectuum cauſæ eſſe poſſint. Et ut jam tantum de præjudiciis loquamur, quando eorum cauſa *in nobis eſt*, ſive à natura, ſive à conſuetudine inconſiderate judicandi, aliquo modo *neceſſaria ſervitus* eſt, ſimilis illi quem in ergaſtulo notavimus, qui ſuas poſt ſe compedes trahit. Atque talia præjudicia infinita ſunt ſuaſque in natura hominis procreantes & conſervantes habent cauſas, ſenſum, memoriam & imaginationem, intellectum his ſe accommodantem, & uſum denique continuum ſermonis. Hæ quatuor cauſæ aliquomodo *naturalem & neceſſariam* ſervitutem faciunt quam in judicio ſpectamus. Quæ latius deducere noſtri jam inſtituti non eſt.

XXIV. Si cauſa præjudiciorum ſit extra nos, *ſervitus*

quæ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

quæ hinc ſequitur poteſt *voluntaria* eſſe, ſimilis illi quam quis ex amore & veneratione Domini ſervit: quod qui etiam ex vinculis facit, duplici nomine ſervit, primum neceſſaria, & tum quoque voluntaria ſervitute. Et ſic ſerviunt, qui plus alienæ auctoritati, quam propriæ rationi tribuunt. Ut auctoritas nova vincula & novas compedes faciat, quæ quis ipſe imponit ſibi in judiciis ſuis, & deponit facile quia id libere facit. At talem ſervitutem indignam Philoſopho eſſe, quatenus ſua ipſum non ſinit ratione uti, quam ſolam ſequi deberet, quis in hac luce non videt? Quis operoſe probare conetur, quod adeo manifeſtum eſt?

XXV. Errat igitur quiſquis excuſſo hoc uno ſervitutis jugo quod auctoritas facit, liberum ſe putat in Philoſophando. Oſtendimus enim hanc ſervitutem minimam eſſe præ eâ quam ſenſus, affectus & præjudicia adferunt, quæ ſunt proxima & interna vincula, quibus animus ſic ligatus eſt ut non ſentiat hoc; quia hæc vincula à natura habet & aliquo modo congenita ſunt, quod ſic dici nequit de vinculo Auctoritatis, in quo excutiendo difficultas non eſt, ſi modo excutere cætera poſſimus. Errat præterea quiſquis ſolos Eclecticos putat eſſe liberos Philoſophos. Quaſi libere philoſophari aliud nihil ſit quam nulli ſe ſectæ vel diſciplinæ tradere, perque omnes vagari & hinc inde decerpere aliquid. Nam & vile mancipium ſuas poſt ſe compedes trahens, poteſt vagari, poteſt circumire, poteſt victum quem domi non invenit, ubique quærere, oſtiatim ſtipem emendicare, loco unius Domini quem domi vel in carcere haberet, pluribus ſervire, & putare hanc eſſe libertatem ſuam. Id vero nos putamus Eclecticos facere, ſive revera ſint Eclectici uni non magis quam alteri addicti, ſive non ſint, qui, ut communiter fit, Eclectici

volunt videri tantum. Ut ſervi qui certum Dominum non habent, hinc non deſinunt ſervi eſſe, quia poſſunt eſſe publici ſervi. Præterquam quod ſervi qui habent unum & certum Dominum cui addicti ſunt, id poſſunt diſſimulare, quando inter hoſtes ubi vivendum ipſis eſt, vel alia de cauſa, non audent profiteri nomen ſui Domini. Quod aliquibus noſtri temporis Philoſophis accidit, qui cum, præcipua capita ſi ſpectes, revera Ariſtotelici ſive Scholaſtici ſint, volunt Eclectici videri, in hoc uno poſitam habentes libertatem qualemcunque, quod in ergaſtulo, ſatis amplo, liberius quam alii vagentur. Qui etiam ex eorum numero ſunt, quos diximus non ſentire ſervitutem, cui per ſenſus, præjudicia & affectus omnes à natura ſubjecti ſumus. Nam in hac ſervitute non tam voluntaria quam naturali, ut concepta ita nata atque exculta eſt Ariſtotelica Scholaſtica Philoſophia, de qua ſuo loco plura dicemus. Quod qui non advertit, nunquam vere liber in philoſophando eſt, verum qualicunque libertate quando ſe putat uti quammaxime, ſervitutem auget & ex eâ voluptatem capit. Ex adverſo autem qui advertit hoc ipſum, atque depoſitis præjudiciis Rationi adhæret in qua ſola libertas eſt quanta per Naturam poteſt ac debet eſſe, is ſolus liber philoſophus eſt. Ut ineptum ſit ſervitutem objicere iis qui profitentur Nomen illud quo ſic reſtituta nobis vera *libertas in philoſophando* fuit, quæ nihil aliud quam Libertas Rationis eſt, quantum poteſt, ſe ſola utentis. Hanc humanæ Rationis libertatem ad veram tantum philoſophiam pertinere, tam noſtra quam Platonis & Carteſii opinione [ut jam de hac tota diſſertatione non dicam] ſaltem ex §. XXI. putamus manifeſtum eſſe. Et tamen cogimur in hac nova editione hoc ipſum iterum monere, quia adeo obſtinatus factus eſt duplex error, unus antiquus

quus ſatis, alter magis novus. Etenim novus dici poteſt error horum temporum proprius, quo errore plurimi ad omnem humanam cognitionem, ad omnem artem & diſciplinam rationalem [uti inter homines omnis ars ſuo modo rationalis eſt] pariter pertinere libertatem putant, quæ propria debet philoſophi eſſe. Plurimi ex adverſo [qui error eſt antiquus, non ex Platonica vel Carteſiana, verum ex Ariſtotelica Philoſophia ortus] de alia inter philoſophandum non cogitant libertate, quam quæ ſuo etiam modo communis dici poteſt libertas, omnium aliorum hominum qui pro liberis habentur, omniumque aliarum, quæ in ſcholis docentur, artium liberalium atque diſciplinarum, non tam ad contemplationem veritatis philoſophicam, quam ad communem vitæ uſum ſpectantium. Cum hoc vitæ uſu Natura non unam junxit ſervitutem, quæ non ſic ab omni alia, puta Medici, jurisconſulti, Theologi, ut quidem à Philoſophi propria poteſt perſona abeſſe. Atque hic iterum dico cum diſtinctione & limitatione, *perſona propria*, quia in homine uno plures poſſunt perſonæ conjunctæ & tamen diſtinctæ eſſe. Eo modo quo Cicero, quando Oratorem deſcribit, olim dixit, *Très perſonas unus ſuſtineo ſumma animi æquitate, meam, adverſarii, judicis.* Multoque plures ſimiliter diverſas & forte aliquando omnino oppoſitas perſonas, unus potuit Cicero ſuſtinere. Neque obſtat, quod una præ cæteris perſona, haberi poſſit primaria ſive propria, quam quis ita ſuſtinet, ut ab ea acceperit ſuum quaſi proprium nomen, puta poetæ, oratoris, philoſophi &c. Ac ſi inde ſequatur [uti quiſque in hunc errorem proclivis eſt] ad hanc ſuam perſonam quaſi propriam pertinere officia aliarum perſonarum, atque ex omnibus debere factam cenſeri unam perſonam, non compoſitionis [quam unitatem,

quia diſtinctionem non tollit, concedimus, verum naturæ unitate, fictâ ad libidinem & quæ tollit diſtinctionem, quam in his natura, & uſus, & multiplex neceſſitas facit: Et dico, *ficta ad lubidinem unitas*, ſive comprehenſio perſonæ unius in alia perſona. Quia unitatem ſive comprehenſionem & confuſionem iſtam perſonarum, non à natura, verum à figmento cogitationis eſſe, vel ex eo manifeſtum fit, quod quiſque ut vult, poſſit in unum cogere perſonas in ſe diverſas; ut, verbi cauſa, perſona quæ in uno princeps eſt, à qua nomen habet, puta philoſophi, in alio, puta Theologo, Medico, Juriſconſulto, vel minus princeps ſit, vel omnino non pertineat ad hunc alium. Iſta, ſive permutatio, ſive ſeparatio perſonarum diverſarum in homine uno vel diverſis, evidens argumentum eſt diſtinctionis, cujus, partim ignorantia, partim contemptus, incredibilem hoc tempore confuſionem parit.

DE
ORIGINE ERRORIS.

Lugd. Bat. 1666. Menſe Novembri.

I. QUemadmodum duæ ſunt partes ex quibus compoſiti ſumus, Corpus quod cum multis commune habemus, & Anima ſeu Mens, qua potiſſimum homines ſumus, ac Dei referimus quandam imaginem: ita & duum generum in nobis proprietates & functiones ſunt, quæ ſuam poſſunt perfectionem atque imperfectionem habere. Unæ ad Corpus, aliæ ad

ad Animam ſpectant. Et non in iſtis, ſed in his præcipue conſideranda Origo Erroris eſt.

II. Corpori ac illius partibus accidunt Magnitudo, Figura, Motus, alimentorum coctio, & diſtributio, conſequens inde nutritio & motus multiplex, aliaque quæ recenſere longum eſſet. Animæ proprietates ac univerſæ functiones aliæ non ſunt, quam quæ uno generali vocabulo Cogitationes vocantur. Quo ſignificamus id omne quod ſic in nobis eſt, ut ejus immediate conſcii ſimus. Omnis namque perceptio ſeu *ſimplex apprehenſio*, qua ſine affirmatione vel negatione aliquid nobis repræſentamus, atque adeo præſens ſiſtimus cogitarioni, revera cogitatio quædam eſt, ſive mens ſe ſola utatur in eo, quod eſt *Intelligere*, ſive ad cerebrum ſe convertat & contempletur aliquam imaginem in eo, quod eſt *Imaginari*, cum abſens, *Sentire*, quando præſens eſt objectum & ſic afficit nos. Deinde omne *judicium* cogitatio eſt, ſive una *Affirmatione* aut *Negatione*, ſive pluribus abſolvatur, ut in diſcurſu & ratiocinatione fit. Nam *Ratiocinatio* non tam peculiarum aliquem actum Mentis, quam plurium actuum concurſum, nexum & quaſi ſaltum & tranſitum notat ab una cogitatione ad aliam, ut quod per unam cognoſci, vel judicari nequit, in alia inveniamus. *Voluntas* denique, qua bonum proſequimur & malum fugimus, etiam cogitatio eſt. Et haud ſecus atque perceptio, ut ſimplex apprehenſio eſt, vel ſola mente, vel mente & corpore peragitur; ſic quoque de affectu voluntatis eſt putandum. Et priori caſu *Rationalis*, poſteriori *Senſitivus appetitus* vocatur. Sic vero *Animi Affectus* etiam à corpore pendent. Et poteſt animus eos quoque ex ſe ipſo habere, ut lætatur apud ſe de proprio bono, quod corpore non ſentit.

III. Eſt autem ea differentia inter Corpus & Animam,

quod

quod jam corpus non immediate à Deo, verum à Natura ſecundum leges generationis producatur ex ſemine & ſanguine parentum. Quod paulatim fit. Eaque de cauſa non omni ex parte perfectum ab initio in lucem editur, verum tam poſt nativitatem, quam poſt primam conceptionem, perficitur & creſcit adhuc, donec ad juſtum robur pervenerit. Poſtea vero vi innati caloris, qui nunquam otioſus eſt, ut & cauſarum externarum incurſu conſumitur continuò atque iterum debilitatur: nec ullo alimento ſic inſtaurat ſubſtantiam ſuam, ut à morte & interitu vindicetur: Mens vero, quia immediate à Deo formatur ac infunditur corpori, ſic ſubjecta non eſt his legibus generationis. Atque ideo non inchoatam nec imperfectam accipit eſſentiam, in ortu ſuo, verum ab initio conſummata prorſus atque omnibus numeris abſoluta eſt, quoad ſubſtantiam ſuam.

IV. Præterea quia hæc Anima noſtra prorſus incorporea, ſimplex ac indiviſibilis ſubſtantia eſt, etiam nullum mortis vel interitus principium, & cauſam nullam, in ſe ipſa vel extra ſe in rebus aliis habet. Ut non modo diſſipari & corrumpi, uti corpus; non poſſit; ſed expers omnis accretionis & decretionis, cum eadem quoad ſubſtantiam perfectione, qua mortale corpus cœpit inhabitare, toto vitæ tempore perſiſtat. Et quamquam pro ætate & diverſa corporis conſtitutione, vel majores, vel minores, multiſque modis perfectiores, vel imperfectiores appareant facultates cogitandi, revera tamen nihil inde accedit vel decedit propriis interniſque viribus ejus, nec ullæ cogitandi facultates verè læduntur, vel perficiuntur, verum magis vel minus impediuntur tantum in opere ſuo. Ut hoc pacto aliud quidem, & firmius vel infirmius corpus habeat homo, pro ratione ætatis, valetudinis ac temperamenti: Anima ipſa verò ſecundum ſe & ſubſtantiam ſuam, & in infantia, & in juven-

ventute, & in ſenectute, & in ſecunda & in adverſa valetudine, & cum quocunque denique corporis temperamento, eadem ſemper atque iiſdem facultatibus prædita eſt: quanquam ob intimam unionem cum corpore tantum varient Functiones ejus.

V. Sed cave ne ex tali mentis quoad ſubſtantiam ac facultates immutabilitate, eam etiam quoad uſum & liberum exercitium earum, ſemper eandem putes, ac per omnia ſimilem ſibi. Quaſi ſic etiam in indiviſibili conſiſtat eſſentia ejus. Nec putandum præterea, animam adoleſcere cum corpore & per ætatem venire ad debitam ſibi perfectionem. Quaſi qui corpore validi ſunt, etiam animo valeant, & ut communiter putamus, Mens ſana in corpore ſano ſit. Verum hic iterum alia inſignis differentia inter Animi & Corporis functiones notanda eſt. Quod Corpus, licet ineunte ætate infirmum ſit, cum tempore tamen adoleſcit, donec ſatis prompte & perfecte obeat functiones naturæ ſuæ convenientes. Adeo ut etiam Natura in eo ſit morborum medicatrix, ſi incidant forte, quod neceſſe non eſt, quia ſanum poteſt atque integrum manere toto vitæ tempore. Cum Mens è contra & in infantia, & in adoleſcentia, & in matura ætate, etiam cum maxime ſana videtur, adhuc innumeris defectibus ac vitiis obnoxia ſemper ſit: à quibus vel nullo vitæ tempore, vel non propriis viribus ſuis, vel non ſine magna difficultate ſe liberare poteſt; idque in hac vita ex parte tantum.

VI. Imprimis enim eorum quæ cognoſcenda ſunt, tanta diverſitas eſt, atque ea tam multa & ampla ſunt, ut cogitatio noſtra, quæ finita eſt, ſenſu, imaginatione & ipſomet intellectu, multa ne attingat quidem & vix quicquam aliter percipiat quam ex parte tantum. Adeo ut in ſimplici apprehenſione, paucæ admodum adæquatæ rerum notio-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

nes ſint & paucarum rerum tantum, quæ ſatis ſimplices ſunt, ut poſſint à nobis comprehendi. Atque hinc multiplex *ignorantia* oritur. Sic vero etiam ea quæ jam videmur noviſſe ſatis, plerumque obſcure & confuſe tantum novimus. Adeo ut vel rerum umbras & ſpecies externas, vel propria figmenta noſtra, ſæpe pro rebus ipſis amplectamur, atque adeo in conceptibus noſtris, à quibus prima & ſimplex debet rerum apprehenſio pendere, ea involvamus, quæ neque poſſunt, neque debent ad res ipſas referri, quin ſæpe pugnant cum vera ac propria natura earum. Unde multiplex *Obſcuritas & Confuſio*, etiam in earum rerum perceptione continetur, quas jam noviſſe videmur.

VII. Deinde cum de ignotis aut non ſatis perſpectis & exploratis, etiam recta non queat ſententia ferri: omnino neceſſe eſt, ut pleraque hominum judicia, talia non ſint, qualia deberent eſſe. Atque hæc imprimis cauſa *Dubitationis* eſt, qua coguntur in multis *aſſenſum cohibere*, ubi defectum advertunt cognitionis ſuæ, vel *animo fluctuare*, atque adeo de multis habere *Conjecturam & Opinionem* tantum, quæ parvo momento huc atque illuc impelli poſſit. Vel ſi pro certis habeant, ea quæ ſic ſatis perſpecta non ſunt, vel *Error*, vel *Inconſideratum judicium* inde ſequitur, quod ab initio in *Credulitate* & cœca perſuaſione conſiſtens, poſtea *Præjudicium* facit. Inde vero, dum ſic facilius nobis eſt, ex præconcepta opinione, quam præſenti perceptione judicare, etiam ſequitur *Attentio difficilis*, qua partim confirmantur, partim latius extenduntur hi omnes errores noſtri. Et hæc vitia intellectus ſunt.

VIII. Quod attinet *Voluntatem* & appetitus noſtros, quibus ea quæ commoda nobis videntur & bona proſequimur; incommoda & mala fugimus: idem de iis eſt putandum quod de judiciis noſtris. Cum enim non ſolum ignoti nulla

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

nulla cupido ſit, ſed etiam non cupiamus quicquam nec averſemur, niſi id eſſe cupiendum vel averſandum, qualicunque judicio fuerit determinatum, perſpicuum eſt, quando nil quicquam de re aliqua percipimus ac judicamus, nihil etiam nos cupere vel averſari de ea. Adeoque cum valde tenuis, aut obſcura & confuſa eſt perceptio, & dubium proinde, vel inconſideratum judicium, aut etiam conjectura, opinio & præjudicium tantum, vel error quoque: ſimiliter *perverſi* & à vero ac bono *aberrantes*, vel *cœci*, *præcipites* & quandoque etiam *fluctuantes* ac levi de cauſa mutabiles ſunt *appetitus* noſtri, & ut opiniones, inter ſe & cum ratione pugnant.

IX. Et ita quidem in ipſo Apprehendendi, Judicandi & Volendi actu, variis ac revera infinitis modis aberramus, à debita & conveniente naturæ noſtræ perfectione, & qualicunque integritate. Atque errores primum in infantia commiſſi, antequam integrum rationis uſum haberemus, parum obeſſent reliquo vitæ tempore; ſi jam radices non egiſſent in animis noſtris. Jam vero ita nobiſcum comparatum eſt, ut non ſalutaria tantum & utilia, ſed ea imprimis, quæ noxia, imperfecta & vitioſa ſunt, diſcamus atque retineamus. Ignorantia, & Cognitio rudis, atque adeo pleræque obſcuræ & confuſæ notiones, & faciliores & magis familiares nobis ſunt, quam profunda, multiplex, nuda & diſtincta cognitio. Hæc enim labore tantum & magna attentione comparatur, eſtque cum difficultate & defagitatione conjuncta, quia potiſſimum ab intellectu pendet: illa vero à quotidiano ac familiari ſenſuum & imaginationis uſu pendens, facilis eſt, atque etiam per otium acquiritur, fere ſine labore & attentione. Qua ratione primum in infantia, quando non attendimus ad errores noſtros, ac dein etiam reliquo vitæ tempore, dum error

familiaris ſit, ſic aſſueſcimus obſcuris, confuſiſque notionibus iſtis, ut in *Habitum* abeuntes, videantur pertinere ad naturam noſtram, quæ talis debeat eſſe. Atque ita *ignorantiæ & malæ perceptionis* in nobis *Habitus* quidam ſenſum & ſine ſenſu generatur.

X. Similiter ab ineunte ætate facilius nobis eſt ex cœco naturæ impulſu ſententiam præcipitare, quam expenſis, ut oportet rationum momentis, circumſpicere ad omnia. Quin ad hanc circumſpectionem ineunte ætate prorſus inepti ſumus, & poſtea quoque non cogitamus eam adhibendam eſſe in judiciis noſtris: quia in eo nos peccaſſe non advertimus, donec id vel contraria experientia, vel aliena admonitio doceat nos. Quod in valde paucis contingit & non corrigit errores: quia difficultas & defatigatio quam experimur in nova & majori attentione, ab accurato rerum examine nos avertit, facitque ut laboris pertæſi continuo ad veteris vitæ conſuetudinem relabamur. Sic vero *inconſiderantiæ*, *cœcæ perſuaſionis*, *præjudiciorum & errorum* in nobis *Habitus* invenitur.

XI. Dubitationem quod attinet, quæ accedere poteſt, ea in his quoque habet fundamentum ſuum. Sed quia non advertimus hoc, ſæpius temeritas, quam diffidentia culpanda venit in judiciis noſtris, & longe majorem inconſideratæ *credulitatis*, quam *circumſpectæ*, circa ea quæ adhuc ſatis explorata non ſunt, *dubitationis uſum* habemus. Quod etiam facit *Habitum* quendam *Temeritatis*, *& Credulitatis*. Interim fieri etiam poteſt, ut quis has omnes infirmitates nimium conſiderando, & incertitudinem loco ſcientiæ quærendo, dubitationem ſibi reddat familiarem nimis. Et ſic illius quoque *Habitus* fit, quo quis contemtis omnibus rationibus, quæ ſi ſatis conſiderentur, ad certam atque indubitabilem ſcientiam ſufficerent, non magis

aptum

aptum ſed ineptum ſe facit ad veritatis cognitionem. Sic vero dubitatio etiam in *diffidentiam* ſæpe abit, cum antea levitas quædam eſſet, nec minus quam obſtinata opinio, cui opponimus eam, pertinacia quædam eſt. Atque ea adhuc longius nos à veritate abducit.

XII. Sed hujus in dubitando exceſſus duplex exemplum occurrit, quod meretur conſiderari. Unum in vulgo & philoſophis, qui ut in cæteris, ita hic quoque ad communem errorem accommodant ſe. Dum putant de rebus à communi ſenſu remotis, vel ob naturam ſuam, ut incorporea, vel ob diſtantiam aut ſubtilitatem, ut in multis rebus corporeis fit, nihil poſſe certi ſciri, ſed vagas & incertas tantum haberi opiniones, quæ tam cum ratione negari, quam affirmari poſſint. Quod non alia de cauſa putant, quam quia rectum rationis uſum ignorantes, ignorant quoque certitudinem ejus. Dumque non intelligunt etiam quid certi vel incerti in Senſibus ſit, ſed ſine intelligentia adhibent fidem ipſis, quæ non minus, quam Ratio, fallir nos: evidens eſt, ſic nihil certi remanere in iis quæ extra & ſupra communem ſenſum ſunt. Et hæc vera cauſa perpetuæ diſputationis hactenus in philoſophia fuit. Hæc enim aliud nihil quam perpetua dubitatio eſt, qua ſic in Scientiis putamus debere nos tantum Opiniones habere, quas mutemus facile, uti id neceſſe eſt in communi Vitæ uſu. Quaſi Scientia inter doctos commentum tantum ſit. Sed hæc conſideratio majoris momenti eſt, quam ut hic tota latius deduci, vel ſic paucis intelligi poſſit, quantum in ea ſitum ſit, ut Originem erroris extra Uſum vitæ in Scientiis inveniamus. Puto enim hunc communem hactenus, non Vulgi tantum, ſed Eruditorum quoque errorem fuiſſe, qui nullibi magis quam in philoſophia nocet, quin unice hactenus corrupit eam.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

XIII. Alterum Nimiæ dubitationis exemplum in Scepticis occurrit, qui tam ſenſui quam intellectui diffidentes, toti in eo ſunt, ut perpetuo dubitent de omnibus rebus, tantæque dubitationis ſuæ ſummam facilitatem & Habitum acquirant, qui loco Scientiæ ſit. Quæ dubitatio minus vaga & incerta eſt quam vulgaris. Et major quoque eam ſcientiam comitatur, qua ignorantiam detegimus, & ſcimus in multis quid revera neſciamus. Quod dici nequit de vulgari dubitatione, quam hactenus etiam philoſophi ſequuntur: quippe quæ levitas & fluctuatio tantum eſt, juncta cum temeritate, qua Opinio cum Opinione facile permutatur tantum. Quaſi Facilitas hæc, quæ ſi ſcientiam ſpectemus, Temeritas eſt, circumſpecta dubitatio ſit, quæ nos ducere ad ſcientiam deberet.

XIV. In *Voluntate* denique quæ in bono amplectendo & malo fugiendo verſatur, etiam obvia & nota diſtinctio eſt, inter *Actum* ſeu operationem & *Habitum* qui uſu comparatur. Quia nemo neſcit, nos ſæpius iræ indulgendo iracundos, cupiditatibus habenas laxando intemperantes, gloriam nimis appetendo ambitioſos, divitiis inhiando avaros, pericula contemnendo audaces & temerarios, & ſic porro ad quævis vitia, ſæpius ea exercendo, non diſpoſitos tantum, ſed ita proclives reddi, ut poſtea non niſi magna difficultate ab iis abſtinere contrariiſque virtutibus poſſimus operam dare. Ut huc ſpectent omnes *pravorum affectuum & vitiorum habitus*, quos primum in infantia, & ſic quoque toto vitæ tempore contrahimus, voluntatem noſtram intra rationis limites non continendo: quia nimium ſenſui & affectibus tribuit, & ipſa per ſe quoque, errorem intellectus ſequuta, ſeducitur in nonnullis.

XV. Qui Originem Erroris ab altioribus putant cauſis

ſis pendere, eum dicunt non à Natura, ſed noſtra nobis Culpa ineſſe, per primi hominis Peccatum, quo ſe & nos corrupit ſic. Quod revelatum quidem, ſed conſentaneum ſatis rationi eſt. Homo enim ad ſimilitudinem & imaginem Dei factus ab initio, non ſolum ſpiritualem atque adeò intellectu & voluntate inſtructam mentem acceperat, quam etiamnum adhuc habet; verum etiam, quia è manu ipſius Dei nihil impurum vel imperfectum venit, intellectus ille abſque tenebris, judicium ſine inconſiderantia, qua nos vidimus cœco impetu ferri, vuluntas abſque vanitate ac perverſitate fuit, quam nos jam in nobis experimur. Adeoque primus homo ſic à natura factus & conſtitutus fuit, ut ſuaviſſima ſui ipſius ac præcipue mentis ſuæ, qua potiſſimum erat talis, nec non eriam Dei, & tum quoque aliorum operum Dei contemplatione ſeſe oblectare, & forte ab errore immunem ſe præſtare, ſummaque illa ac perfectiſſima beatitudine, quæ in Deo eſt, frui, boniſque cæteris inferioribus bene compoſita voluntate uti potuiſſet.

XVI. Sed non contentus bonis iis quæ poſſidebat, alia appetiit. Et ſic abuſus ea voluntate, qua ſe ad imaginem Dei immortalis factum, illique ſoli ſubjectum, ac cæterarum rerum dominum oſtendere debuiſſet & potuiſſet quoque, multum de primæva naturæ præſtantia doniſque ſibi conceſſis perdidit: adeoque intellectum tenebris, judicium erroribus, & voluntatem denique peccatis porro ſubjecit, cum ſic ſemel culpa ſua à vero & bono aberraſſet.

XVII. Deum ſuum deſerens à quo & ad quem factus erat, ab eo viciſſim aliquatenus deſertus. & propriæ concupiſcentiæ traditus ac ſuo illi judicio relictus eſt. Familiaritas quæ illi cum Deo interceſſerat, continuo imminuta, & amor in metum & averſionem mutatus fuit. Et cum tamen

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

men voluntas hominis non poſſit otioſa eſſe, ſed ex iis quæ novit, aliquid deſideret, vel ut bonum & commodum ſuum amplectatur: quam primum non amplius in Deo quæſivit unice beatitudinem & fœlicitatem ſuam, partim in ſe ipſo, partim in aliis creaturis eam quæſivit.

XVIII. Et ſe ipſum quidem, ob qualeſcunque primævæ imaginis reliquias, inſignibus ſupra multas alias res, donis inſtructum & ex parte adhuc terræ dominum agnoſcens: rationi conſentaneum putavit, ſe & ſua ut amore & honore maximè digna, præ omnibus aliis curare, proſequi & amplecti. Res autem alias corporeas ſe quidem inferiores eſſe, & juxta ſuum corpus ſubjectas ſibi, adhuc novit quidem, verò ſe cum plurima imbecillis ac mortalis vitæ ſuæ commoda inde hauriret, ſimulque pulcherrimas ac multiplices formas earum ſenſibus quotidie uſurparet, hinc etiam voluptatem aliquam capere, atque adeo ad nimiam ſui dilectionem etiam rerum illarum ſenſibilium, quarum commoda ſentiebat, venerationem & cœcum amorem adjecit. Et ita quidem rationalis appetitus, ſenſitivo ſubjectus, & illius illecebris à ſummo & vero averſus bono, quod non tam ſenſu quam intellectu percipitur; partim ad corporeas voluptates, partim ad ea quæ ſecundum apparentiam potius, quam rei veritatem, bona ſunt, paulatim magis magiſque ſe convertit.

XIX, Hanc voluntatis in bono proſequendo & malo fugiendo perverſitatem, non minor in vero dijudicando error & præcipitantia, ut & multiplex intellectus cœcitas, rerumque ſcitu neceſſariarum ignorantia comitabantur, Imprimis perverſus & cœcus ille amor, quo primus homo ſeipſum & creaturas alias proſequi & venerari cœpit, poſtquam Deum deſeruerat, una effecit, ut ſeipſum etiam non cognoverit recte. Nam ſibi placere & bonis propriis contentus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

tentus eſſe ſtudens, totus in eo fuit, ut tegeret errores atque infirmitates ſuas.

XX. Immaterialem atque immortalem animæ ſubſtantiam, quo minus familiariter cognoſceret, ex eo factum eſſe potuit, quod continuo rerum ſenſibilium uſu, ſenſibus corporeis ac voluptatibus ſic mancipaverit cogitationem ſuam, ut majorem corporis, quam animi curam gereret. Sic vero etiam rerum externarum, quæ movebant ſenſus atque ipſum voluptatibus & commodis corporeis afficiebant, contemplatione multum, cognitione autem ſui, parum tenebatur.

XXI. Sed quia fieri non potuit, ut Animus humanus nunquam cogitet de ſe, cum ſibi proximus ſit & conſcius actuum ſuorum: ſic ab initio addicendo ſe ſenſibilibus rebus, minus familiarem quidem nec diſtinctam adeo, quam ab initio fuit, ſed idcirco nullam non reddidit hanc notitiam ſui. Sic ſui ipſius deſertor factus, ut jam Dei erat, cum ſe non poſſet totum deſerere, Corpus quod minor tantum pars erat, cœpit pro ſe ipſo habere ac omnia referre ad illud ac utilitatem ejus. Quaſi & ipſe Animus corporis tantum perfectio ſit, aut ipſe etiam per ſe corpus quoddam agile præ cæteris. Qua ratione cum cogitabat de Animo, immaterialem atque immortalem ſubſtantiam ejus inſtar rerum ſenſibilium, quæ corruptibiles ſint, ſub ſpecie corporea ſibi repræſentabat.

XXII. Dei cognitionem quod attinet, ad quam Animus nos ducit, ea hinc etiam diverſis modis obtenebrari & corrumpi debuit. Imprimis enim creaturæ rationalis erga Deum inobedientia, ut dictum eſt, quædam Dei deſertio fuit. At quæ deſerimus, negligentius conſideramus. Et ut familiaritas, amicitia & ſyncerus amor, fovent & augent amicitiam, ita averſatio, & remiſſio amoris, eandem

dem minuunt & extinguunt ſæpe. Accedit, quod quicquid tenebrarum & perverſitatis erat in Mentis notitia, id facile redundaverit in Dei cognitionem.

XXIII. Etenim mens humana ad Dei imaginem facta, & illius tamen perfectiſſimam eſſentiam rectà non valens intueri, ſe ipſa tanquam ſpeculo utitur. Adeoque quanto hoc ſpeculum mentis purius & perfectius eſt, tanto clarius & diſtinctius Dei imaginem refert. Atque ex adverſo mens impura ac vitiata id ita non facit: quia plura diſſimilitudinis, quam ſimilitudinis cum Deo argumenta in ſe continet. Et quia tamen à natura docti ſumus, notitiam Dei ab iis petere, quæ quoad Animum in nobis invenimus, & revera inter notitiam utramque aliqua convenientia eſt: facile contingit, ut primum ipſius Naturæ defectus, quos etiam cum imagine Dei habemus, deinde eas imperfectiones, quæ in imagine Dei non ſunt, ſimiliter ad Deum referamus, uti in nobis invenimus eas.

XXIV. Sic ergo Deus non qualis revera eſt, immaterialis, ſimpliciſſimus, puriſſimus & perpetuus actus, qui debeat ſemper idem eſſe: verum ut materialis, compoſitus & hominis inſtar ab otio ad negotium tranſiens cogitari ſolitus fuit ab hominibus primis, quorum nos progenies ſumus: poſtquam ex præpoſtero ſenſuum & imaginationis uſu, proprias Mentes, non ut ſpirituales ſubſtantias quales revera ſunt, ſola mente concipere, verum ut materiales & ex partibus conflatas, ſub rei corporeæ ſpecie, imaginatione comprehendere cœperunt. Quæ tam idololatriæ, quam aliorum errorum origo fuit.

XXV. Cæcutiens hoc pacto, multumque aberrans intellectus, in ſui ipſius ac Dei cognitione, non quidem tantum, ſed aliquatenus etiam in rerum materialium ac ſenſibilium notitia: hinc iterum impeditus atque obtene-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

bratus fuit. Adeo ut hi errores ſe mutuo foveant aut ſaltem cohæreant inter ſe neceſſitate quadam. Etenim à ratione alienum non eſt, quod planius & plenius nos ipſe Deus docet in verbo ſuo, hominis primi erga Deum inobedientiam, univerſi luminis naturalis obtenebratione, & intellectus in rebus quibuſcunque dignoſcendis cœcitate, jure merito mulctatam fuiſſe. Et ſi rectè advertamus, quid noſtri ac Dei recta cognitio prodeſſe, & quid perverſa nocere poſſit, in rerum corporalium contemplatione: facile videbimus, quo pacto tam ab una quam ab altera parte, errores ac tenebræ ex notitia unius debuerint ad notitiam alterius accedere.

XXVI. Etenim ut homo à puriore Dei cognitione & amore, ad ſui atque rerum aliarum cœcam dilectionem deficiens, adeoque ſenſibus ac voluptatibus corporeis continuo nimium indulgens; cogitare cœpit, Mentem etiam eſſe corporeum quid, aut perfectionem corporis, ſimulque adeo abſurdam imaginationem ad Deum tranſtulit: Hinc iterum res corporeas & ſenſibiles, non amplius brutas & otioſas, verum viventes, cogitantes, ſuaque ſe ad agendum facultate incitantes, atque adeo divinas ſuppoſuit. Nam tribuens iſta ſuo corpori, quia mentem ab eo ſatis non diſtinguebat, atque ita primum Mentem, deinde Deum ſupponens corporeum quid eſſe; non putabat obſtare quicquam, cur etiam tribui non poſſint aliis corporibus, ut animalibus, plantis, cœlis, ſtellis, & ſic toti Mundo denique. Sic vero iis primum vis & poteſtas ex ſeſe movendi ſe, quæ vulgo Natura dicitur, & revera eſt divinum quid, deinde etiam cogitatio eſt tributa. Prorſus ut Deo, qui ſolus ſic movet & cogitat omnia, primum corpus eſt tributum, quod duplici actu illo divinum ſit. Cum enim Naturæ vim, quæcunque demum ſit, & tributam illi cogitatio-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

tationem, non comprehenderent ſatis, ex ignorantia admiratio, ex admiratione ſtupor ſequebatur & veneratio cœca, quæ ſic quoque juncta fuit cum opinione divinitatis.

XXVII. Ad tantam denique humani intellectus in cognoſcendis corporeis rebus perverſitatem, quoad ſimplicem apprehenſionem, ſimilis perverſitas in judicio acceſſit, quæ etiam referri poteſt ad perverſam Dei cognitionem. Et hinc iterum quoque voluntas pervertitur. Primum quidem, quia ubi adeo male cognitio ſe habet, ut ſimplex tantum apprehenſio eſt, bene non potuit ſe judicium habere. Sic enim cum Deus corporeus eſt factus, quia id primum de noſtra mente cogitamus, viciſſim rebus corporeis ea quæ Dei & Mentis ſunt, tribuimus, tam in judicio de natura corporum, quam in ſimplici notione eorum, à qua judicium inſeparabile eſt. Deinde Homo primus in primo peccato & errore ſuo, de iis quæ bona vel mala ipſi forent, judicii ac voluntatis libertate abuſus & ſic continue tum appetitui, tum judicio ſenſitivo plus tribuens, quam rationali; propria culpa & juſto Dei judicio, ſic temere judicandi & volendi habitum contraxit; qui cum ad habitum adeo obſcurè & confuſè res omnes percipiendi accedit, proxima Erroris & Peccati cauſa fit. Hæc Temeritas autem primo quidem ad Senſus & Appetitus ſenſitivos, ſed paulatim etiam ad Intellectum & Voluntatem ſe extendit. Et Intellectus inde eo modo cum ſenſu junctus atque illi mancipatus eſt, quo id nos jam experimur in nobis. Ut putemus non amplius quicquam eſſe in intellectu, quod prius in ſenſu non fuerit. Quod qui de Deo credit, quia id primum de Anima credidit, adhuc magis debet de Rebus Corporeis credere. Quæ nova confirmatio Erroris eſt, quo fit, ut ſicut in Naturæ intellectua-

lis,

lis, Mentis & Dei, ſic quoque in Naturæ corporeæ naturali cognitione, vix quicquam ſuperſit, quod eo quo oportet modo cognoſcatur: ſive ſimplicem in idea apprehenſionem, ſive judicium ſpectes. Quo poſito non poteſt recta Voluntas eſſe.

De Ariſtotele & Ariſtotelicis.

Anno 1669. Amſteladami.

I. VEram philoſophandi libertatem, quæ aliud nihil quam *libertas judicandi ſecundum rationem* eſt, tam puto in uno potiſſimum, quam in diverſis atque inter ſe diſſentientibus poſſe autoribus ſervari: ſive diſcentes, ſive docentes ſpectes. Neque adeo neceſſe eſt, Eclecticum eſſe, per omnes ſectas vagando, qui futurus liber Philoſophus eſt. Quin puto hanc maximam ſervitutem eſſe. Poteſt eſſe veritas in uno, poteſt ab uno occupata eſſe, in aliquibus ſaltem, atque fundamentum quod attinet. Neque tum amplius liberum eſt quicquam aliud amplecti, nec neceſſe eſt quærere aliud.

II. Ita nobis olim religio non fuit, Ariſtotelem prælegere ac profiteri Philoſophiam ejus, quatenus veritati conſentanea videbatur. Et inquirens in fundamenta philoſophiæ Ariſtotelicæ aliquanto curioſius, eam valde diverſam deprehendi à ſcholarum Philoſophia, quæ pro Ariſtotelica habetur, quamvis non ſit revera, ſi præcipua utriuſque capita ſpectemus.

III. Quod ut paulo diſtinctius ob oculus ponam, ut certe operæ pretium eſt, primum ordine recenſebo ea quæ maxime conſideratu digna viſa in *Ariſtotele* fuerunt, ac poſtea

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

ea de Ariſtotelicis dicam, ut manifeſtum fiat, qua in parte ſequuti vel non ſequuti fuerint præceptorem ſuum.

IV. In Ariſtotele imprimis, Phyſicam ſi ſpectes de qua potiſſimum ſermo nobis erit, varia ac multiplex *Naturæ Hiſtoria* occurrit, partim obvia & vulgaris, quæ in communem ſenſum cadit, partim rara & abſtruſa, quæ remota à communi ſenſu, propius ad intellectum accedit, & eatenus ſaltem magis utilis ad ſcientiam eſt. In hoc uno erravit quod hiſtoriam à ſcientia non diſtinguat ſatis: quando intelligentiam primorum principiorum & univerſalium veritatum, à quibus ſcientia pendet, & propter quæ cognitio rei per cauſam eſt, putat à ſenſu advenire, ſæpius repetita obſervatione ſive inductione, quæ ſenſu fit. Ita II. poſt. Anal. cap. ult. *Patet*, inquit, *ut prima nobis inductione nota fiant. Nam ſenſus ita efficit in anima univerſale.* Atque hoc dicit ſenſum ope memoriæ facere, quatenus in ea multorum particularium collectio fit, quæ Experientiam facit; qua poſita & ſuppoſita, iterum nova applicatione aliud particulare concluditur. Ita verò Ariſtoteles paſſim vix aliud quam phænomena ſecundum ſpeciem in ſenſu ſpectat, ut in ſole lucis, in igne caloris poſſumus phænomenum ſpectare, atque adeò ſæpius repetita obſervatione notare, quo pacto unum ex alio conſequatur vel antecedat aliud. Quod eſt cauſam vel effectum eſſe. Ut hac ratione lumen rarefactionis, attenuationis atque etiam caloris, & calor congregationis homogeneorum, & ſegregationis heterogeneorum cogitatur cauſa eſſe: quatenus phænomena iſta cohærent inter ſe, atque unum antecedens, alterum conſequens in ſenſu eſt. Atque in hujuſmodi rerum ſenſibilium connexionibus notandis, Ariſt. ſatis felix fuit, neque ea tantum, quæ ſic videri poſſunt parum ad ſcientiam facere, & quæ ſatis nota & obvia ſunt, ſed multa alia notavit, non ita

nota

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

nota & quæ magis utilia ad ſcientiam ſunt. Atque id nullibi magis manifeſtum eſt, quam ubi datâ opera & ſtudio ſcribit Hiſtoriam Naturæ, ut ſcripti ſunt libri de Partibus animalium, de Hiſtoria animalium, imprimis de Animalium generatione. Ut jam de Meteoris, de Somno & Vigilia, Reſpiratione, Juventute & Senectute, Animalium motione, Inceſſu aliiſque non dicam, ubi ſcientiam & Hiſtoriam naturæ aliquanto magis miſcet inter ſe. Sicut in octo libris Phyſicorum nudam per ſe conatus eſt ſcientiam tradere.

V. Secundo in Ariſtotele non pauca veræ Philoſophiæ *Principia* inveniuntur & *veræ concluſiones*: quæ multo majorem quam Naturæ Hiſtoria uſum in ſcientia habent. Quatenus revera ab intellectu pendent atque in eo habent certitudinem ſuam, quam non poſſent à ſenſu habere. Qualia ſunt, ut pauca è multis recenſeam:

VI. Materiam in rebus corporeis rem vere ſubſiſtentem eſſe, qua in longum, latum ac profundum extenſæ ſint. VIII. Metaph. cap. I. & VII. Metaph. cap. 3. *Si hæc non eſſet ſubſtantia, quæ alia eſſet, fugeret nos. Demptis enim cæteris, nihil aliud remanere videtur*. Et ſic ſolum Materiam putavit *primum ſubjectum eſſe ex quo primum aliquid fit*, atque id exemplo rerum artificialium declaravit, ubi materia certe res vere ſubſiſtens, quin tota rei ſubſtantia eſt.

VII. Proinde unam tantum in rerum natura extenſionem eſſe, quæ propria ſubſtantiæ corporeæ per materiam ſit, neque adeo, vel extra, vel intra mundum ſpacia dari, diverſa à corporibus, ſive vacua, ſive plena. Qua de cauſa contra *ſpatium vacuum ſeparatum à corporibus*, quod neceſſarium ad motum ſit, 4. phyſ. cap. 8. diſputat, & cap. 9. quoque negat *inſitum & corporibus immiſtum* vacuum, quod veteres ad rarefactionem & condenſationem putabant neceſſarium eſſe. Sub finem autem cap. 8. perſpicuo

argu-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

argumento evertit ſpatium *occupatum à corpore*, *Quonam* inquit, *cubi moles ab æquali vacuo & loco differet? Et ſi duæ tales ſimul fuerint moles* (ſpatii & corporis nempe) *Cur & quotquot volueris in eodem non eſſent?* Quod argumentum eſt à penetratione dimenſionum petitum, quæ ſequitur inde. Denique, I. de cœlo cap. 9. *patet* inquit, neque locum *extra cœlum eſſe, neque vacuum.* Et ſic quoque ſpatia non admittit extra mundum.

VIII. Formam partim externam figuram & ſpeciem, eſſe, qua res in ſenſum incurrunt, partim λόγον & εἶδος, quo in intellectu ſunt, partim eas qualitates, quæ reſpondent his, ut ſunt in rebus corporeis, magnitudo, figura, ſitus, motus, quies, & quæ oriuntur ex his, denſum, rarum, durum, molle, fluidum, ſtabile, &c. Quæ cum alibi fuſe à nobis probata ſint, non repetimus. Ex locis innumeris videri poteſt VIII. Metaph. cap. 2. Ubi recenſens Democriti ſententiam, quod rerum ſenſibilium differentiæ & formæ, à figura, ſitu & ordine pendeant, eam non improbat, verum latius deducit, recenſendo plures differentias, quæ tamen omnes ad pauca illa revocari poſſunt. Et quod dignum conſideratu eſt, nomina formæ, quibus utitur, ut οὐσία, εἶδος, ἐνέργεια, imponit iſtis. Deinde II. de Gen. & Corr. cap. 8. *Forma ſpecieſque omnium*, inquit, *in ipſis terminis conſiſtit*. Et hoc pacto IV. phyſ. cap. 2. ubi diſputat, an locus materia, vel forma, vel ſpatium ab his diverſum ſit, concludit, locum formam non eſſe, qui magnitudinis terminus eſt ut figura, verum proximum & immobilem ambientis terminum. Denique notum eſt, Ariſtoteli λόγον, λόγον τῆς οὐσίας, τὸ τί ἐστι, τὸ τί ἦν εἶναι idem eſſe, quod εἶδος, μορφὴ, οὐσία, & hæc omnia ipſum in rei Natura ac Definitione ſpectare, quæ duo etiam idem ſunt. Ut nil quicquam aliter pro rei forma habeat, quam ſecundum con-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

conceptum, à quo nomina rebus impoſita ſunt. Quæ conſideratio Ariſtotelis multo majoris momenti eſt, quam quiſquam advertit facile.

IX. *Materiam ſe ipſam non movere* XII Metaph. cap. 6. neque adeò ullum corpus moveri à ſe, verum *quicquid movetur ab alio moveri*, atque id quod movet ipſum debere in motu eſſe. Id quod toto libro VIII. phyſ. demonſtrat, & ſpeciatim tum de inanimatis corporibus, ut gravia & levia ſunt, tum de animatis oſtendit. *Impoſſibile eſt gravia & levia à ſe ipſis ipſa moveri. Eſt enim hoc vitæ ac animantium proprium. Conſiſtere etiam à ſeipſis poſſent. Nam ſi quippiam ſit cauſa ambulandi, eſt etiam cauſa ſibi non ambulandi. Quare ſi collocatum eſſet in igne ſurſum adſcendere, eſſet in ipſo ſitum deorſum ferri. Rationi quoque conſentaneum non eſt, ea uno duntaxat motu ferri, ſi ipſa ſeipſa moveant. Præterea qui fieri poteſt, ut continuum quid & copulatum ſe ipſum moveat? Nam quatenus quippiam unum atque continuum eſt, paſſionis eſt expers: ubi vero ſeparatum ab alio, unum agere, alterum pati eſt aptum. Neque ergo quicquam eorum ſeipſum movet, quippe cum copulatum ſit, nec aliud continuum ullum: ſed in unoquoque diviſum ſit, id quod movet & quod movetur, neceſſe eſt:* VIII. phyſ. cap. 4. Et capite 2. cum objecerat ſibi, *Animal prius quieſcens, poſteà movetur ac ambulat, nullo ut videtur, eorum quæ extra ſunt, movente.* Reſpondet, *hoc falſum eſſe, cernimus enim ſemper aliquid eorum quæ ſunt innata animali* (ſpiritum intelligit) *moveri: hujus autem motus non ipſum animal cauſa eſt, verum id quod ambit*, aër & cœlum nempe, ut ex iis quæ porro dicturi ſumus manifeſtum fiet. Hac ratione ſaltem in terris nullum putat corpus eſſe ſe ipſum movens, verum omnia ibi, quia à natura facta ad quietem ſint, ad motum in potentia eſſe, neque adeo ullum ea

corpora ex ſeipſis actum habere. *Corpus quod ſuperæ converſioni ſubeſt, veluti materia quædam, quæ potentia ſit calida, frigida, ſicca, humida, cæteraſque omnes affectiones, quæ has comitantur, ſubeat, fit ac eſt hujuſmodi ratione motus ac immobilitatis, cujus cauſam principiumque diximus ante.* I. Metor. cap. 3.

X. Ita Ariſtoteles advertens, ut quid dicatur poſſe moveri debere motum eſſe, vel in eo ipſo quod movetur, vel extra illud: Primum principium omnis motus, atque adeo primum movendi actum à cœlo deducit. Non quod cœli & cœleſtia corpora ſe ipſa moveant, motum producendo, verum quod neceſſario & ſemper moveantur motu, qui ineſt ipſis: ut ea quæ in terris ſunt, ſi propriam ſubſtantiam ſpectes, neceſſario & ſemper quieſcunt. Quod Ariſtoteli eſt à natura moveri, vel quieſcere. Et ſic ſolum putat *Naturam principium motus, vel quietis eſſe.* Hoc ſolum intereſt, quod ea quæ in terris ſunt, moveri quidem, cœli vero & cœleſtia corpora nunquam quieſcere poſſint: quia non ſic in cœlo quietis, ut quidem in terra motus cauſa eſt.

XI. Quibus ita poſitis, præter ambiens cœlum circa terram, ſubtilem & valde mobilem materiam cœleſtem, *elemento ſtellarum analogam*, ut loquitur, in terris ſupponit, ceu primam & proximam motus, caloris & vitæ cauſam. Hinc etiam rationem luminis & colorum petit, ut de cæteris qualitatibus non dicam, & ad tranſitum luminis, *poros* requirit, qui recti ſint. *Uti vitrum denſius pumice*, hinc putat *lumini pervium* eſſe: quo exemplo ipſe utitur probl. ſect. xxv. §. 9. *Non enim aqua vel aër, ut eſt aqua vel aër, perſpicuum eſt, ſed quia natura eadem ineſt in his utriſque, quæ & in perpetuo ſupero corpore.* II. de An. cap. 7.

XII. Ut finem faciam, ex his manifeſtum fit, Ariſtotelis opinione etiam nullum corpus in diſtans agere. *Fieri non*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

non poteſt, ut vel à ſe ad aliud, vel ab alio ad ſe non tangendo moveat. Et perſpicuum eſt, inter id quod motu qui in loco fit, ciet, & in quod cietur, nihil intercedere. II. Phyſ. cap. 2. Neque adeo putat magnetem ferrum trahere ſubſtantia ſua: tum quia quieſcit, & ut vidimus, nihil immotum movet, tum quia diſtat. Neque difficile eſt in his movens ſeu agens invenire, ſuppoſita cœleſti materia, quæ diffuſa per omnia ſemper in motu & perpetuo actu eſt. Atque hæc pauca ſic ab Ariſtotele animadverſa, tum de Materia & Motu univerſim, tum ſpeciatim de cœlo ac cœleſti materiâ, præcipua Phyſicæ fundamenta ſunt.

XIII. Tertio in Ariſtotele multa admodum *egregia veterum Philoſophorum dogmata* citantur, quæ magnum poſſunt uſum in ſcientia habere. Quatenus per annos multos Platonis auditor, exemplo ejus (ſi non tam modus loquendi quam res ipſa ſpectetur) non tam novam ſectam condidit, quam trium principum ſectarum, Ionicæ, Italicæ atque Eleaticæ opiniones, quantum potuit, in unum conflavit, etiam Socratica diſſerendi ac diſſentiendi libertate uſus. Ita de Democrito refert. I. de Gen. & Corrupt. cap. 2. eum in naturæ contemplatione perſuaſum fuiſſe οἰκείοις καὶ φυσικοῖς λόγοις, *propriis ac naturæ accommodatis rationibus*. Quod ipſe quoque in legitima demonſtratione requirit. Ubi procul dubio reſpicit rationes petitas à conſideratione magnitudinum figurarum & motuum, quæ rerum formas & differentias conſtituunt, de quibus §. VIII. diximus. Refert etiam de Democrito, quod putaverit *in aere rotundæ figuræ tenuia corpuſcula eſſe*, quæ dum reſpirando attrahuntur, caloris ac vitæ cauſa in animalibus ſunt: de Reſpir. cap. IV. Quo ſpectat altera Democriti & aliorum antiquorum ſententia, *animarum omnia plena eſſe*. III de Gen. XI. atque *animam* hoc pacto *ex ſubtiliſſimo quodam corpore componi*, I. de

An. cap. 5. Corpora omnia compoſita ex eo eſſe quod λεπτομερέςατον ſubtiliſſimarum partium eſt, & ſic videri poſſe *omnia ex igne eſſe facta*. Quæ certe inſignis conſideratio eſt, quam II. de cœlo cap. 5. legimus. Item *Ignem in medio eſſe, ubi maxime conſervari poſſit*, ut ſtatuiſſe Pythagoram nos docet II. de cœlo cap. 13. Denique Parmenidem ac Meliſſum dixiſſe, *Nihil eorum quæ ſunt generari aut corrumpi, ſed ſolum ita nobis videri*, III. de Cœlo cap. 1. Quod ſi de una & permanente omnium corporum ſubſtantia intelligatur, quam vidimus materiam eſſe §. VI. veriſſimum eſt. Quo ſenſu Parmenides & Meliſſus, etiam recte *unum atque immobile principium* ſtatuunt, putantque omnia unum ſecundum ſubſtantiam eſſe, quod de natura corporea verum eſt. Neque adeo Ariſt. talia quandoque reprehendendo, tam mentem veterum, quam intellexit proculdubio ac probavit in multis, quam modum loquendi reprehendit, qui durus & contra communem ſenſum eſt.

XIV. Quarto in Ariſtotele paſſim *Notiones Logicæ* occurrunt, quæ valde generales & abſtractæ ſunt. Quibus ille omnia involvere conatus eſt, ſive vulgarem popularemque ſenſum ſpectes, cui in pleriſque accommodat ſe, ſive veritatem quæ remota à communi ſenſu, ſpectata ab aliis Philoſophis fuit, à quibus Ariſt. videri voluit magis diverſus eſſe, quam erat revera. Qua ratione, ut pauca é multis recenſeam, *Materiæ* & *Formæ* notionem accipit eo ſenſu, quo à Logicis accipitur. Neque aliter quam ſecundum has notiones Logicas compoſitum ſpectat. *Muſicus homo*, inquit, *ex homine muſicoque componitur. Rationes enim in illorum rationes diſſolves*. 1. Phyſ. cap. 7. Ita vero etiam de *Natura* loquitur, ut de ea omnes homines loquuntur, atque in notione ejus ſimiliter materiam & formam ſpectat. Ut jam de *ſubſtantia, quantitate & qualitate, de actio-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

actione & paſſione, aliiſque Metaphyſicis & Logicis notionibus non dicam, quæ fere infinitæ ſunt. Una é multis ſpectetur in voce ἐντελέχεια, qua ille præcipua Philoſophiæ ſuæ myſteria occultaſſe videtur. Quatenus imprimis ἐντελέχεια & ἐνέργεια ipſi idem ſunt, & hoc pacto non male actus vertitur. Ac præterea etiam idem, quod ὀσία, eſſentia atque adeo rei forma & perfectio eſt, ſimul agendi, & eſſendi actus, qui etiam venit nomine Natura, ut actuoſa rei eſſentia eſt. Quæ quanquam tot diverſæ notiones ſint, unum ſunt in re, quam veteres nude & ſimpliciter ſpectabant ſine notionibus iſtis. Neque hoc ignoravit Ariſtoteles, verum diſſimulavit tantum. Etenim ſi ſecundum Phyſicam notionem res ipſa ſpectetur, quam Ariſtoteles tot notionibus Logicis involvit, nihil aliud quam *Motus* erit, quem cœli & cœleſtia corpora neceſſario atque ex ſeipſis, ea quæ in terris ſunt, virtute & influxu cœli habent. Et ſic ſolum cœleſtia in puro actu poſitam habent eſſentiam ſuam, ad quem actum terreſtria tantum in potentia ſunt. Quam ille in terreſtribus potentiam, alia Logica notione & conſideratione, videtur *Privationem* appellaſſe. Quæ noſtra conjectura ſi vera eſt, Forma & Privatio in re idem quod Motus & Quies erunt, ſicut Materia in re, omnium corporum, quæ moventur vel quieſcunt, & hinc habent formas ſuas, communis ſubſtantia eſt. Ita porro, cum antiqui lumini corpoream naturam tribuerent, & animam quoque putarent ſubtile corpus eſſe Phyſica conſideratione, Ariſtoteles lumen & animam, Logice per actum definit. Et talem quoque tradit motus definitionem. Sic porro omnes alias qualitates & formas rerum tali pacto involvit Logicis notionibus, ut ipſam rei veritatem, quam antiqui nude & ſimpliciter exponebant, non nihil quidem occultaverit, & non everterit tamen; quatenus

tenus cum ipſa rei veritate non pugnant notiones iſtæ, quia adeo generales ſunt.

XV. Quinto & ultimo in Ariſtotele notandi duplices errores ſunt, valde affines inter ſe. Aliqui ex eo orti, quod nimium ſenſibus tribuens, ſecundum eos aliquando videatur de rerum in ſe ipſis ſpectatarum veritate judicaſſe. Quanquam difficulter dici poſſit, an & quando ſic judicaverit, quia etiam videri poteſt, nihil aliud quam ſpecies & phænomena ſpectaſſe. Hinc enim omnia cœleſtia corpora ſimplicia, ingenerabilia & incorruptibilia ſuppoſuit, atque unum ſimplicem iis motum tribuit circularem, ſine ea contrarietate & repugnantia, quam in terris experimur, ubi motus recti ſunt & quies juncta cum motu eſt. Quia tali ſpecie cœleſtia in ſenſum incurrunt. Quibus poſitis uno rotundo cœlo putavit univerſum comprehendi, in cujus medio Terra immobilis conſiſtat, quia cœlum intuenti ſic apparet. Alii, ſed non adeo multi errores referendi ad Ethniciſmum ſunt: qui tamen in iſtis ſenſuum erroribus habent fundamentum ſuum. Ut quod mundum æternum putet ac natura divinum eſſe. Atque ideo neque animam à corpore, neque Deum à mundo diſtinguit ſatis, forte animam ut corporis, Deum ut mundi formam & perfectionem ſpectans. Quam etiam Naturam vocat, cui prudentiam, actionem propter finem, aliaque tribuit, quæ Dei & animæ propria ſunt. Quod unicum fere idololatriæ inter gentiles fundamentum eſt.

XVI. Quibus ita animadverſis, porro videamus, qua in parte potiſſimum ſequuti Ariſtotelem fuerint ſcholarum philoſophi, vulgo Ariſtotelici, Peripatetici, atque etiam Scholaſtici dicti. Hi imprimis aliquanto magis, quam factum ab Ariſtotele fuit, *Naturæ Hiſtoriam cum ſcientia confundunt*. Quo factum eſt, ut tota Phyſica vulgaris,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

garis, quatenus aliquam veritatem videtur atque utilitatem habere, rerum naturalium hiſtoria tantum ſit. Quæ certe magna impoſtura eſt. Præcipue ſi ſpectemus eas hiſtorias quæ fere inutiles ad ſcientiam ſunt: quatenus partim obvia & nota tractant, quæ in communen ſenſum cadunt, puta ignem calidum, aquam frigidam eſſe, ſolem lucere, oriri, occidere &c. & hinc petunt difinitiones ac deſcriptiones rerum; partim rara & curioſa tantum, quæ plerumque adhuc magis inutilia ad ſcientiam, & magnam partem incerta ſunt. Cum Ariſtoteles in Naturæ Hiſtoria magis ad ea attenderit, quæ uſum poſſunt in ſcientia habere, qualia non pauca in libris de Generatione Animalium & paſſim alibi occurrunt, quæ recenſere nimis longum eſſet; de quibus non cogitant Ariſtotelici philoſophi, & quæ communiter non legunt quoque. Hinc etiam factum eſt, ut aliquanto plus ſenſibus tribuant, quam Ariſtoteles iis tribuit, putentque ſine ſenſu & experientiâ veram in nobis ſcientiam non eſſe. Quod Ariſtotelem revera ſic non putaſſe, quanquam ut Platoni ſe opponeret id videatur putare, ex pleriſque veritatibus manifeſtum eſt, de quibus ſecundo loco diximus. Quippe quæ adeo remotæ ab omni ſenſu ſunt, ſive principia ſive concluſiones ſpectes, ut ſi intellectus eas non perciperet ſine ſenſu, prorſus ignotæ eſſent, & non admitterentur quoque. Quia in multis pugnant cum ſenſu.

XVII. Secundo *inſignes veritates* pleraſque, quæ in Ariſtotele occurrunt, tum *Principia*, tum *Concluſiones*, non modo negligunt, verum etiam *evertunt* ſcholaſtici Ariſtotelici Philoſophi. Docendo Materiam in ſe puram potentiam & non ens, Formam rem vere ſubſiſtentem atque adeò ipſammet corporum ſubſtantiam eſſe. Quæ duo Ariſtoteli nunquam in mentem venerunt. Vel ſi materiam admit-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

admittant rem vere ſubſiſtentem eſſe, eam non ſe ſola, verum una cum forma putant corporum ſubſtantiam conſtituere, ut ſit corpus unum compoſitum ex duabus ſubſtantiis. Præter Materiam & Formam, Accidentia admittunt, quæ ſupponuntur plus quam modi atque adeo etiam res verè ſubſiſtentes eſſe: quæ idcirco *Realia* vocant, ut *Formæ* dicuntur *ſubſtantiales*. Ita *quantitatem* imprimis non cogitant materiæ & corporis eſſentiam eſſe, verum ſeparabile vel inſeparabile accidens tantum. Quin ſine corpore, quantitatem & extenſionem, loco & ſpatio tribuunt, contra Ariſtotelem toto fere quarto phyſicorum refutantem errorem hunc. Ac præterea ad incruſtandum hunc ſuum inſignem errorem, *ſpacia* quæ diverſa à corporibus & ſine corpore ſupponunt, *imaginaria* vocant: quod neque Ariſtoteli, neque ulli antiquorum in mentem venit. Quia nimis aperta contradictio eſt. Porro præter quantitatem, quam ſic & à parte rei, & ſecundum cogitationem à corpore divellunt, *Qualitates* ſupponunt, quæ pariter quoque ſeorſim exiſtere, vel ſaltem concipi poſſunt. Et hujuſmodi qualitates putant imprimis eas eſſe, quas Logici *Patibiles* vocant, ut color, lumen, ſonus, odor, calor &c. Deinde Potentias naturales. Ut jam de ſpeciebus non dicam, quas *intentionales* vocant: quarum interventu patibiles qualitates putant in ſenſu eſſe. Ex his omnibus denique, una cum materia & forma, in unum coëuntibus, *Naturam* componunt. Cogitantque hoc pacto omne corpus naturale, ſine antecedente motu, quem habeat intra vel extra ſe, à ſe ipſo moveri, & pariter ex ſe ipſo quieſcere poſſe, quando id poſtulat Natura, quæ hoc pacto tam motus quam quietis principium & cauſa ſibi ipſi in proprio ſubjecto ſit. Et ſic primum omnes cœlos omniaque cœleſtia corpora circulari, gravia & levia recto

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

recto putant motu à ſeipſis ſive Natura moveri. Viventibus atque animatis multiplicem alium motum tribuunt, quo in omnes partes ferantur, quæ illorum Natura ſit, quam videntur à vita atque anima habere. Ita imprimis duo veriſſima axiomata evertunt toties ab Ariſt. inculcata, *Nihil moveri à ſe*, & *quod Immotum eſt alterum non movere*, & non admittunt quoque tertium, *Nil quicquam in diſtans agere.* Quibus ita poſitis, etiam non cogitant rerum formas & qualitates à cœlo eſſe, & non advertunt cœlum terræ miſceri. Non calorem, non lumen, non vitam, non animam, non vim magneticam deducunt inde, imaginariâ natura, imaginariis qualitatibus, formis & facultatibus contenti, quas fingunt ad propriam corporum ſubſtantiam pertinere, non à cœlo & influxu cœleſti advenire.

XVIII. Tertio *Dogmata antiquorum philoſophorum* egregia & valde utilia ad veram ſcientiam, non intelligunt, non curant multum, multoque magis iis opponunt ſe, quam Ariſtoteles fecit. Ariſtoteles enim non tam ex intimo animi ſenſu, quam ſecundum ſpeciem tantum, atque adeo contradicendi & cavillandi ſtudio antiquis ſe oppoſuit: non tam de re quæſtionem movens, quam de modo conſiderandi & loquendi ſecundum vulgares & Logicas notiones, quibus per omnia ille accommodat ſe. Quod ſic factum ab antiquis non eſt, qui vel ignorabant Logicam, vel eam tali pacto cum philoſophia non miſcebant. Quod qui non advertunt, ut certè animadverſum hactenus non eſt in ſcholarum philoſophia, quantum nobis conſtare potuit, ex quacunque diverſitate vel contradictione verbali realem facientes, vix ulla dogmata antiquorum paſſim ab Ariſtotele allegata, quanquam digna conſideratu ſint, putant alicujus momenti eſſe: quando

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

aperte probata & laudata ab Ariſtotele non ſunt, vel ſecundum ſpeciem ſaltem refutata. Ita Ariſtoteles non quidem aperte probat veterum ſententiam de anima mundi, quæ ſubtile corpus ſit rebus omnibus immiſcens ſe: attamen res ipſa ſi ſpectetur, eam non improbaſſe videtur. Et multum diſputat quidem contra Meliſſum & Parmenidem negantes quicquam in natura vere generari vel corrumpi, verum ſic nobis videri tantum ſecundum ſpeciem, qua in ſenſu apparent res. Proculdubio quia ſubſtantiam rerum omnium, quæ materia eſt, cogitabant ingenerabilem atque incorruptibilem eſſe. At ſi res ipſa ſpectetur, ea ipſa quoque opinio Ariſtotelis fuit, quando Formam putat eam ſpeciem eſſe qua res in ſenſu ſunt, quæ non tam verè eſt, quam apparet tantum. Cum materiam putaret ſubſtantiam eſſe, qua corpora omnia res verè ſubſiſtentes ſunt. Quæ ſubſtantia ut ingenerabilis & incorruptibilis, ſic revera ubique una atque eadem eſt, ut antiqui iſti dicebant unum immutabile principium eſſe. Quam veritatem ſic latentem in veterum ſententia, quæ allegata ab Ariſtotele eſt, neque intelligunt, neque poſſunt intelligere vulgo ſic dicti Ariſtotelici & ſcholaſtici philoſophi. Tum quia aliam de materia, forma & accidentibus, quorum ſpecies in ſenſu eſt, opinionem habent, tum quia nimium tribuunt Logicis notionibus, de quibus jam porro dicturi ſumus. Non enim opus eſt pluribus hanc conſiderationem exemplis probare.

XIX. *Notiones Logicas* quod attinet, de quibus quarto loco dicendum eſt, hæ etiam aliter uſurpatæ ab Ariſtotelicis & ſcholaſticis, quam ab Ariſtotele fuere. Eo fere modo quo in Naturæ Hiſtoriâ aliter cujuſque rei ſpeciem ſpectant. Nimirum ſpecies ab Ariſtotele, ſi ſequamur doctrinam ejus, debent tantum ut phænomena in ſenſu ſpectari.

Ne-

Neque aliter logicas notiones in intellectu ſpectat, ut modi quidam conſiderandi ſunt, λόγοι Rationes, quas etiam ſpecies vocat. Hinc petit nomina rerum, uti eas intelligimus communiter; ſic ſpectat formam, ſpeciem, compoſitionem cujusque rei. Quod non intelligunt, qui primum qualitates ſenſibiles, à quibus nomina rebus impoſita ſunt, & tum quoque formas intelligibiles ut res ſubſiſtentes conſiderant extra ſpeciem in ſenſu & modum conſiderandi in intellectu. Atque id nullibi magis manifeſtum fit, quam ubi veritates ab Ariſtotele non-nihil tantum incruſtatas logicis notionibus, cum erroribus Ariſtotelicorum conferimus, qui logicis notionibus evertunt veritatem. Ob hoc unum, quod putaverint notiones iſtas aliquid rei eſſe, quia in cogitatione comitantur conceptum rei, ſicut ſpecies in ſenſu, hinc etiam aliquid videntur in rebus & realia accidentia eſſe. Quo duplici errore potiſſimum vulgo ſic dicta Ariſtotelica ſcholarum philoſophia, hactenus ita corrupta fuit, ut non videatur potuiſſe ulla arte mala magis corrumpi. Quia hi duo primi & maxime generales omnium errorum fontes ſunt, qui nos à rerum in ſe ſpectatarum veritate avertunt, faciuntque ut nomina & conceptus, quibus nihil rei ſubeſt, pro rebus ipſis amplectamur.

XX. Quod attinet denique *paucos errores* in Ariſtotele, de quibus quinto & ultimo loco diximus, eos Ariſtotelici & Scholaſtici imprimis, partim confirmant & augent, partim incruſtant tantum, nullos evertunt vere. Ariſtoteles quantum poterat ad communem ſenſum accommodando ſe, occaſionem quidem dedit errori, quo de rerum in ſeipſis ſpectatarum veritate ex ſenſu judicamus. Attamen videri poteſt errorem hunc cavere voluiſſe, expreſſe profitendo, ut vidimus, ſe rerum formas & qualitates

ſpectare, ut ſpecies in ſenſu, & λόγοι in intellectu ſunt. Quod ſic non advertentes, neque unquam caventes ſectatores Ariſtotelis, hac in parte primum iiſdem impliciti erroribus cum Ariſtotele fuerunt, deinde multum confirmant & augent eos, tanquam per ſe notum ſupponentes, ſecundum ſpeciem in ſenſu judicandum de rerum formis & qualitatibus eſſe extra ſenſum: quas idcirco qualitates manifeſtas vocant, cum revera ſpecies in ſenſu tantum manifeſtæ, ipſæ rerum qualitates occultæ ſint. Altera claſſis errorum, quos notatu dignos in Ariſt. judicavimus, Ethnicifmum concernunt. Quos diximus ex eodem fere fonte ortos eſſe. Quatenus res omnes ſecundum ſenſum ſpectando, id quod proprium ſenſus eſt atque adeo ad animam ſpectat, corpori tribuimus, ubi anima & ſenſus non eſt. Ut dolorem noſtro, calorem, frigus, lumen, colorem & talia corporibus aliis tribuimus, extra nos, quanquam hi revera ſenſus tantum in nobis ſint. Qui tam Philoſophorum, quam vulgi error eſt. Quo admiſſo, ut error errorem trahit, ſic porro omnes alias animæ qualitates, corporibus tribuunt. Neque adeo Naturam corpoream ab incorporea eo quo oportet modo diſtinguentes, etiam animam à corpore non diſtinguunt ſatis, putantque corpus propria ſubſtantia & forma ſua animatum & vivens eſſe. Quaſi vita & anima, ut Ariſtotelici loquuntur, actus & perfectio corporis ſit, quæ, opinione Ariſtotelis, perit cum corpore. Quo poſito, vita & anima perfectiſſima quæ divina eſt, & non perit, eodem errore poteſt mundo tribui. Jam vero hos errores adeo aperte quidem non profitentur Ariſtotelici Chriſtiani Philoſophi, attamen ab iis immunes non ſunt. Quia non ſcientiam veram, ſed fidem tantum opponunt iis, quæ remedium erroris in ſcientia non eſt, verum erroris incruſtatio tantum.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

XXI. Ita verbo dicunt quidem Ariſtotelici, Animam in homine incorpoream, atque immortalem eſſe, quod conſentaneum fidei eſt. At cogitare deberent ſe jam ante cum Ariſtotele animam in homine ut formam & perfectionem corporis ſpectaſſe, quæ perfectio, ſi *aliquid corporis* eſt *non poteſt eſſe ſine corpore*, ut loquitur Ariſt. 11. de An. cap. 2. Hanc animam Ariſtoteles ſolum dixit corpus non eſſe, ut figura corpus non eſt, quo exemplo ipſe utitur, & quia non eſt craſſum illud corpus, quod organicum vocat, verum ſubtile, *analogum elemento ſtellarum*, Libro 11. de Gener. An. cap. 3. Quod non eſt animam prorſus incorpoream ſecundum ſubſtantiam eſſe, quod neceſſe eſt, ſi futura immortalis ſit, ut præ ſe ferunt Ariſtotelici Chriſtiani Philoſophi. Pariter multum de Deo loquuntur, qui à Mundo & Natura corporea diverſus ſit. Et tamen ea Naturæ tribuunt corporeæ, tum Univerſali, quæ toti Mundo, tum Particulari, quæ ſingulis ſeorſim corporibus præeſt, quæ Dei propria ſunt: Sicut revera Ariſtotelis, Senecæ & aliorum opinione, Deus & Natura unum ſunt, aut, ut alii cogitant, Natura inſtar animæ in homine ſaltem particeps divinitatis eſt, cujus in ſe habet veſtigium aut ſimulacrum quoddam. Hinc orti ſunt iſti communes loquendi modi in Scholis recepti, quibus Natura dicitur propter finem agere, bonum univerſi procurare, prudentia uti, unum appetere alterum fugere, in futurum providere & proſpicere rebus, ſe ipſam tueri, novam ſubſtantiam procreare, facultates ſibi miniſtras producere, & ſic porro ea facere, quæ revera vel anima in corpore, ut Natura Particularis, vel Deus in Mundo, ut Natura Univerſalis facit.

XXII. Quæ cum ita ſint, jam olim deprehendi, inter genuinam & antiquam Ariſtotelis, & novam Renati Deſ-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

cartes Philoſophiam, quæ etiam in multis antiqua eſt, tantum diſcrimen atque intervallum non eſſe, quantum videtur multis: ſi utriuſque principia, ſaltem in Phyſicis ſpectemus. De Logica & Metaphyſica, ubi magis diverſi & in multis contrarii ſunt, jam dicendi locus non eſt, quia potiſſimum Phyſicam ſpectamus. Notandum ſolummodo Ariſtotelem, ut in univerſa Philoſophia omnia quantum poteſt notionibus ſecundis involvit, ita in Logica tractare de iis. Ubi non ex rerum in ſe ſpectatarum intuitu, verum ex conſideratione notionum iſtarum, quæ intellectum abducunt à rebus, docet enunciationes, definitiones, diviſiones & præcipuè Syllogiſmos formare, quæ quaſi Logica inſtrumenta ſunt. Neque aliter fere Metaphyſicam tractat, quam ſecundum notiones iſtas: quæ idcirco magnam cum Logica affinitatem habet. Nos quod attinet, quia putamus veritatem ſic non debere in Philoſophia notionibus ſecundis involvi, eo quod tractanda per notiones primas ſit: Logicam quæ tractat de ſecundis notionibus compoſitiſque inde inſtrumentis, non putamus cum Philoſophia miſcendam eſſe, neque adeo, pro illius parte vel inſtrumento habendam. Quanquam poſſit à Philoſopho tractari, ut Rhetorica poſſet, quæ adhuc magis à Philoſophia aliena eſt. Verum loco Logicæ iſtius poſſe ac debere aliam eſſe, quæ de ſimpliciſſimis atque ipſiſmet primis notionibus tractans, quoad ſumma genera rerum, Philoſophiæ propria, atque adeo prima ejus pars eſt, & commune inſtrumentum. Hæc non ex parte ſolum, verum per omnia eadem cum vera Metaphyſica eſt, quatenus primam & perfectiſſimam ſcientiam, ſimul cum modo ſciendi nos docet. Quod neque de Metaphyſica, neque de Logica Ariſtotelis dici poteſt, quatenus in Metaphyſica generales & nimis abſtractos modos conſiderandi,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

in Logica modum diſſerendi ac diſputandi tradit. Sed de his, præcipue Logicam quod attinet, alibi plura diximus, & adhuc dicenda ſuperſunt.

XXIII. Ut in viam redeamus, ex dictis manifeſtum fit, Phyſicam quod attinet, inter Veterum, quæ Ariſtotelis, & Novam, ut vocant, quæ Renati Deſcartes eſt, tantum diſcrimen atque intervallum non eſſe, ſi utriuſque principia ſaltem, & non tam modum loquendi, quo ab omnibus Ariſt. videri voluit diverſus eſſe, quam res ipſas ſpectemus. Manifeſtum fit præterea, opinionem hanc de majori diverſitate, quam eſt revera, ex eo eſſe ortam, quod Scholarum Philoſophia ſupponatur Ariſtotelica eſſe, qualis revera non eſt, ex malo intellectu Ariſtotelis. Nos veterem & vere Ariſtotelicam in multis probamus, novam quæ vere talis non eſt rejicimus. Uſque adeo, ut inutilem & noxiam putemus; ſive uſum ſpectes, quem videtur in aliis diſciplinis habere, quaſi hæ ſine ea intelligi non poſſint, cum potuiſſent melius intelligi, & felicius tradi quoque: ſive pretium, quod deberet in ſe ipſa habere, & revera nullum eſt, quatenus rerum in ſeipſis ſpectatarum veritatem non habet, quæ ſola, ut virtus, ipſa ſibi pretium eſt. Nam quicquid in ea eſt veri, vix aliud quam notitia popularis eſt, ad communem ſenſum accommodata, quo omnia relate ad nos & vitæ uſum, ſecundum nomina & conceptus, & non tam ſcientiam Naturæ, quam Hiſtoriam ſpectamus. Quod ab his diverſum eſt, atque, ut videtur, ſublimius quid (in quo multum placent ſibi) magnam partem, vel error & inutile figmentum, vel opinio & conjectura eſt.

XXIV. Ita planum fit, non poſſe Scholarum Philoſophiam, ſaltem Phyſicam ejus, arte ulla emendari. Ut fruſtra ſint, qui conantur eam nobis Reformatam dare,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

vel Nova & meliore Philoſophia, quam admiſcent, corrigere errores ejus. Quaſi, ut in Religionem Reformatio cadit, quæ multum adhuc ſani habebat, ita cadere Reformatio in Philoſophiam poſſit, in qua nihil ſani eſt. At paulo aliter ſentiendum de ea Philoſophia, quam Ariſt. nobis imperfectam reliquit. Quanquam enim eam reformare, ubi melior jam inventa eſt, quæ ſuam per ſe habet formam, ac debet habere, forte inutile ſit atque etiam difficile & vix poſſibile: id dici non poteſt ex eo contingere, quia nihil in ea ſani reliquum ſit, verum quia ea quæ ſunt ſana, novam formam non admittunt.

XXV. Proinde, ut paucula dicamus de *Emendatione ſive Reformatione*, quæ ſic aliquanto magis videtur poſſe in Ariſtotelem quam Ariſtotelicos cadere, *Hiſtoria Naturæ*, quia deficit in multis, imprimis perficienda & ſupplenda eſt, ea notando atque obſervando, quæ utilia ad ſcientiam ſunt. Cujuſmodi non rara tantum, & curioſa ſunt, quibus multi delectantur, verum etiam obvia, communia & quæ negligi, vel etiam contemni ſolent, quia non videntur utilia ad vitam eſſe. Talis vero emendatio ante omnia neceſſaria eſt in Hiſtoria Cœleſti, ad recte intelligendum, & ex cauſis deducendum veram totius Mundi conſtructionem. Qui maximus defectus primum in veteri Ariſtotelis, hinc in nova Ariſtotelicorum philoſophia fuit; quo poſito hanc philoſophiam neceſſe eſt in cæteris deficere, quatenus cœli & cœleſtia corpora conſtituunt Mundum; atque ea quæ in Terris ſunt ſub cœlo, ut non ſubſiſtere, ita nec intelligi ſine cœleſtibus poſſunt. Tantum vero abeſt, ut hæc emendatio dici poſſit facta eſſe ab Ariſtotelicis in Ariſtotele, ut quantum poſſunt potius confirment & augeant errorem, ea quæ in terris ſunt ſeorſim & ante omnia ſpectando, etiam minima quæque, quæ adeo conſideratu digna non ſunt.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

ſunt. Quaſi ut cœleſtia ſunt ſupra nos, ita non pertineant ad nos, in quo communiter omnes homines errant. Cum cœli & cœleſtia maxime, quin magis quam terreſtria pertineant ad nos: quatenus per ea vivimus & movemur, atque omnium aliarum rerum formæ, qualitates & vires pendent ab iis. Quin noſtra in cœlis habitatio eſt, quatenus proxime attingunt terram, atque per omnia diffundit ſe ſubtilis materia cœlorum.

XXVI. Deinde *Hiſtoria Naturæ*, quam à ſenſu habemus, qualiſcunque demum ſit, aliquanto magis, quam videri poteſt Ariſt. feciſſe, *diſtinguenda à ſcientia* eſt. Atque in eo ipſe nobis præit Ariſt. 1. Analyt. poſt. cap. 31. *Nec per ſenſum fit ut ſciamus. Nam etſi ſenſus eſt rei talis, non hujus alicujus; tamen neceſſe eſt ſentire hoc aliquid, & alicubi & nunc. Quod autem eſt univerſale & in omnibus, ſentiri nequit: quia non eſt hoc aliquid, neque nunc. Alioquin non eſſet univerſale. Quod enim eſt ſemper & ubique, id dicimus eſſe univerſale. Quoniam igitur demonſtrationes ſunt univerſales, univerſalia vero non licet ſentire: perſpicuum eſt non fieri per ſenſum ut ſciamus. Imo planum eſt, etiamſi ſenſu percipi poſſet triangulum duobus rectis æquales angulos habere, nos eſſe requiſituros demonſtrationem. Nec enim ſciremus.* Hactenus bene, & ſic ſatis accommodate ad Platonis atque aliorum veterum ſententiam, qui putabant omnem prorſus veritatem, atque adeo ſcientiam veram, petendam ab intellectu; hoc ſolo percipi ea quæ verè & neceſſariò ſunt, cum ſenſus tantum percipiat ea quæ forte poſſunt eſſe, vel videntur tantum, quando vere non ſunt. Ideoque objectum intellectus dicebant τὸ ὄν, τὰ ὄντως ὄντα, ſenſus τὸ φαινόμενον, τὰ μὴ ὄντα eſſe. Ita Plato in Phædone: *Ratiocinatur tunc optime animus, quando horum nihil ipſum perturbat, neque auditus, neque viſus, neque*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

dolor, neque voluptas, ſed quam maxime ſeipſum in ſe recipiens, deſerit corpus, neque quicquam quoad fieri poteſt, cum eo communicans, neque attingens, ipſum quod vere eſt, τῦ ὄντος *comprehendit.* Et ſic putabat Plato ſcientiam rerum Mathematicarum à ſolo intellectu pendere, ut neceſſe eſt, ſi à ſenſu non adveniat hæc ſcientia.

XXVII. Attamen Ariſtoteles ab hac doctrina iterum videri volens diverſus eſſe, diverſus à ſe ipſo videri debuit. Quando hoc eodem loco etiam dicit, *ex pluribus particularibus univerſale manifeſtum fieri, ut cum lunam interpoſitione terræ ſæpius pati eclipſin videmus.* Quin eſſe & fieri univerſale in anima, multorum *particularium collectione*, quam *inductionem vocat.* Quatenus ſenſus memoriam, memoria experientiam facit, atque ex *experientia ſive omni quieſcente in animâ principium artis vel ſcientiæ fit.* II. Poſter. Anal. cap. 19. Quibus ita poſitis, intelligentia primorum principiorum, quæ debent univerſalia eſſe, ut vera ſcientia ſit, non à natura in intellectu erit, ut nos cum Platone & Carteſio putamus, verum per ſenſum adveniet nobis. Ut *intellectus inſtar tabulæ raſæ ſit, in qua nihil eſt, antequam ſcribatur.* III. de An. cap. 4. Quæ communiter videtur conſtans Ariſtotelis doctrina eſſe, quam Ariſtotelici ſequuntur, & hinc putant; Nihil eſſe in ſenſu quod prius in intellectu non fuerit.

XXVIII. Quem errorem ut perſpicue detegamus, & quantum fieri poteſt in Ariſtotele emendemus, duplex univerſale ſpectandum, quod utrumque agnoviſſe, verum eo quo oportet modo Ariſtoteles diſtinxiſſe non videtur. Unum *vere univerſale* eſt ſecundum intellectum, *ante multa*, ut vocant. Hujus vera in nobis ſcientia eſt, quia non ſpectatâ ſecundum ſpeciem in ſenſu, quæ fallit nos, multitudine rerum, quæ incomprehenſibilis eſt, in idea concipitur,

cipitur, quæ una in intellectu exiſtens non fallit, & incomprehenſibilis non eſt, verum ipſa omnia ſub ſe comprehendit. Quam idcirco ante omnia ſpectamus, & ſupponimus atque applicamus tantum in particularium conſideratione, tanquam prius & notius quid. Hinc ſolum univerſale recte dicitur natura prius & notius particularibus eſſe. Alterum *non vere univerſale* ſecundum ſenſum: quod vocant *poſt multa* atque *in multis*. Quod ſic ante multa, quæ particularia ſunt, notum non eſt, verum ex iis fit notum, multorum collectione atque inductione, quæ ſenſu ſit. Sic vero etiam particularia, quæ ſola cognoſcimus per ſenſum, dici debent atque dicuntur communiter priora atque notiora univerſalibus: uti ea pueri etiam cognoſcunt prius. Hujus univerſalis vera in nobis ſcientia non eſt, ob hoc unum quod particularium ſcientia non ſit, ut communiter admittunt Philoſophi. Ita fit, ut etiam certi ſecundum ſenſum non ſimus, an ut multorum, ita omnium facta collectio ſit: ſicut certi ſumus de eo, quando primum non cogitando de multis res ipſa ſecundum ſe ſpectatur, in idea quæ una in intellectu eſt comprehendens omnia. Et ſi forte ſit facta talis collectio, & videamur de ea certi eſſe ſecundum perſuaſionem, idcirco certi ſecundum ſcientiam non ſumus, nec vera ſcientia eſt perſuaſio talis, verum opinio tantum. Quia non alia omnium, quorum collectio univerſale faceret, quam ſingulorum ratio eſt. Ut quod de uno dixeris, *Nos eſſe requiſituros demonſtrationem*, quod recte advertit Ariſt. dicendum de multis & omnibus ſit. Quia tam omnium, facta collectione, quam ſingulorum cognitio particularis & vere particularium eſt.

XXIX. Sic ſaltem in Geometricis demonſtrationibus perſpicuum fit, quod verè univerſale eſt, debere ante particularia notum eſſe, etiam ante primum illud, quod

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

exempli cauſa oculis ſubjiciunt. Quia ne quidem primum illud, ut eſt ex. gr. particulare hoc triangulum, ut particulare eſt, verum in & cum eo communis trianguli natura ſpectatur. Et quiſquis ita ſecundum intellectum ſive in idea communem novit naturam trianguli, ut *unum ante multa*, ſecundum ſenſum eam *in multis poſt multa* non quærit, verum è contra hanc naturam notam ſupponit & applicat in multorum atque omnium conſideratione. Quod adeo verum eſt, ut ne tum quidem ſcientia trianguli futura vere univerſalis ſit, ſi quis aliquam proprietatem ejus quoad ſingula ſeorſim genera demonſtret. Verum contra de ſummo genere quærenda una & ſimplex demonſtratio eſt, quæ communis omnium ſecundum unam & communem ideam intelligitur. Ubi non poſſum non iterum Ariſtotelem allegare, 1. Poſt. Anal. cap. v. quanquam ut nobis, ita lectoribus procul dubio moleſtum ſit, toties interrumpere ſermonem. *Proinde ſiquis ſingillatim oſtenderit una aut altera demonſtratione, unumquodque triangulum habere duos rectos, æquilaterum ſeparatim, & ſcalenum & iſoſceles, is nondum novit ipſum triangulum eſſe æquale duobus rectis, niſi Sophiſtico modo. Nec univerſaliter triangulum, licet nullam præter hæc ſit triangulum, novit; nec omne triangulum, niſi ſecundum numerum; ſecundum formam vero* κατ' εἶδος, *non omne, etſi nullum eſt quod non cognoſcat.* Ubi triangulum κατ' εἶδος *cognoſcere*, eſt aliud nihil, quam triangulum in idea cognoſcere, qua unum ante multa in intellectu eſt, quod Ariſt. πρῶτον καθόλου & καθόλου πρῶτον vocat, & perſpicue nos docet, unum quod ſic cognoſcitur, omnia complecti & vere univerſale eſſe, quod ut prius & notius ſupponendum, neque adeo ex particularibus deducendum, verum contra iis applicandum eſt, ſi futura ſit vera ſcientia eorum. Ita apud Ariſtotelem

κατὰ

κατὰ παντὸς & καθόλȣ, *de omni & univerſale* diſtinguuntur.

XXX. Jam vero Phyſicam quod attinet, in ea etiam putamus poſſe ac debere univerſalia ſecundum intellectum ſpectari, ſi futura vera ſcientia ſit. Quæ non tam primo invenimus quam ſupponimus & applicamus in particularium conſideratione. Quod lubet ſolum uno exemplo demonſtrare, quod ab Ariſt. allegatum eſt: ut quantum poteſt Ariſtoteles ſeipſum emendet. *Quædam ſi videremus non quæreremus, non quaſi ſcientes eo ipſo quod videremus, ſed tanquam habentes univerſale ex eo quod oculis cerneremus. Veluti ſi videremus vitrum perforatum & lumen tranſiens, manifeſtum eſſet etiam cur illuminet: quia videremus quidem ſeorſim in ſingulis vitris, ſimul autem intelligeremus rem ita ſe habere in omnibus.* 1. Anal. poſt. cap. 31. Quibus ille verbis perſpicue oſtendit, non aliter in Phyſicis quam Mathematicis demonſtrationibus, videri poſſe ſenſu eſſe notum in particularibus, id quod revera notum ſecundum intellectum de univerſali eſt. Quatenus intellectus qui accedit ad ſenſum, ſuam apud ſe evidentiam habet, quæ evidentia per errorem ſenſui tribuitur. Habet vero ſuam per ſe in intellectu evidentiam hæc propoſitio generalis, Quod perforatum eſt lumini pervium eſſe, ſupponendo luminis naturam in tenuium corpuſculorum motu conſiſtere, qui impeditus non eſt in poris vitri, quos alibi advertit Ariſt. rectos eſſe, ut motus luminis ſecundum radios etiam rectus eſt. Ita Geometræ ſua etiam ex hypotheſi demonſtrant. Ut jam de Aſtronomis non dicam. Neque aliter quicquam poteſt demonſtrari extra primam Philoſophiam. Hæc ſola ab initio nihil ſupponens dici poteſt omnia probare, ſecundum intellectum, qui ante ſenſum eſt, ſpectando atque in clara luce ponendo primas & ſimpliciſſimas de omni rerum genere notiones, quæ ut

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

omnis humanæ cognitionis, ita illius quoque quam poſſumus de Natura habere, principia ſunt. Quæ hic recenſere nimis longum foret. Sic ſolum Phyſica ut ab initio, ita in progreſſu vera ſcientia eſt, certitudinem atque evidentiam habens. Atque eam hactenus viſa eſt non poſſe habere, ob hoc unum quod primarum atque univerſalium veritatum certitudo pendere viſa ſit à particularibus, quæ primum in ſenſu ſunt. Cum cogitandum fuiſſet, quod Ariſt. nos docuit, ſenſu nil quicquam vere ſciri, atque ideo particularium ſcientiam non eſſe. Quanquam fieri poſſit, ut videamur ſcire, quando ad ſenſum qui eſt particularis, intellectus de omni accedit vere univerſalis; in quo ſolo certitudo & evidentia eſt, quam in ſcientia requirimus.

XXXI. Sic prima Emendatio Ariſtotelis, ad hoc unum comparata eſt, ut poſſimus Naturæ Hiſtoriam à ſcientia diſtinguere. Quæ ſic ſatis difficilis videtur, quatenus ad prima ſe humanæ cognitionis principia extendit: quæ ſi nota non ſint, nihil verè univerſale cognoſcimus, neque tum ulla vera ſcientia eſt, quanquam poſſit multiplex experientia, opinio & conjectura eſſe, quæ in communi vitæ uſu & artibus ad illum pertinentibus loco ſcientiæ ſunt. Proinde Emendatio hæc facienda ſecundum primam Philoſophiam erit, quæ ſic vocatur, quatenus prima Philoſophiæ pars eſt, dignitate & ordine naturæ omnes alias antecedens, atque de Principiis humanæ cognitionis tractans. Hæc etiam poteſt Metaphyſica vocari (quamvis quæ communiter hoc nomine venit, ab hac longe diverſa ſit) quia ſupra & ante Phyſicam eſt, quæ ab ea accipit objectum & principia ſua. Nos eam quoque Logicam vocamus, quæ Philoſophiæ propria, veri in ſe & falſi judicium habet de omni rerum genere. De hac ſive Logica, ſive Metaphyſica, ſive primâ Philoſophia, ut vere univerſalis ſecun-

ſecundum intellectum eſt, neque Ariſt. neque ſectatores ejus cogitaſſe videntur, ut quidem de ea Plato cogitavit, qui eam ut primam & perfectiſſimam ſcientiam ſpectat, qua ea quæ vere ſunt, ſecundum intellectum cognoſcimus. Hæc ſicut ad omnia quæ ſunt, & cognoſci poſſunt, extendunt ſe, ita vere univerſalia ſunt, ſupponenda & applicanda in particularibus, ſi quid futurum firmum & ſtabile eſt.

XXXII. Hinc vero manifeſtum fit, his ita poſitis, à *Prima Emendatione* etiam *Secundam* pendère, quæ videri poſſit neceſſaria quoad *inſignes veritates*, ſive principia, ſive concluſiones ſint, quas in Ariſtotele notavimus. Eſt, inquam, manifeſtum, hoc unum deſiderari in Ariſt. quod eas ordine non deduxerit unas ex aliis, neque adeo primas in clara luce poſuerit, verum tanquam opiniones, quas probabat, aſſeruerit tantum. Quod videtur ex eo factum, quia eas à ſe ipſo non habet, ſecundum propriam opinionem, qua veritatem in ſcientiis putat fundatam in præcognitis eſſe, quæ ex communi ſenſu aſſumenda ſint, verum ab aliis accepit, qui id non putabant. Hinc enim veras rationes, quæ in pleriſque ſupra communem ſenſum ſunt, vel texit, vel ignoravit. Ita vero multorum quæ recte tradita & inventa ab antiquis fuerunt, ratio ignota eſt: quæ idcirco admittimus & credimus quidem, neque tamen recte intelligimus, atque ideo etiam facile negamus, vel in dubium vocamus. Quod accidiſſe vidimus in pleriſque veritatibus, quæ alicujus momenti in Ariſt. ſunt, de quibus ſecundo loco diximus: puta Materiam in natura corporea rem verè ſubſiſtentem eſſe, qua ſola corpora ſint: Formam rei ſpeciem vel figuram eſſe: Corpora à ſe ipſis non moveri; Neque ab alio quod immotum ſit: Nihil in diſtans agere: In terris calorem, vitam, motum, omnemque adeo formam & agendi vim à cœlo eſſe atque à mate-

ria

ria cœleſti, quæ diffuſa per omnia ſit. Hæ enim atque aliæ innumeræ veritates, non aliâ de cauſa ab Ariſtotelicis ita neglectæ, quin everſæ, aut ſaltem in dubium vocatæ ſunt, perpetua diſputatione & contradictione; quam quia bene intellectæ non fuerunt. Ut certe ab ipſis non potuerunt intelligi, vel inveniri in Ariſtotele, duplici de cauſa potiſſimum: Primum quia ipſe eas Ariſt. ſi principia ſint, in clara luce non poſuit, ſi concluſiones, non deduxit ex claris, verum acceptas ab aliis, ſuppoſuit, vel etiam rationibus, quæ per ſe ſatis firmæ & evidentes non ſint, nonnihil confirmavit tantum. Deinde quia in omnibus, quantum potuit, accommodans ſe ad communem ſenſum & vulgarem intellectum, cum quo pugnant veritates iſtæ, pugnare viſus cum ſe ipſo fuit. Sicut vel hinc ſolum etiam pugna & contradictio perpetua in Scholarum Philoſophia eſt: qua primæ atque evidentiſſimæ veritates vel in dubium revocantur vel aperte negantur. Quæ pugna ceſſaret, ſaltem quoad ſummam rei, ſi veritas ab initio, quoad principia, in progreſſu, quoad concluſiones, ſecundum intellectum ſpectetur: qui unus & ſimplex, à ſe ipſo diverſus & ſibi contrarius non eſt, ut videtur eſſe, quando ad ſenſum accommodat ſe.

XXXIII. Ita porro manifeſtum fit, quæ debeat eſſe *Tertia Emendatio, quoad veterum Philoſophorum dogmata*, ut ea paſſim ab Ariſt. allegata ſunt. Imprimis enim magnam partem eadem ſunt cum veritatibus, quas Ariſt. admiſiſſe conſtat, de quibus §. XVIII. diximus. Et eatenus ea ipſa iterum ſpectanda emendatio eſt. Qua poſita, facile deprehendimus, multa ab antiquis recte tradita & inventa fuiſſe, quibus Ariſt. cavillandi tantum ſtudio oppoſuit ſe. Quatenus Ariſt. ubi ab antiquis videri voluit diverſus eſſe, ſecundum communem ſenſum & conceptus ſuos, plerum-

que

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

que de verbis diſputat, cum veteres putarent debere res ipſas ſecundum intellectum ſpectari, qui non tam conceptibus noſtris, quam naturæ accommodatus ſit. Ut vidimus Democritum, *propriis & naturæ accommodatis rationibus* uſum fuiſſe in contemplatione rerum naturalium. Quam laudem ipſe illi Ariſt. tribuit. Ita vero manifeſtum fit, ſi ſepoſito cavillandi ſtudio, veterum dogmata ſpectemus, poſſe inſignes iis veritates comprehendi: quæ tanto majorem debeant lucem atque utilitatem habere, quanto magis remotæ à communi ſenſu ſunt, atque à vulgari intellectu hominum, ut à natura cum ſenſu junctus eſt. Proinde optandum eſſet, veterum dogmata, bona ſaltem fide ab Ariſt. allegata fuiſſe. Quod quia non fecit, quantum fieri poteſt, defectus hic ſupplendus eſt, in bonam partem accipiendo & benigne interpretando, quæ ille paſſim in partem malam accepit & benignè interpretatus non eſt. Quod haud difficile erit, ſi modo res ipſas ſpectemus ſecundum verum intellectum, qui in pleriſque diverſus à communi ſenſu eſt, atque illi etiam contrarius videtur: & cogitemus, ita pariter quoque ſermonem diverſum eſſe & videri contrarium in multis. Quod cogitaſſe atque recte animadvertiſſe veteres videntur, Ariſt. vero partim ignoravit, atque in eo erravit, partim cavillandi ſtudio diſſimulavit. Quo factum eſt ut Ariſtotelici non cogitantes de fallacia hac, & errorem Ariſt. pro vero amplectentes, putaverint veterum Philoſophorum dogmata prorſus rejicienda eſſe, etiam quoad verum intellectum, ut ea Ariſt. quoad communem ſenſum & ſermonem rejecit. Atque hunc ſive Ariſtotelis, ſive Ariſtotelicorum errorem, non aliter poſſumus, quam nova & meliore Philoſophia emendare, præcipue prima parte ejus, quæ docet nos veritatem debere remotam à communi ſenſu & vulgari intellectu eſſe, qui

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

cum ſenſu junctus eſt, atque ideo eam non inveniri quoque in ſermone communi. Eo quod communis ſenſus & vulgaris intellectus à natura nobis datus ſit ad uſum vitæ, quo omnia relate ad nos & ſecundum ſpeciem ſpectamus, atque huic accommodamus ſermonem noſtrum. Cum in veritatis contemplatione extra uſum vitæ, res omnes debeant in ſe ſpectari, ſecundum intellectum, qui ad hoc unum à naturâ nobis datus, & hinc ſolum adeo diverſus à ſenſu, &, ut videtur, illi contrarius eſt. Cum revera diverſus quidem, attamen contrarius non ſit: quia idem objectum, idem conſiderandi modus non eſt. Quo poſito, imprimis ſic ſatis detecta atque in lucem protracta erit fallacia Ariſtotelis, atque error, ſi quis ſit circa dogmata antiquorum, magnam partem poterit emendari. De qua emendatione ſuperius ſpeciatim dictum jam eſt §. XIII. & XVIII. quatenus Ariſtotelicorum ab Ariſtotele diſceſſus aliter intelligi non poterat. Hic eam univerſim ſpectamus, atque ex primis cauſis deducimus, quæ univerſale remedium erroris ſunt.

XXXIV. *Quarta emendatio quoad Logicas notiones*, ex iis quæ de Ariſt. & Ariſtotelicis dicta fuerunt, etiam videtur ſatis manifeſta eſſe, quoad ea quæ allegata & exemplis confirmata ſunt. Quibus perſpicue oſtendimus, quam ille involvat hoc pacto atque obſcuret omnia, ſive vulgarem popularemque ſenſum ſpectes, cui in pleriſque accommodat ſe, ſive veritatem, quæ remota à communi ſenſu, ſpectata ab aliis Philoſophis eſt, à quibus hac arte mala videri voluit diverſus eſſe. Quia vero ita ſingula percurrere infiniti laboris eſſet, hic iterum poſſumus ac debemus ad primum atque unicum omnis emendationis fontem adſcendere, ipſammet meliorem Philoſophiam nempe, quæ ab initio de Principiis humanæ cognitionis tractat, atque in progreſſu omnia ſuperſtruit iis. Quam diximus veram

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

Logicam eſſe, quæ non popularis atque omnium communis ars diſſerendi atque diſputandi eſt, verum philoſophiæ propria, *ſcientia & ars quædam intelligendi*, uti eam Cicero definit, atque adeo ſimul ſcientia & modus ſciendi eſt. Hæc inter alia docet nos, ipſammet rerum veritatem debere notionibus primis comprehendi, quæ ſolæ loco rerum in intellectu ſunt: non ſecundis, quia non tam ipſarum rerum, quam noſtrarum cogitationum notiones ſunt, quæ à rebus abducunt nos. Sicut umbra nos poteſt à corpore abducere, quia ipſa corpus non eſt, quanquam habeat ſpeciem corporis, & exiſtat vere cum corpore, quando comitatur illud. Ita enim notiones ſecundæ, quando una cum primis in intellectu ſunt, & comitantur eas, ſpeciem poſſunt notionis primæ habere, atque una cum primis, vel etiam ſine iis, videri res vere exiſtentes eſſe. Sicut ſimili errore ea quæ ſecundum ſpeciem tantum in ſenſu ſunt, vel pro rebus ipſis amplectimur, vel putamus vere eſſe in rebus. Quia præter ſpeciem aliquid veri in ſenſu de rebus ipſis eſt, cui ſpecies, quæ hinc etiam vera videtur, admiſcet ſe. Ut certe magnitudines, figuræ & motus, res vere exiſtentes in rebus ſenſibilibus ſunt, non lumen & colores, non calor, frigus & talia; quæ tamen videntur in rebus eſſe unà cum iis, ſicut unà in ſenſum incurrunt. Et pariter quoque magnitudo, figura & motus res vere exiſtentes intelligibiles ſunt, cognoſcendæ ipſiſmet primis & propriis notionibus ſuis. In hoc uno erramus facile, quod non contenti his, quæ ſic vere intelligimus de rebus per primas notiones; ea quæ per ſecundas notiones intelligimus de cogitationibus noſtris, pariter quoque putemus de rebus ipſis intelligi, ut ſunt extra cogitationem. Ac ſi notiones cauſæ, effectus, ſubjecti, adjuncti, generis, ſpeciei, formæ, materiæ, actus, potentiæ &c. tam aliquid rei ſint, ac notum

faciant, quam magnitudinis, figuræ & motus, notiones. Quia pariter in cogitatione ſunt de rebus: quatenus in ipſa rerum conſideratione, notiones ſecundæ ad primas accedunt, atque ita ſæpe fundantur in primis, ut non ſine difficultate aliqua diſtinguantur. Quæ difficultas adhuc major eſt, quando notio ſecunda ad primam accedit, quam à ſenſu habemus, in quo major vis erroris quam in intellectu eſt. Quia ſenſu adhuc magis quam intellectu, videmur res ut ſunt cognoſcere. Et ſic primum videntur fundatæ in ſenſu eſſe omnes Logicæ notiones quas ſecundas vocant, ut materiæ, formæ, totius, partis, generis, ſpeciei, differentiæ, proprii, accidentis &c. Ut jam de notionibus Entis, ſubſtantiæ, accidentis, quantitatis, qualitatis, aliiſque non dicam, quas etiam in Metaphyſica tractant. Quæ omnes, poſtquam ſic male fundatæ & male abſtractæ â rebus, ac ſæpius, iterum male iis applicatæ ſecundum ſpeciem in ſenſu ſunt, cogitandum eſt, tum demum eas ab intellectu aſſumi, atque etiam male applicari ad intelligibiles res. Quod multis poſſet exemplis probari, & vel ex hoc uno manifeſtum eſt, quod ſicut communiter omnes homines, ita Ariſtoteles & Ariſtotelici ſupponant, Quicquid in intellectu eſt, prius in ſenſu fuiſſe. Ut hinc etiam fere omnes notiones & regulas Logicas, exemplis confirmant, quæ petitæ à communi ſenſu ſunt, aut ſaltem non pugnant cum eo, & hinc petunt veri & falſi judicium. Quod idcirco non tam emendat quam confirmat errorem, quo nomina & conceptus, quibus nihil rei ſubeſt, pro rebus amplectimur, & ſic videmur res ipſas cognoſcere. Ut communiter hactenus in Scholarum Philoſophia factum eſſe, §. XIX oſtendimus.

XXXV· Conſequens eſt, ut dicamus de ea *Ariſtotelis Emendatione*, quam requirimus *quinto loco*, quatenus non

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

eo quo oportet modo videtur Animam à corpore, atque Deum à mundo diſtinguere. Ac ſi anima corporis, Deus mundi forma & perfectio ſit. In quem errorem nos communis ſenſus ducit, cui Ariſt. in veri & falſi judicio nimium tribuere videtur. Quod quia non advertunt Ariſtotelici Chriſtiani Philoſophi, hunc errorem vidimus ab ipſis emendatum non eſſe, ſed ne noceat, nonnihil incruſtatum tantum: quatenus, non ut oportet, veram illi ſcientiam opponunt, ſed fidem & opinionem, quæ remedium erroris in ſcientia non eſt. Proinde ante omnia laborandum, ut erroris hujus emendatio per veram ſcientiam fiat. Quæ ſi ulla ſit, ſepoſito ſenſu, ſolo debet intellectu comprehendi. Atque id nos etiam prima Philoſophia docet, de qua ſæpius dictum fuit; qua ab initio manifeſtum fit, Eſſe in nobis Mentem qua cogitamus, quæ ſecundum propriam naturam, qua poteſt à corpore diſtingui, aliud nihil quam ſubſtantialis actus cogitandi eſt; in ſentiendo unitus cum corpore, in intelligendo utens libertate ſua. Hoc, inquam, manifeſtum fit ex hoc uno, quod Mens utens libertate ſecundum intellectum, ſaltem fingere & ſupponere poſſit, neque ſuum corpus, neque aliud in rerum natura eſſe, quando ipſa eſt. Eo quod tam in uno quam in altero ſe deprehendat falli quandoque, quatenus cum ſpecie quæ in ſenſu eſt, putat rem ipſam præſentem eſſe. Ex quo perſpicue ſequitur, Mentem ſive animam in nobis, neque ipſum per ſe corpus eſſe ſubſtantia ſua, neque formam vel qualitatem corporis. Quia neutro modo ſupponi, vel ullo modo conſiderari poſſet ſine corpore, verum qui cogitaret non eſſe ulla corpora in mundo, hoc ipſo cogitaret mentem atque animam non eſſe: prorſus ut cogitaret non eſſe figuras & motus, quæ ſunt tantum formæ & qualitates corporum, non quantita-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

tem, quæ corporum ſubſtantia eſt. Quod ita de ſe ipſa non poteſt cogitare Anima, quoad proprium cogitandi actum: quippe quo ſibi non ita ſecundum ſpeciem, quæ poſſit rei abſentis eſſe, verum ſecundum ſe atque immediate præſens eſt. Ut non poſſit abeſſe, & non eſſe, ubi cogitatur, vel ſupponitur: quia actus cogitandi & ſupponendi, quo ſolo anima ponitur, idem cum ſe ipſo eſt. Quod ſic dici nequit de corpore, vel ulla alia re, non de ulla qualitate corporis.

XXXVI. Sic facta emendatio unius erroris eſt, à quo multi alii pendent, & prima veritas inventa, quæ quoad nos primum cognitum eſt, Eſſe in nobis Mentem qua cogitamus, quæ corpori unita quidem, attamen ab eo diſtincta eſt. Quo poſito, haud difficulter hinc porro deducimus, Eſſe Deum à quo pendemus. Qui tam debeat à Mundo diſtingui & univerſa corporea natura, quam nos mentem noſtram poſſumus ac debemus à noſtro corpore & illius propria naturâ diſtinguere. Ut ſicut Mens noſtra ſpiritus intelligens, volens & potens eſt, ita & Deus ſit, quanquam infinito perfectior & præſtantior, quatenus Deus à ſe ipſo habet vitam atque omnem perfectionem ſuam Ut neceſſario atque ab æterno ſit, cum plenitudine omnis perfectionis quæ ſine imperfectione eſt. Sicut nos neceſſario atque ab æterno non ſumus, atque ideo in nobis non eſt plenitudo omnis perfectionis, vel perfectio ulla quæ ſine imperfectione ſit. Proinde uti ad noſtram qualemcunque perfectionem, ſi animus ſecundum ſe ſpectetur, nulla perfectio corporis pertinet, & contra corpus etiam ab animo non perficitur; ita ad Deum non pertinebit quicquam quod corporeum eſt, neque ulla qualitas vel perfectio divina poterit corporibus tribui; quia utrobique tota ſubſtantia ſua res diverſæ, quin oppoſitæ & con-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

trariæ ſunt, ut eorum in nobis intellectus diverſus, oppoſitus atque contrarius eſt, ſenſu ſepoſito, quo ſolo ita miſcentur & confunduntur, ut videantur unum eſſe.

XXXVII. Hæc ſola atque unica via eſt, non ulla alia, errorem adeo magnum in Ariſtotele emendandi, qui antehac non tam emendatus quam confirmatus eſt per ſcholarum Philoſophiam. Quatenus qui profitentur eam, per omnia adhuc magis quam videtur Ariſt. feciſſe, ad communem ſenſum accommodant ſe, & magis amplectuntur errores ejus. Uſque adeo, ut ubi Ariſt. compoſitionem & unionem ſecundum nomina & conceptus ſpectat, quæ à parte rei ad ſummum compoſitio ex ſubſtantia & modis eſt, qui ſuam per ſe eſſentiam non habent: paſſim ſcholaſtici ſupponant magis realem, quin ſubſtantialem eſſe diſtinctionem, ex actu ſive forma ſubſtantiali & potentia ſive materia, ut loquuntur. Quæ duo ſic in homine cogitant *unum per ſe* eſſe, unitate naturæ, qua partes componentes communicant eſſentiam inter ſe, ut in cæteris corporibus in quibus non alia unio & unitas, non alia communicatio eſſentiæ eſt, quam quæ in identitate fundatur, & revera eſt identitas; vel omnimoda, ſicut ſubſtantia & extenſio per omnia unum in corpore ſunt, vel per incluſionem, ſicut in corpore rotundo, ut globus eſt, rotunditas & extenſio ſunt unum, & revera globus, tam à parte rei, quam noſtro conſiderandi modo unum rotundum extenſum eſt. Neque alia notio compoſitionis occurrit, qua partes componentes, inſtar materiæ & formæ, per ſe, hoc eſt natura & eſſentia ſua, unum ſunt. Quod enim attinet unionem animæ & corporis, quâ homines ſumus, ea longe alia eſt; quatenus hæc unio ſalva utriuſque partis eſſentia & natura fit ac debet fieri, ſi futura ſalva ſubſtantia eſt, ut neceſſe eſt, ſi futura anima immortalis ſit. Quæ

ſi ita

ſi ita ſint, unio quæcunque alia & major, qua animæ qualitates corpori tribuuntur, & anima corporis forma & perfectio ſit, utriuſque confuſio, & naturæ unius, quia oppoſitæ ſunt, per alteram everſio eſt: ut vel anima inſtar corporis, vel corpus inſtar animæ concipiatur: ſicut ab Ariſtotelicis & Scholaſticis revera ita concipiuntur, tam corpus quam anima. Quæ confuſio tanta eſt, ut ſi dicendum ſit quod res eſt, non videatur ulla poſſe cadere in intellectum hominis, quæ tanta atque tam fœcunda errorum ſit. Quia ſi ſimplices & primitivos conceptus ſpectes, à quibus omnes alii pendent, duo tantum ſunt, Naturæ Intellectualis, & Corporeæ. Hi ſoli ſunt qui poſſunt confundi ab initio. Ab his ſolis omnis alia, tam diſtinctio quam confuſio pendent: ſive Dei, ſive noſtri quantum ad animum, ſive Corporum notitiam ſpectes, uti nos quoque tam corpore, quam animo homines ſumus. Quanquam ſit animus potior pars noſtra, atque in eo error magis proclivis ſit. Quia tam videmur nobis certi de corpore ſecundum ſenſum eſſe, tamque ex adverſo videtur difficilis intellectus eſſe, quo animus debet ſeipſum noviſſe; ut ſolo corpore contenti, vel de animo non cogitemus, vel eum corpori tribuamus, ac ſi per ſe non ſubſiſtens, corporis qualitas tantum ſit. Atque hinc ante corpus noſtrum atque omnia alia corpora, animus debet ipſe notus ſibi eſſe, ſi futura ulla diſtincta cognitio eſt. Quia ſi primum notus ſibi non ſit, quæ animi ſunt corpori tribuimus, atque ita ab initio omnia confundimus, neque in progreſſu quicquam intelligimus diſtincte.

XXXVIII. Non jam neceſſe eſt, ut multum de eo errore dicamus, quo Ariſt. in veri & falſi judicio nimium ſenſibus tribuit. Ex quo omnis iſta confuſio primum orta fuit. Nam de eo ex parte jam diximus, ubi Hiſtoriam naturæ

turæ à ſcientia diſtinguimus, quatenus hiſtoria à ſenſu, ſcientia ab intellectu pendet. Notandum ſolummodo, huic uni errori revera duos implicitos eſſe, qui ambo multos alios poſt ſe trahunt. Quatenus ſenſus imprimis in nobis tam videtur corporis, quam animi actus eſſe: ac deinde ſenſu videmur extra nos ipſaſmet rerum qualitates percipere. De primo errore jam dictum eſt, qui non aliter poteſt emendari, quam mentem à corpore & ſenſibus abducendo: ut attendat ad ea quæ intra ſe agit, atque ita ſe advertat rem vere exiſtentem eſſe, quanquam corpora non ſint, quæ videntur ſola ſubſiſtere. Ut vero emendetur alter error, imprimis advertendum eſt ex nova & meliore Philoſophia, præcipue prima parte ejus, ſenſum ad uſum vitæ, intellectum ad veritatis comtemplationem à natura nobis conceſſum eſſe. Cumque adeo ad vitæ uſum omnia tantum relate ad nos & ſecundum ſpeciem ſpectemus, quâ in ſenſum incurrunt, quia ita exigit vitæ uſus; res ut ſunt in ſe ſpectare, ut faciendum in contemplatione veritatis eſt, proprium intellectus erit. Ita facile advertimus, propriam ſenſus perceptionem non ipſarum rerum exiſtentium eſſe, ſed ſpecierum tantum, ut color & lumen in viſu, ſonus in auditu, odor in olfactu, ſapor in guſtu, calor, frigus & talia in tactu ſunt: quæ hinc rectè dicuntur propria ſenſuum objecta eſſe. His à parte rei nihil ſimile eſt, quanquam debeat in re eſſe aliquid, quo ſic afficit nos, id quod generali Logica notione Qualitas vocatur, quod nomen non docet, non ſignificat quid ſit res. At vero magnitudines, figuræ & motus, quæ ſcimus quid ſint, non ſpecies tantum ſed res verè ſunt exiſtentes, aut ſaltem aptæ ad exiſtendum. Quæ idcirco propria objecta ſenſuum non ſunt, ſed communia, quatenus intellectus eſt communis, qui accedit ad ſenſum. Prorſus ut ſuperius nota-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

tum eſt, ſic ſæpe ad ſenſum in particularibus, intellectum univerſalis accedere. Et ut intellectus iſte, quatenus in eo veritas & vera ſcientia eſt, per errorem ſenſui tribuitur, quando ad objectum ſenſibile applicatur quia ſenſus excitat intellectum: ita putandum eſt, de omni alio intellectu, magnitudinum figurarum & motuum quando iſta videntur in ſenſum incurrere.

Primus Conatus in humano ſermone verum à falſo diſtinguendi, comprehenſus quinque diſputationibus

DE VERO ET FALSO.

In Academia Lugd. Batava 1667. 1668.

I. *Quadruplex ſive Quintuplex conſideratio veritatis.*

VEritatis quadruplex notio ſive conſideratio eſſe poteſt: in Re, in Perceptione, in Judicio, in Sermone. Præterquam quod in Affectu Voluntatis etiam veritatem conſideremus, quæ proprie Veracitas dicitur, & virtus eſt, quam Mendacio opponimus. Atque ita ad Veritatem, ut ſaltem in nobis plenam habeat formam ſuam, omnes mentis actus concurrunt. Poteſtque adeo haberi pro ſumma perfectione humanæ Mentis Veritas ſic ſpectata in pleno ſenſu.

II. *Veritas Rei: & Ratio ejus, alia in Deo, alia in Creaturis.*

Veritas Rei dicitur, qua unumquodque eſt id quod eſt: ut ſi dicam *verum aurum*, *verus Deus*, *verus homo*. Quæ hinc ut commune attributum entis in Metaphyſica tractatur,

tur, quando objectum ejus Ens in genere conſtituitur. Proinde quod à ſe eſt, atque ex intrinſeca naturæ neceſſitate & perfectione habet ſubſiſtentiam, id hoc pacto etiam veritatem habebit: Id quod Dei proprium debet cenſeri. Et quæ hoc pacto à ſe ipſis non ſunt, à ſe quoque veritatem non habent: ſed ut in Deo & propter Deum ſunt; ita hæc eorum veritas eſt. Qua de cauſa Veritas Rei, quæ à ſe non eſt, etiam non male dicitur eſſe conformitas cum intellectu divino. Quia enim intellectus divinus, non ut noſter, ectypus, ſed archetypus, atque adeo natura prior rebus ipſis eſt, earum quoque norma & menſura dici poteſt.

III. *Hanc Veritatem à Rebus inſeparabilem eſſe.*

Quamobrem Veritas Rei non male dicitur reciprocari cum ente, & nulla ei falſitas opponitur. Quia neque id quod à ſe & neceſſariò eſt, neque id quod eſt ab alio & propter aliud, à ſe ipſo diverſum eſſe, aut etiam non eſſe poteſt id quod eſt. Sed unumquodque quod eſt, hoc ipſo quod eſt, quocunque demum modo ſit, vere eſt id quod eſt. Quo ſpectat illud Ariſt. 11. Metaph. cap. 1. *Tantum habet unaquæque res veritatis, quantum exiſtentiæ.*

IV. *Veritas Perceptionis, primum immediata in proprio Mentis actu.*

Veritas Perceptionis, quæ etiam dici ſolet *ſimplicis apprehenſionis* vel conceptus, non ſic in rebus, ſed in intellectu eſt. Et ut nihil jam dicam de divino intellectu & veritate ejus, quam habet ut archetypus: intellectus noſter, ut eſt ectypus, duobus modis vere percipit ſeu apprehendit aliquid; ſecundum ſe ſive immediato intuitu, vel in ſpecie ſeu idea tantum. Et imprimis *immediato intuitu*, quiſque debet percipere ſuum *velle*, *nolle*, *affirmare*, *negare*, *ſentire*, *imaginari*, *dolere*, *lætari*, *amare*, *odiſſe* &c. ut pro-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

prii & interni mentis actus ſunt, quorum ſibi conſcia eſt. Hi actus aliter quam ſunt non poſſunt percipi, nec percipiuntur unquam, ubi non ſunt: quia præſentia & vera exiſtentia eorum in nobis, neceſſaria conditio ad perceptionem eſt.

v. *Hanc ſolum veritatem in Senſibus & Modis conſiderandi eſſe.*

Huc ergo etiam Senſus & Modi conſiderandi debent referri, ut in nobis ſunt. Quod tamen non advertimus facile: quia alias iis, ſive de nobis ipſis, ſive de rebus aliis, cogitationes admiſcemus: quæ non in operatione mentis tantum, ut Senſus & Modi conſiderandi, ſed adhuc alio modo veritatem habent. Quod magnam confuſionem parit in perceptionibus noſtris, facitque ut umbras ſæpe pro rebus ipſis captemus; aut ſaltem una cum iis, quaſi vel aliquid rei, vel res ipſæ ſint. Nam ut umbræ corpus, ita ſenſus & modi conſiderandi res comitantur in cogitatione noſtra, & obſcurant ſimiliter rerum in nobis perceptionem.

vi. *Etiam Generalia illa, quæ Metaphyſici conſiderant, quatenus in nobis habent fundamentum aliquod; hanc Veritatem habere.*

Deinde immediato intuitu quiſque poteſt percipere ea omnia, quæ aliquod in Mente & proprio actu ejus fundamentum habent, & ad ea quæ unuſquiſque hoc pacto in ſe ipſo deprehendit, referri poſſunt. Ut generalia illa quæ Metaphyſici tractant, ***ens, eſſentia, exiſtentia, ſubſtantia, duratio, ordo, numerus***, item ***unum, verum, bonum, neceſſarium, contingens, actus, potentia, perfectio, imperfectio*** &c. Quorum quiſque in ſeipſo poteſt aliquod experimentum capere, ſe & ſuas in ſe ipſo cogitationes reſpiciendo. Hæ enim inſtar aliarum rerum, quæ ſunt extra nos, cogitari poſſunt habere exiſtentiam, eſſentiam, ſubſtantiam, dura-

durationem, ordinem, numerum, ſuntque, unum, verum, bonum, neceſſarium, aut contingens quid, quod partim actu, partim potentia, & perfectum vel imperfectum eſt. Ut nihil jam de cæteris dicam, quæ ſimiliter ad omnia rerum genera extendunt ſe, atque adeo etiam in uno ſeorſim habent veritatem, quæ ſaltem in nobis veritas immediatæ perceptionis eſt. Id vero non alia de cauſa contingit, quam quia talia nihil rei in particulari ſubjecto, ſed modi conſiderandi tantum ſunt, quos diverſos de iiſdem, & eoſdem poſſumus de rebus diverſis habere. Quod ſic dici nequit de ipſomet rerum conceptu.

VII. *Veritas Perceptionis in Idea & Specie: primum de Deo.*

Quæcunque igitur neque propria noſtræ mentis ſunt, neque ad eam ut generalia & communia illa referri poſſunt, ut quæ Dei & Naturæ corporeæ ſunt propria: ea ita immediate non percipiuntur, ſed in *idea ſeu ſpecie* tantum. Hæc vero idea ſaltem in repræſentando poſitam habet veritatem ſuam, quatenus cum res ipſa non ſit, rei ſignum & imago per eſſentiam, atque adeo in intellectu eſt loco rei, quam notam facit. Qua ratione veritas perceptionis & ſimplicis apprehenſionis, ante omnia in Idea ſeu conceptu Dei eſt, ut Ens à ſe & ſumme perfectum refert, plenitudinem omnis perfectionis, à qua inſeparabilis exiſtentia eſt, in ſe ipſo habens. Vera idea omnipotentiæ, omniſcientiæ, omnipræſentiæ, aliorumque attributorum eſt, quæ pertinent ad illud, ob infinitam perfectionem.

VIII. *Veritas perceptionis in ideâ Corporis, ut objectum Geometriæ eſt.*

Deinde Veritas perceptionis ſecundum ideam ſeu ſpeciem, etiam in generali notione quantitatis eſt, quam Philoſophi continuam atque interminatam vocant: quatenus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

nos, qui finiti ſumus non comprehendimus fines & magnitudinem ejus. Hæc quantitas & extenſio ſine fine, imprimis objectum Geometriæ eſt, quæ hinc lineas in infinitum productas, ac infinita corpora ſupponit. Hanc etiam Phyſici aſſumunt, ſive corporis, ſive ſpatii nomine: quod cum Geometris cogitant indefinitum. Prætereà hujus quantitatis & extenſionis, aut ſi mavis rei quantæ & extenſæ (nam concipitur ut per ſe ſubſiſtens) etiam innumeræ poſſunt partes concipi. Quæ cum omnes includantur in generali notione ejus, & ex ea cogitatione formentur, abſtrahendo & præſcindendo, in quo error non eſt: hæc cogitatio, ut eſt ſimplex apprehenſio, hactenus etiam habebit veritatem ſuam. Ut tam veræ ſint quadrati, rotundi &c. hucuſque terminati, ipſorumque terminorum, quibus circumſcribuntur, diſtinctæ notiones, quam una atque indiſtincta indefinitæ extenſionis notio, quæ eos omnes continet & comprehendit ſub ſe. Atque ita Veritas perceptionis ſimpliciſque apprehenſionis in notionibus figurarum eſt, quas Geometræ concipiunt in interminata quantitate, tam in planis quam in ſolidis, atque adeo etiam in cujuſcunque puncti, lineæ & ſuperficiei notione, ut hi cogitantur figurarum & magnitudinum termini eſſe, quos mente deſignamus & determinamus quidem, at non facimus ipſi.

IX. *In idea Corporis, ut eſt Phyſicæ objectum, hanc veritatem etiam eſſe poſſe: & quo pacto in ea etiam non ſit.*

Hæc Veritas notionum ſimplicium, ſic in Geometricis ſpectata, etiam in Phyſicis poteſt habere locum. Quod ut ita ſit, non aliud Geometriæ, quam Phyſicæ debemus objectum ſupponere, & ut Geometræ faciunt, ſolo intellectu ad ideas ſibi à natura inditas diligenter attendente uti. Quod ubi non fit, Senſus ſub fallaci ſpecie à verita-

te

te abducit nos, fines corporum imaginando, ubi finis extenſionis non eſt atque formas ſive qualitates naturæ corporeæ tribuendo quæ toto genere diverſæ ab extenſione ſupponuntur. Has vero fallaces ſpecies finium & aliarum formarum in corporibus, ut eas à ſenſu habemus, cum idea continuæ & indefinitæ extenſionis in intellectu miſcendo, ſic omnia turbamus & confundimus, ut in hac notione corporis falſum vero ubique admiſtum ſit. Hinc enim corpora Phyſica, primum omni ex parte ſolida & continua ſine intervallis & partium diſtinctione, (niſi adeo magna hæc ſint, ut videri poſſint) & pleraque ſine interno motu ſupponimus, inſtar mathematici corporis. Et qui adhuc bene præ aliis ſapiunt, hanc Phyſici corporis cogitant materiam eſſe, quæ, ut nos de corpore Mathematico putamus, res vere ſubſiſtens ſit. Quo poſito, imprimis corpora à corporibus diſtingui iis ſpeciebus concipiunt, quibus afficiuntur ſenſus noſtri. Dumque has ſpecies, intellectus (qui ſe accommodat ad ſenſum) à ſenſu accipit in formanda notione corporis, ipſe ſimiliter ſuas jungit cum iis, per Modos conſiderandi. Atque ita novam ſibi cudit corporis ideam, qua non amplius ut extenſum cogitatur ipſamet ſubſtantia ſua (hanc enim extenſionem, vel ad notionem ſpatii refert quod inane ſit, vel ut accidens conſiderat) ſed *lucidum*, *coloratum*, *durum*, *ponderoſum*, *calidum*, *frigidum* illud, quod ſenſus percipit apud ſe, & quod in eo inanis tantum ſpecies eſt: Et præterea *actus*, *potentia*, *materia*, *forma*, *natura*, & talia, quæ generales notiones in intellectu ſunt, quibus non reſpondet quicquam rei, quod proprium corporis ſit. Atque ita duplici ratione notio corporis & veritas ejus everti poteſt: una per ſenſum, altera per intellectum, quatenus non contenti ſimplici & primitiva idea corporis, qua tantum eſt extenſum quid,

alia

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

alia illi admiſcemus. Vel ſi notio corporis & veritas ejus, per ea quæ ſic admiſcemus, everſa non videatur, tali pacto obſcuratur ſaltem, ut vel hinc ſuſpecta veritas ſit. Quia ea quæ admiſcemus, ipſa vera non ſunt, ea veritate, quam hoc loco ſpectamus: quippe quam inanes iſtæ ſpecies in ſenſu & Modi conſiderandi in intellectu, ceu umbræ, ab omni parte circumſtant tantum: in quibus, quia nihil rei repræſentant extra nos, immediati intuitus quidem, non vero *ſigni & repræſentaminis* veritas eſt, quæ hoc loco nobis *Veritas Perceptionis in idea* dicitur.

x. *Veritas perceptionis ſuo modo etiam Veritas Rei eſt.*

Qua ratione Veritas Perceptionis, quam ſic vidimus in Intellectu eſſe, quoad ſimplices & primitivas ideas, non multum à Veritate Rei differt. Quia in perceptione immediatâ, eorum quæ percipimus exiſtentia, qua habent Veritatem Rei, neceſſaria conditio ad eorum in nobis experientiam eſt, qua Veritatem habent Perceptionis: quatenus unuſquiſque actus mentis ſui ipſe ſignum & imago eſt, atque adeo ſeipſum repræſentat ac notum facit propria forma & exiſtentia ſua. Sic vero etiam idea, ſignum & imago eſt aliarum rerum quæ ſunt extra nos, & in hoc uno poſitam habet eſſentiam ſuam. Quamobrem ut orichalcum, hoc ipſo quod eſt, vere orichalcum eſt, & quanquam ſimul aurum non ſit, non deſinit idcirco orichalcum eſſe; ſic quoque idea orichalci vere ejus idea eſt, quanquam ſimul idea auri non ſit, ad quod falſo judicio referri poteſt. Quia eſt talis idea ipſamet forma & eſſentia ſua, quæ non deſinit vere eſſe id quod eſt, eo quod ſimul aliud quodcunque & idea quoque alterius non ſit. Quod adhuc clarius erit, ſi loco obſcuræ, confuſæ & compoſitæ ideæ, quam de auro & orichalco à ſenſu accipimus, claras, diſtinctas & ſimplices ſpectemus, quas primum de cogitatione & exten-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

extenſione, & hinc de modis & accidentibus earum in intellectu invenimus. Ut quod idea trianguli, vel circuli, vere talis idea ſit, quamvis ſimul non ſit alterius figuræ idea.

XI. *Quod confirmatur ex Scholarum Philoſophia.*

Quæ conſideratio, quia magni momenti eſt, ad verum à falſo diſtinguendum, lubet eam imprimis ex ſcholarum Philoſophia confirmare, atque ex jam dictis detegere præcipuum errorem ejus. Quærit Suarez in Metaphyſica, U-
„ trum Veritas etiam in ſimplici conceptu ſit? & reſpon-
„ det: Hi conceptus mentis ſunt Res quædam ſeu qualita-
„ tes. Si ergo in aliis Rebus eſt Veritas, ut infra oſtende-
„ mus, etiam in his conceptibus eſſe veritatem neceſſe eſt.
„ Unde ſicut dicitur verum aurum, quod propriam ha-
„ bet naturam auri, ita Verus dicitur auri conceptus, qui
„ habet *entitatem commenſuratam vero auro in repræſentan-*
„ *do intentionaliter*. Atque hinc etiam conſtat, quæ vel
„ qualis ſit hæc veritas, quæ in ſimplici mentis notitia re-
„ peritur. Nihil enim aliud eſt quam *Veritas tranſcenden-*
„ *talis, his entibus accommodata*. Nam ſi veritas, quam
„ vocant in eſſendo, eſt adæquata paſſio entis, in uno quo-
„ que ente juxta modum naturæ ſuæ reperietur: ergo & in
„ his entibus, quæ ſunt ſimplices conceptus mentis. Un-
„ de quia eſſe proprium horum conceptuum eſt eſſe cogni-
„ tionis, & conſequenter formaliter reddere cognoſcen-
„ tem eum cui inſunt, ideo veritas talis conceptus eſt
„ etiam veritas cognitionis.

XII. *Detegitur inſignis error ejus.*

Hæc vero adeo generaliter pronunciata de veritate ſimplicium conceptuum, etſi multum confirmant ſententiam noſtram, non juvant quicquam ad verum à falſo diſtinguendum, ſed nocent potius, & errorem confirmant, quo

tam ficti quam veri videtur in nobis intellectus eſſe, etiam quoad ſimplicem in ideâ apprehenſionem. Qui error vulgi, & accommodatæ ad captum ejus vulgaris Philoſophiæ eſt, procedens ex earum omnium notionum confuſione, quas nos diſtinguimus jam; primum Veritatem Judicii & Perceptionis; deinde Perceptionem Immediatam ab ea quæ ſecundum ſpeciem ſeu Ideam eſt; denique noſtros ſenſus, quibus afficimur à rebus, & Modos conſiderandi circa res, ab ipſiſmet primis & ſimplicibus rerum ideis diſtinguendo. Sic enim, ut aliquod erroris, qui ex neglectu totuplicis diſtinctionis procedit, exemplum demus, putamus vulgo, & putant Philoſophi multi, qui ſequuntur hunc errorem vulgi, calorem ignis manu nos percipere, & videre oculis lumen ejus: cum revera noſtrum tantum de iis Senſum percipiamus, & fallacem ſpeciem quandam, atque inde formemus judicium hoc, idque adeo celeriter, ut ipſi id non advertamus: quia ſic à natura docti videmur. Quæ enim natura ſic junxit inter ſe, animam prius corpori jungendo, & quæ toto vitæ tempore ſic manent juncta, ea haud facile diſtinguere poſſumus. Intellectum quod attinet, præterquam quod ſequatur ſenſum in iis quæ accipit ab eo, etiam ex ſe ipſo ita gerit ſe, quatenus judicii cum clara & diſtincta perceptione ſimilis in eo nexus eſt, qui etiam ad confuſam & obſcuram ſe extendit. Si ergo judicium, quod ſic una cum ſimplici conceptu mentem ſubit, contingat falſum eſſe, ut facile ſit, etiam falſus poteſt hic conceptus videri, ea parte qua maxime verus eſt, ſepoſito judicio. Et contra videri poteſt verus conceptus, qua parte ita verus non eſt. Ut certe formæ ſubſtantialis conceptus in ſe verus, quoad ſimplicem notionem, qua actus ſubſtantialis dicitur, ut anima humana eſt, poteſt falſus videri, quando ſpectatur, ut ligni vel lapidis forma: quia

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

hoc pacto judicium includit, quo ſimplex notio male applicatur. Poteſtque ex adverſo ob eam veritatem, quæ in ſimplici notione ſubſtantialis formæ eſt, etiam totus conceptus haberi verus, ut malè applicatus eſt. Sic vero etiam conceptus caloris, ut eſt Senſus, tantum veritatem perceptionis in nobis habet, & hinc ſimiliter verus putatur, ut qualitas extra nos eſt. Quod non aliunde fit, quam quia Judicium, quod natura in Senſu jungit cum Perceptione, nos quoque cum caloris conceptu in Intellectu jungimus. Et ut etiam in compoſitis aliquod exemplum demus, Conceptus Auri verus eſt veritate perceptionis, non quod *habeat entitatem commenſuratam vero auro in repræſentando intentionaliter*, ut vidimus communem opinionem eſſe: ſed quod habeat entitatem commenſuratam alicui ſaltem, & quod hic omnino non-entis conceptus non ſit. Magnitudo & figura in hoc conceptu, vel auro, vel alteri corpori commenſuratæ ſunt. Color ut videtur à nobis, debet ad ſenſum referri. Et ut hic ſenſus habeat omnem veritatem quam poteſt habere, ſatis eſt, in auro aliquid eſſe quo ſic afficiat nos, ſive id lumen, ſive alia ejus forma ſit. Quid vero ſint iſta quoad abſolutam & intrinſecam naturam, ut in auro ſunt, quæque adeo intrinſeca auri eſſentia ſit, non docet nos ſenſus, nec debet nos docere, ut veritatem habeat convenientem naturæ ſuæ. De quo alibi plura diximus.

XIII. *Veritas Perceptionis etiam eandem cum Veritate Rei cauſam habet.*

Hæc convenientia inter Veritatem Rei & Perceptionis porro docet nos, non aliter de hujus, quam de illius cauſa eſſe cogitandum. Ut ſicut Deus à ſe ipſo habens veritatem exiſtentiæ, etiam à ſe ipſo veritatem ſui intellectus habet; ita mens noſtra, ſui à ſe intellectus veritatem non habeat, quia à ſe non habet exiſtentiam. Proinde ſi adver-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

tamus quam ſæpe fallamur in cogitationibus noſtris, quamque fallaces ideæ rerum ſenſibilium ſint, quæ tamen videntur maximè eſſe veræ: ſumma cum ratione quæri poteſt, quæ cauſa veritatis in noſtris ideis & ſimplici apprehenſione ſit, & dubitari quoque, annon fieri forte poſſit, ut non rem repræſentent, atque adeo veritatem, quam ut ſigna & imagines videntur habere per eſſentiam ſuam, revera non habeant. Neque ulla ad hanc difficultatem reſponſio occurrit, quamdiu ſic tantum de nobis ipſis cogitamus, qui noſtræ originis auctores non ſumus. At vero ad Deum converſi, ut cauſa prima eſt, per quam omnia ſunt, & attendentes ad ſummam perfectionem ejus, ob quam perfectum in ſuo genere unumquodque ejus opus eſt: perſpicue videmus, ideas noſtras in hoc uno etiam poſitam habere perfectionem ſuam, quod alienæ entitatis repræſentamina atque imitamenta ſint. Quod debent vere eſſe: quia Deus qui ſic fecit nos, verus eſt & vere produxit res eas extra nos, quarum ideæ in nobis imagines ſunt, ut tam operis, quam Opificis notitiam habeamus. Notitiam verò hanc non poſſemus ullam habere, ſi ea quæ ut res veræ in idea percipiuntur, res veræ non eſſent, vel aliter quam ſunt repræſentarentur. Atque ita veritas perceptionis in intellectu ſe habet quatenus à natura nobis inditus eſt, & Deum auctorem habet. De ſenſu, qui ab objectis externis nobis advenit, alias egimus, & jam obiter diximus quoque. Notandum ſolummodo, veritati, quæ hoc pacto in ſimplici apprehenſione eſt, proprie dictam falſitatem non opponi: aut ſi qua ſit, eam non tam in Intellectu quam in ſenſibus eſſe, & hanc eſſe debere naturam ſenſuum, quatenus ad uſum vitæ à natura nobis dati ſunt, quo res omnes relatè ad nos ſpectamus & abutimur iis ad veritatis contemplationem, quæ ſecundum Intelle-

ctum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

ctum eſt, rerum in ſe ipſis ſpectatarum abſoluta & intrinſeca veritas. Et in hoc abuſu omnis error ſenſuum conſiſtit, qui idcirco non tam in ſimplici perceptione, quam in judicio eſt. De quo jam porro dicturi ſumus.

XIV. *Veritas Judicii in Affirmatione & Negatione.*

Veritas Judicii, de qua jam porro & præcipue dicendum, conſiſtit in Affirmatione vel Negatione, quæ rectæ rerum perceptioni, & hinc quoque rebus conformis eſt. Ut *Eſſe Deum*, qui à ſe ipſo & ſumme perfectus, qui ſumme Intelligens & ſumme potens, atque adeo omnium aliarum rerum cauſa ſit. *Eſſe Corpora*, quæ undique extenſa ſint ac dividi poſſunt, & jam reipſa ſunt diviſa motu ſuo, magna, parva, rara, denſa aliiſque formis & accidentibus prædita, quibus ea diſtinguimus inter ſe, quatenus non uno modo ſenſus afficiunt, vel etiam ex cauſis intelligimus ea ſic debere diſtingui, quamvis id ſenſu non advertamus. *Eſſe in nobis Mentem*, quæ cogitat de his & de ſe ipſa quoque, quæ intelligit, vult, affirmat, negat, dubitat, imaginatur, ſentit, dolet, lætatur, alioſque innumeros in ſe cogitandi modos invenit. Vel contra, ut etiam aliquod exemplum Negationis demus, *Deum*, qui eſt ſumma perfectione ſua ſumme intelligens & ſumme potens, *non eſſe pariter aliud*, quod ſic non eſt, ut Mentes creatæ aliæ & corpora ſic non ſunt. Item *Corpora* quæ ſunt, hoc ipſo quod ſunt per extenſionem, aliaque quæ novimus eo pertinere, *non eſſe pariter per aliud* quid, puta ſummam, quæ in Deo eſt, perfectionem, vel noſtram qualemcunque cogitationem: Atque adeo ſpeciales *actus* & perfectiones *corporum*, ut magnitudo, figura, motus &c. *non eſſe aliquos Dei vel noſtræ Mentis actus*. Denique Mentem, quæ eſt, hoc ipſo quod eſt per cogitationem & modos cogitandi diverſos, non eſſe pariter per extenſionem & illius

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

modos. Sic vero ſimplices formæ & accidentia Mentis, non poſſunt etiam formæ & accidentia corporis eſſe. Adeo ut noſtrum velle, nolle, amare, odiſſe &c. quamquam animi motus dicantur, revera motus non ſint, quales in corpore ſpectamus: & quanquam ſentire, intelligere ac imaginari per ſpecies & ideas dicamur, quæ ſigna & imagines, ſunt, ea idcirco in nobis non ſint, id quod ſignum & imago in corpore eſt.

XV. *Affirmatio Exiſtentiæ omnium Prima.*

Qua ratione prima & ſimpliciſſima erit *Affirmatio Exiſtentiæ*: in qua omnes aliæ habent fundamentum ſuum. Ut ſi dicam, *Deus exiſtit, eſt aliqua ſumma potentia, eſt ſumma intelligentia, omnipræſentia, providentia: Corpora ſunt, interminata quantitas eſt, punctum, linea, ſuperficies, figuræ & motus ſunt: Mens eſt, eſt intellectus, ſunt ideæ, eſt voluntas, eſt libertas*, &c. Quæ fere ſimplicia ſunt, & partim per ſe, partim in alio exiſtentiam habent. Similiter vero etiam de compoſitis poteſt Exiſtenſtentia affirmari, eaque affirmatio magis difficilis eſt, ſi in ea veri & falſi judicium ſpectemus: ut ſi dicam, *datur aliqua ſubtilis cæleſtis materia, diffuſa per omnia, dantur globuli cæleſtes, datur aliquod ignis elementum, ſunt Antipodes.*

XVI. *Affirmatio Eſſentiæ.*

Affirmatio ſecunda *Eſſentiæ* eſt in ſubjecto, quod cogitamus eſſe Idem cum ea. Quæ Identitas hujus Affirmationis fundamentum eſt. Sic verò imprimis partes ſimul ſumptæ & junctæ Idem cum toto ſunt, ut ſi dicam, *duo & tria quinque eſſe.* Spectant huc etiam omnes Definitiones, ut cum dico, *Deus Ens ſumme perfectum, corpus undiquaque extenſum, Mens res cogitans eſt*: quæ Subſtan-

tiæ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

tiæ ſunt. Sic vero Modi & Accidentia etiam habent eſſentiam ſuam, quanquam ea ſæpe non tam verbis deſcribi, quam cogitari poſſit. Atque ita ſe habet Affirmatio Simplicis Eſſentiæ de ſubjecto ſimplici, ſive per ſe, ut duo actus ſubſtantiales, Cogitatio & Extenſio, ſive in alio ſit, ut modi & accidentia utriuſque, de quorum eſſentia cogitamus, & affirmamus eam, primo ad illorum, & ſecundario ad ſubjecti eſſentiam attendendo, quippe quæ non poteſt excludi prorſus in vera notione accidentis. Eſt præterea Affirmatio Compoſitæ Eſſentiæ, ut ſi dicam *globus rotundum, cubus quadratum, ignis ſubtiliſſimum & celerrime agitatum corpus eſt.* Quia hæc ſubjecta, globus, cubus, ignis, magis compoſita ſunt noſtro conſiderandi modo, quam rotunda, vel quadrata forma, aut motus, vel ſubtilitas ſola per ſe.

XVII. *Affirmatio Modorum & Accidentium.*

Tertia *Affirmatio Modorum & Accidentium* eſt de ſubjecto, quod cogitamus ea includere præter eſſentiam ſuam: quæ proinde una cum iis idem cum ſubjecto ſit. Et vel ſimplex tale ſubjectum eſt, ut cum informi materiæ motum & diviſionem atque hinc partibus ejus, magnitudinem & figuram, animæ intellectum & voluntatem tribuo: vel compoſitum, ut cum priora ad ignem, aërem, aquam, terram, animalia, plantas aliaque jam formata corpora; poſteriora ad hominem refero, ut in eo anima unita corpori eſt, cum quo & per quod conſtituta in alio ſtatu, quam ex ſe ipſa eſſet, etiam ſubjectum aliorum accidentium eſt. Ut certe Anima per unionem cum corpore, ſenſus & affectus perque eos alium intellectum aliam voluntatem habet, quam haberet ſine corpore; & hinc porro ſubjectum multorum accidentium fit, quæ aliter de ea recte non affirmantur. Et cogitandum eſt, ſimiliter multa in homine de

cor-

corpore affirmari, quæ de propria ſubſtantia ejus ſecundum ſe ſpectata, vera non ſunt, ſed ob præſentiam & unionem animæ tantum. Ut cum cordi lætitia, fames ventriculo, imaginatio cerebro, ac toti corpori ſenſus, aut voluntarius motus tribuitur. Sic vero propter animam & corpus ſimul, hæc omnia & multo plura etiam de toto homine dicuntur. Per quæ iterum aptum ſubjectum aliorum accidentium fit. Hæc vero Accidentium in uno ſubjecto multiplicatio, & multiplex in una Affirmatione ſuppoſitio, magnam ſæpe confuſionem parit, ac difficilius reddit veri & falſi judicium, quam in ſimplicibus eſt.

XVIII. *Secunda & Tertia Affirmatio ad Primam reducuntur.*

Qua ratione Affirmatio Exiſtentiæ aliud nihil eſt, quam Agnitio entitatis, quæ ſecundum ſe, vel in idea præſens cogitationi eſt: aut ſi mavis Aſſenſus ille, quo id quod cognoſcimus (cognitio autem eſt repræſentamen rei in intellectu) tam videtur exiſtens quam cogitatum quid. Atque id exempla allegata manifeſtum faciunt. Sic vero ſimul manifeſtum fit, hanc, ut diximus, primam & ſimpliciſſimam affirmationem eſſe, quam aliæ omnes ſupponere & includere debent. Adeo ut Eſſentiam affirmare ſit aliud nihil quam illam ut exiſtentem agnoſcere in ſubjecto quod jam ſupponitur exiſtere, etſi ante hanc affirmationem adeo diſtincte non videamus quid ſit, quia multa poteſt attributa habere, quæ pariter non ſpectant ad illud. Sic dicere lineam eſſe longitudinem, eſt dicere, cum linea quæ Eſt, una longitudinem eſſe, quæ idipſum præciſe ſit, quod intelligi debet, cum dicimus lineam eſſe. Atque ita affirmatio eſſentiæ, vel nominis explicatio, vel repetita & duplicata affirmatio exiſtentiæ eſt, cum nova ad ſubjectum affirmationis attentione; nequid non pertinens ad illud, quod abeſſe

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

abeſſe poſſit, pro ipſo habeamus. De quo tam diſtincte non cogitamus in ſola Exiſtentiæ affirmatione: & tamen etiam dici non poſſumus omnino non cogitare. Siquidem id quod res eſt ſive *Quid ſit*, aliquatenus ſaltem cognitum eſſe debet, ut poſſit affirmari *Quod ſit*. Quia affirmatio noſtra neque de nihilo, neque de ignotis eſſe poteſt. Et quod novimus non poſſumus aliter quam ſecundum eſſentiam noviſſe, vel ſecundum accidentia quæ includunt eam. Denique ex his manifeſtum fit, quod Accidens de ſubjecto affirmare, ut ſi *linea aliqua curva, vel recta, corpus quadratum, vel rotundum* dicatur: etiam aliud nihil ſit, quam illius Exiſtentiam agnoſcere in ſubjecto quod eſt & habere ſupponitur Eſſentiam ſuam. Etſi, quia accidentia primo & ſimul cum eſſentia in ſenſum incurrunt, neque adeo diſtincte, neque iſto ordine has affirmationes conſideremus. Atque ita Accidentium affirmatio poterit dici triplicata, ubi ſic reſolvitur in partes ſuas: ut certe eſt reſolvenda, ſi generalem velimus rationem veri & falſi inquirere in judiciis noſtris. Quanquam ſi perfectior in nobis intellectus eſſet, iſta omnia uno & ſimplici intuitu comprehendentes, etiam una & ſimplici poſſemus affirmatione comprehendere, quæ non alia quam Exiſtentiæ eſſet, ad quam hoc pacto omnes aliæ reduci poſſunt.

XIX. *Ratio Veritatis in Affirmatione, à Rebus ipſis & ſimplici earum Perceptione petita.*

Quod attinet *Veri & Falſi Rationem*, quæ jam porro *in Affirmatione* quærenda eſt, ea ex ante dictis intelligitur facile. Si modo advertamus, Veritatem Affirmationis à recta rerum perceptione pendere, cui aſſentiri eſt verum affirmare: & præterea cogitemus, ideo ſine Rebus quæ ſunt, & primitivis ac ſimplicibus ideis earum non fore quicquam verum. Adò ut ipſa Rerum, ac inter eas Primi

Entis Exiſtentia ſit radix & ratio omnis veritatis, primum in Perceptione, deinde in Judicio, & in Sermone quoque: ut jam de Voluntate non dicam, in qua eſt Amor veritatis. Atque ideo ad exiſtentiæ affirmationem etiam omnes alias reduximus. Imprimis in omni affirmatione aliquam Rem, ut cogitationis noſtræ ſubjectum, apprehendimus: & ut non entis nullæ qualitates, ſic veræ de eo nullæ affirmationes ſunt. Hæc apprehenſio, ſi immediata ſit, ut cum quis de proprio mentis actu cogitat, patet, poſſe ac debere eam cum veritate affirmari. Et in hoc uno veritas Conſcientiæ conſiſtit, quæ infallibilis eſt. Si ſit mediata in idea ſeu ſpecie tantum, quod ſic concipimus, cum veritate etiam poteſt affirmari, ſaltem quoad ſimplices & primitivas ideas; quas Deus in nobis voluit Rerum exiſtentium imagines eſſe, ut, ſicut antea diximus §. XIII. tam operis, quam opificis notitiam haberemus. Ut enim plena & perfecta notitia ſit, conſiſtere debet, tam in Aſſenſu, quo quid affirmamus, quam in ſimplici Senſu, quo quid in idea mente concipimus tantum. Et uterque non à nobis, ſed à Deo eſt, qui nobis dedit naturam hanc, ut clare ac diſtincte perceptis non poſſimus non aſſentiri. Qua ratione ſimplicia illa, *Deus, Mens, Corpus*, imprimis ut res ſubſiſtentes, debent ante omnia affirmari. Quatenus Deus ex ſe ipſo habens neceſſariam exiſtentiam, ut & potentiam, qua res omnes aliæ ſunt: utroque modo, per ſe ex intuitu ideæ ſuæ, atque ex rebus aliis, quæ ab ipſo, factæ ſunt, cognoſci voluit. Mens quia ſic ipſa ſecundum ſe ſibi præſens eſt, quo ad actus ſuos, ut non poſſit abnegare ſe. Et corpus denique ſatis præſens in idea eſt, qua afficit Mentem, tam ſenſu, quam intellectu. Hinc cætera quoque, quæ ad has ſubſiſtentes res referri poſſunt, debent unâ cum ipſis affirmari; quatenus in ipſis habent

exi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

exiſtentiam ſuam. Ut quæ in ipſis exiſtentiam non habent, cum veritate non poſſint affirmari, nec ulla detur Æterna veritas, niſi ſubjectum affirmationis æternum ſit. Qua ratione tam verum eſt, eſſe aliquam ſummam potentiam atque Intelligentiam, quam Deum eſſe: eaque veritas æterna eſt. Nos intelligere, velle, nolle, affirmare, negare &c. ut interni mentis actus ſunt, ſaltem quamdiu hos actus exercemus, eſt verum: quæ idcirco veritas æterna non eſt. Denique eſſe aliquam in Natura corporea extenſionem, per ſe interminatam atque indiviſam, ſed quæ Motu poſſit dividi, eſſe aliquem Motum in Mundo, quo reipſa dividatur, vel iterum componatur, eſſe formas & accidentia, quæ ſequantur inde, tam eſt verum, quam ipſamet corpora eſſe. Adeoque hæc etiam de corporibus cum veritate poſſunt affirmari, quatenus & quamdiu in iis & cum iis habent exiſtentiam ſuam. Quin punctum, linea, ſuperficies & corpus mathematicum trinæ dimenſionis, omneſque figuræ mathematicæ in corpore Phyſico dici poſſunt res verè exiſtentes eſſe, quas non quidem Natura facit, ſed noſtra ſaltem cogitatio deſignat & notat in iis. Omniſque adeo Ratio veritatis in Affirmatione, hactenus unice petenda eſt ab ea veritate, quam oſtendimus in perceptione eſſe, ſecundum ſimplices & primitivas ipſarum rerum ideas, ut commenſuratæ rebus ſunt. Ratio veritatis in Compoſitis ex ſequentibus eluceſcet.

XX. *Ratio Veritatis in Affirmatione, quæ in Rebus non ſit, ſed primum in Senſu tantum. Et orta hinc Falſa Affirmatio.*

Omnis alia Veritas Affirmationis, quæ videri poſſit ita cum rebus ipſis non cohærere, quæque adeo hic errorem parit, vel in Senſu vel in Intellectu conſiſtit, extra ſimplices & primitivas ipſarum rerum ideas. In ſenſu quidem ſub fallaci ſpecie, in intellectu, quoad conſiderandi modum.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

Et ad modos conſiderandi in Intellectu, ipſaſque ſpecies in ſenſu etiam judicia accedunt, quatenus ut ſæpe ſit, in conceptu rerum includuntur, ut ſine iis vix poſſimus cogitare de rebus. Ita *ſolem nobis lucere*, *hinc diem eſſe in oculis noſtris*, *in tenebris nos non videre*, *ſonos nos audire*, *odores*, *ſapores*, *calorem*, *frigus*, *dolorem & talia percipere*, *ut ſenſus ſunt*, in nobis quidem tum exiſtentiæ, tum perceptionis veritatem habet, à qua abeſſe non poteſt ſimilis veritas affirmationis de nobis. Hinc autem vera non ſunt extra nos de aliis rebus. Sed quod ea ſimiliter ad alia referamus, ut referri per ſenſum ad nos ipſos poſſunt, *Falſa Affirmatio* eſt. Ad eam verò ipſa nos videtur natura impellere, quatenus fallaces ſpecies in ſenſu tali pacto cum veris miſcentur, atque una cum judicio mentem ſubeunt & ingrediuntur conceptum rei, ut hæc iterum diſtinguere perdifficile ſit. Atque hujus difficultatis exemplum jam ſupra §. XII. primum in ſimplicibus, ut color, calor aliique ſenſus ſunt, deinde in compoſitis dedimus, ut eſt auri & cujuſcunque alterius corporis conceptus. Et oſtendimus, quo pacto talia vel per omnia falſa ſint, etiam quod ad veritatem perceptionis, eo quod, ut videtur, rebus commenſurata non ſit, vel ex parte vera tantum. Prius in ſimplicibus, quæ à ſolo ſenſu habemus, poſterius in compoſitis vidimus, quibus intellectus ſe admiſcet. Et patet ea quæ ſic ex parte, vel in totum deſtituuntur veritate perceptionis, quæ ſecundum ideam in ſimplici debet apprehenſione eſſe, ut commenſurata rebus eſt; cum tamen affirmantur de rebus, ſimiliter deſtitui debere veritate affirmationis, atque adeo ſi non per omnia, ex parte ſaltem falſa eſſe. Sic ergo *prima & præcipua Falſæ Affirmationis cauſa in ſenſu* eſt, ſecundum propriam perceptionem ejus. Et hæc parum quidem in uſu vitæ, at multum in ſcientiis nocet. Quia

ſenſus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

ſenſus ad uſum vitæ à natura nobis dati ſunt, & ad eum ſufficiunt quoque, res omnes relate ad nos, & ſecundum eam ſpeciem ſpectando, qua exhibentur nobis. In quo non errant multum, ſi modo recte diſpoſiti ſint. At in ſcientiis, ſaltem quæ ad Philoſophiam ſpectant, non primò & proximè uſus vitæ, aut aliquod commodum ejus, ſed intrinſeca rerum veritas ſpectatur, quæ certè in externa rerum ſpecie non eſt, quam à ſenſibus habemus.

XXI. *Ratio Veritatis quæ in Rebus non ſit, quia tantum quoad conſiderandi modum in Intellectu eſt. Et quis Error inde oriatur.*

His ita poſitis, haud difficulter porrò videmus, quæ ſit *Veritas Affirmationis, quoad Modum Conſiderandi*, & quo pacto hæc *altera generalis cauſa* eſſe poſſit *Falſæ Affirmationis*. Imprimis enim tam verum eſt, nos certo modo conſiderare res, quam nos eas ſentire. Ut veritas perceptionis in ipſis *Notionibus Logicis* ſit, quas *ſecundas* vocant: quibus multi idcirco tantum delectantur, tantumque veritatis tribuunt. Et eſt adhuc alia veritas in modis conſiderandi, quæ videri poſſit magis cum rebus convenire, quatenus in ipſiſmet primitivis earum ideis fundamentum habet: ut non ſecundæ, ſed primæ videantur notiones eſſe. Ut cum corpus dico mobile ſecundum partes & diviſibile eſſe, ab una parte ejus extenſionem, ab altera noſtram de ea cogitationem, vel motum qui in natura eſt, aut aliam potentiam reſpiciendo, atque ea tali pacto ſimul & juxta ſe conſiderando, ut vera hinc affirmatio ſequatur. Deinde ad unam conſiderationem ſæpe alia accedit, quæ in ipſa iterum habet veritatem ſuam. Quia in his etiam obtinet convenientia & identitas illa, quæ veræ affirmationis fundamentum eſt. Ut poſito quod animal ut genus conſideretur, ponendum præterea eſt, quod de pluribus prædicari poſſit, quod habeat ſpecies, ſub ſe, & differentias ſuas &c. Et poſita humani cor-

poris diviſibilitate, ponitur mortalitas ejus. Hæc omnia tamen,etſi hoc pacto habeant veritatem ſuam in cogitatione quoad modum conſiderandi, idcirco veritatem in rebus non habent, extra cogitationem quoad modum eſſendi: quaſi corpora, ut extenſa, figurata & mota ſunt natura ſua & extra cogitationem noſtram, ſic quoque genus, ſpecies, totum, pars, ſubjectum, & reliqua ſint quæ ſuperaddimus iſtis in cogitatione. Et quaſi Genus, ut ſecundum cogitationem habet ſpecies & differentias ſuas, & hæc neceſſario cohærent inter ſe, quia iſtæ conſiderationes & ſecundæ notiones cohærent: ſic quoque ſimilis connexio in rebus ipſis & Notionibus primis ſit.

XXII. *Hic error facile in Logicis, difficilius in Metaphyſicis, difficillime in Phyſicis & particularibus conſiderandi modis cavetur: & Generale Remedium ejus.*

Qua ratione hic error ſatis manifeſtus eſt: quia has non primas rerum ut ſunt, ſed ſecundas noſtræ de iis cogitationis notiones eſſe, advertimus facile. Atque ideo communiter concedunt Philoſophi, Logicam de his notionibus tractando, res ipſas non tractare. Quanquam etiam ſint, qui id non obſervant ſatis, ſic aſſueti umbras pro rebus ipſis captare, ſuæque adeo cogitationis nexum, cum nexu rerum confundere, ut non videantur amplius intelligere ullam rem. Quod non aliunde fit, quam quia volunt duci per Logicam in ipſam rerum cognitionem, primum quoad ſumma genera rerum & generales earum affectiones, deinde quoad ſciendi & intelligendi modum: cum maxime generales tantum modos conſiderandi tractet logica circa res, & ſecundum eos doceat generalem modum ſciendi atque intelligendi, quo nihil rei, ſed notiones tantum novimus. Multo major verò difficultas eſt in iſtis Generalibus notionibus quas Metaphyſici tractant, ut ens, eſſentia, exiſten-

ſtentia, unum, verum, bonum &c. Atque maxima in Particularibus, ut eſſe diviſibile in corpore, immortale in anima, &c. Nam ut particularia hæc ad propriam, ita generalia ad communem rerum naturam ita accommodata ſunt, ut videantur etiam aliquid rei, aut ipſæmet res exiſtentes eſſe. At difficultas hæc etiam tollitur, ſi modo advertamus, *has notiones accommodatas quidem eſſe ad naturam rerum, ut eſt cogitatum quid, non vero ut eſt exiſtens quid extra cogitationem.* Quo ſolo omnis error cavetur.

XXIII. *Diſtinctè ob oculos ponitur hoc Remedium Erroris, hactenus neglectum in ſcholarum Philoſophia: quæ vel hinc maxime corrupta ſit.*

Quod ut perſpicue videamus, ſciendum eſt, quod res ipſæ exiſtentes paucæ & ſimplices ſint, Deus, Mens & Corpus. Et Deus ut primum ens, uno, ſimplici atque immutabili actu ſubſiſtit, quem nos innumeris diverſis modis conſideramus, qui modi idcirco in Deo non ſunt. Mens & Corpus habent revera modos, quibus eorum actus ſubſtantialis variabilis eſt. Et hi modi reales etiam adeo multi non ſunt; figura & motus in corpore, intellectus & voluntas in mente potiſſimum. Qua ratione ipſæmet rerum ut ſunt primitivæ ideæ etiam debent paucæ & ſimplices eſſe. Et ab his ſolis pendet omnis veritas, tum perceptionis, tum affirmationis, quæ dici poſſit eſſe commenſurata rebus. At noſtris conſiderandi modis, qui ſunt infiniti, res commenſuratæ non ſunt. Atque id imprimis de iis patet, qui ad communem rerum naturam accommodati videntur, ut generales Metaphyſicæ notiones. Primum quia nulla communis eſt natura extra cogitationem & conſiderandi modum, & ipſa communitas modus conſiderandi eſt, quem per errorem rebus tribuimus, quia rerum ideas comitatur. Deinde quod nos cogitamus ad communem

natu-

naturam pertinere, & quod verùm de ſingulis videtur, non poteſt aliquid rei eſſe in ſingulis. Quia una quæque res per ſe ipſam eſt & ſuam per ſe entitatem ſeorſim habet, atque ideo etiam in cogitatione propriam debet notionem habere, qua ut exiſtit revera, primum concipi, & tum quoque affirmari poſſit. Denique ſi modo recte advertamus; quid in exiſtentibus rebus ſubſtantia, vel modus ſeu accidens ſit, uti id omne quod eſt, debet alterutrum eſſe, & intelligamus, quam ſimplex ſubſtantia & quam pauci modi ſint quibus variabilis eſt: facile porro videbimus, cætera omnia attributa rerum hoc ipſo quod neque ſimplex ipſe ſubſtantialis actus ſint, ut extenſio in corpore, neque realis ejus modus, ut figura & motus in corpore, non poſſe aliud quam conſiderandi modum eſſe, qui per errorem putatur ad res ipſas accedere, ut accedit ad ideas rerum. Sic ergo per errorem putamus, diviſibile in corpore, indiviſibile in mente & talia aliquid reale in ſubjectis, cum revera denominationes & accommodatæ ad naturam rei conſiderationes tantum ſint. Eſtque adhuc major error Generalia illa, quæ ſic accommodata in Particularibus ad naturam rei non ſunt, ut notavimus de Metaphyſicis & Logicis notionibus, putare aliquid rei reſſe. Hæc ergo altera valde generalis Falſæ Affirmationis cauſa eſt, quæ ad primam accedens; quâ ſupponimus tot entia in rebus eſſe, quot in nobis ſenſus ſunt, ſic abducit nos à rerum Veritate in Affirmatione, ut ipſa hinc Veritas Perceptionis quandoque ſuſpecta ſit, etiam quod ad ſimplices & primitivas rerum notiones. Quæ ultima & certiſſima bonæ mentis everſio eſt, ipſammet quantum poteſt, veritatem rerum evertens. Ut mirandum non ſit, Philoſophiam, quæ profitetur hos errores, & per omnia iis accommodat ſe, adeo antehac in Scholis corruptam fuiſſe; ut non videatur ulla

alia

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

alia arte mala potuiſſe magis corrumpi, nec via alia longius nos ab ipſa rerum veritate abducere.

XXIV. *Negatio ſimiliter triplex conſideratur, Exiſtentiæ, Eſſentiæ, Modorum ſeu Accidentium.*

Quando ſic perſpecta eſt ratio affirmationis, tum veræ tum falſæ, haud difficile eſt, Rationem hinc reddere Negationis. Ante omnia verò prima & ſimpliciſſima *Negatio* ſimiliter debet *Exiſtentiæ* eſſe. Ut ſi quis dicat dictione non verâ, *Deus non exiſtit, non eſt providentia ulla, non ſumma potentia*: *Mens, animus, intellectus, ratio, voluntas, idea, libertas non ſunt. Spatium res exiſtens non eſt, punctum, linea, ſuperficies & corpus Mathematicum non ſunt*. Atque hæc Negatio Simplicium eſt, tum quæ per ſe, tum quæ in alio ſunt ſecundum exiſtentiam ſuam. Item *ignis elementum non eſt, antipodes non ſunt, non jam Socrates, non Carthago exiſtit, non dantur globuli cœleſtes*, non *lunæ montes, non maculæ ſolis, non natura prudens, non accidens reale, non ſubſtantialis forma, non ſpatium imaginarium*; quæ negatio exiſtentiæ de iis eſt, quæ magis compoſita videntur, ſive in rebus ipſis, ſive in cogitatione noſtra. Secundo *Negatio Eſſentiæ* eſt, de ſubjecto, quod cogitamus eſſe diverſum ab eo. Quo etiam negatio ſubjecti unius de alio poteſt referri, ut eſt Eſſentiæ unius de Eſſentia alia, ſive in uno, ſive in diverſis ſubjectis ſint, aut etiam ut ſubſtantiales actus per ſe ſubſiſtant. Ut cum dico *Mens non eſt corpus, Deus non eſt mundus*, ſubjectum de ſubjecto nego; cum dico *Mens non eſt res extenſa, Corpus non eſt res cogitans*, eſſentiam de ſubjecto; item *cogitatio non eſt extenſio, idea non eſt figura, voluntas non eſt motus, intelligere non eſt velle*, ſimplicem eſſentiam unam de alia nego. Et hæc exempla ſimplicium ſunt, quæ intelligimus facile. In compoſitis hæc omnis negatio etiam ſuum habet locum,

quanquam in iis adeo manifeſta non ſit ratio negationis, quando ut ſæpe fit, ignota eſt eſſentia compoſitorum: ut certe communiter non novimus, quid ignis, aër, aqua, terra, vinum, ſal & talia ſecundum propriam atque intrinſecam eſſentiam ſint. Unde illa ſubjecta de ſe mutuo quidem, haud ita vero eorum eſſentias negamus, unas de aliis, vel de ſubjecto alio. Tertia *Negatio Modorum & Accidentium* eſt de ſubjecto, ad quod ſubjectum non pertinere cogitantur, ſive pugnent cum natura ejus, ſive jam non conveniant cum ea, quanquam poſſint convenire. Nec aliter quam in affirmatione, hic etiam vel ſimplex, vel compoſitum eſt ſubjectum. Ut cum de materia & nuda extenſione, quæ corpus conſtituit, quod Mathematicum vocant, nego prudentiam, vim agendi, actionem propter finem, ſenſum, appetitum, fugam vacui, alioſque mentis actus; ſubjectum negationis ſatis ſimplex eſt, ut hæc accidentia etiam ſimplicia ſunt. At cum hæc ipſa de igne, aëre, aqua, terra, ligno, lapide, aliiſque particularibus corporibus negamus, ſubjectum negationis magis compoſitum eſt, formarum & accidentium acceſſu, per quæ eorum quæ ſic pugnant cum natura corporis, quia ad animum ſpectant, etiam aptum ſubjectum non eſt. Poſſuntque vel de ipſa materia, ut eſt ſimplex quid, vel de formatis & compoſitis corporibus, etiam aliqua accidentia corporis negari: quia quanquam poſſent ineſſe, jam non inſunt tamen. Ut aliquando negamus de aëre, quod humidus, vel denſus aut rarus ſit: & de tota mundi materia poteſt negari, quod poſtquam ab initio ſemel mota eſt, quieſcat unquam.

XXV. *Negatio Exiſtentiæ ſimpliciſſima quidem, non vero prima & aliarum fundamentum eſt: ſed contra, omnem aliam negationem debere in aliqua affirmatione fundari.*

Sic ergo *Negatio exiſtentiæ* aliud nihil eſt, quam Diſſenſus

ſus ille, quo id quod cogitamus, non tam videtur exiſtens, quam cogitatum quid. Ut exempla allegata manifeſtum faciunt. Hæc autem ſimpliciſſima quidem, haud ita verò prima negatio eſt, à qua debeant omnes aliæ pendere: ſicut affirmatio exiſtentiæ fundamentum omnis alterius affirmationis fuit. Etenim tam in Negatione, quam in Affirmatione aliquam rem ut cogitationis noſtræ ſubjectum apprehendimus. Hoc ſubjectum primo ponit Exiſtentiæ Affirmatio, quæ hinc ſimpliciſſima eſt. Eſſentiæ, Modorum & Accidentium affirmatio aſſumit, & ſupponit ſubjectum, ac alia ſuperaddit tantum, quæ cogitantur eſſe in & cum eo. Ut vidimus §. XVIII. At Negatio exiſtentiæ tollit ac evertit ſubjectum: cum quo ſic ſublata ac everſa omnia ſunt, ut opus amplius non ſit alia negatione, ſive eſſentiæ, ſive modorum & accidentium, quæ ad ſubjectum, ſi adhuc eſſet, referri poſſent. Nam in eo quod ſimpliciter non eſt, ratio non occurrit, cur de eo unum potius quam alterum negetur: ſed infinita debet negatio eſſe & eſt revera. Qua ratione manifeſtum fit, quod *Eſſentiam negare* aliud nihil ſit, quam illam ut exiſtentem non agnoſcere, non quidem abſolutè & ſimpliciter, quæ foret exiſtentiæ negatio, ſed in eo quod eſſe ſupponimus aliud quid. Ut quia ſimplex eſſentia, quam abſtrahimus à ſubjecto, eam præciſe conſiderando, ſupponitur præciſe id quod eſt, per affirmationem, hoc ipſo dici debeat aliud, ſeu alia eſſentia non eſſe. Atque ita imprimis unus actus ſubſtantialis alius non eſt, nec modus unius eſt modus alterius, & in eodem ſubjecto modus unus alter non eſt. Negamus idcirco, primum quod extenſio cogitatio ſit; deinde quod figura, ut eſt modus extenſionis, idea ſit, ut modus cogitandi eſt; denique quod figura motus ſit. Sic vero ob eſſentiæ unius poſitionem, etiam de ſubjecto negari poteſt alia eſſentia. Ut ſi ponamus,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

mus, corpus rem extenſam eſſe ſubſtantiali actu ſuo, pariter res cogitans non erit, ſubſtantiali mentis actu. Et quia globus corpus rotundum eſt ſua forma, aliter figuratum non erit forma alterius. Subjecta denique ipſa negantur de ſe, ut mentem corpus, cubum globum eſſe: quia ſupponimus primum, unumquodque propria forma & eſſentiâ Eſſe revera Id quod eſt, & tum quoque dicimus, id ſimul Aliud non eſſe. *Modos & accidentia* quod attinet, hæc etiam negantur, ſuppoſitâ exiſtentiâ ſubjecti, ut aliter affectum eſt, modo & accidente alio. Ut mens noſtra hoc ipſo quod ſentit, non intelligit, corpus dum movetur, non quieſcit, dum eſt curvum, non eſt rectum, ſpatium quod eſt reale, non eſt imaginarium, & contra, quod imaginarium tantum eſt, non poteſt ſimul reale eſſe. Et ſic ſemper, qui in his evertit & tollit unum in cogitatione, alterum ponere, vel poſuiſſe debet. Ut Natura cum corrumpit unum, generat aliud, & corruptio unius, alterius generatio eſt.

XXVI. *Negatio ſecundum ſe hinc aliud nihil nihil quam Non-Affirmatio unius propter affirmationem alterius eſt.*

Sic vero paulo accuratius quam communiter ſolet conſiderando naturam Affirmationis & Negationis, videtur Negatio ſecundum ſe defectus quidam in judicio eſſe, & Non-Affirmatio tantum: quæ cenſetur plenam formam habere, quando vel unâ & ab initio ſupponit, vel poſt ſe relinquit affirmationem, quæ illius fundamentum ſit: quia nempe unumquodque eſt id quod eſt, atque ideo ſimul dici nequit aliud eſſe. Atque ita Negatio diſtinguitur à Dubitatione, quæ etiam non affirmatio eſt poſita in Aſſenſus cohibitione. Quia nempe negatio eſt Non-aſſenſus, in antecedente vel conſequente aſſenſu alio habens fundamentum ſuum. Quod dici de dubitatione nequit. Qua ratione:

ſicut

ſicut verum & poſitivum in re id tantum eſt, quod eſt res, ſic quoque Aſſenſus qui dicit rem eſſe id quod eſt (quod eſt affirmare) unice conſtituit poſitivum illud quod in judicio eſt, & quo veritatem habet quæ perficit nos. At in diſſenſu, quo non credimus quod res ſit aliud quam eſt, non eſt ullus actus poſitivus, non veritas ulla, niſi quatenus ſimul aſſenſus adeſt, quo poſitive credimus, id eſſe rem quod revera eſt. Ut ſicut rem non eſſe id quod non eſt, non eſt verum & poſitivum quid, ſed defectus & non-ens tantum: ſic quoque non credere quod res ſit aliud quam eſt, defectus & non ens in judicio ſit; quanquam per errorem videatur poſitivus actus eſſe. Ut qui non credit lunam plenam eſſe ſed negat illud, negando videtur poſitivum judicium exercere contra priorem affirmationem. Quod etiam facit revera, non ut negatio præciſe & ſecundum ſe ſpectatur, ſed ut ſupponit & includit oppoſitam affirmationem, quod Luna inæqualis ſit, per valles & montes ſuos. Quod qui ſic non ſupponit, dici non poteſt evertere alterum, ut negando facit. Sic vero etiam in voluntate fuga & averſio, qua Nolle dicimur, ſecundum ſe aliud nihil quam Non-velle eſt. Et ſimiliter hic videtur eſſe oppoſitus & poſitivus actus, propter Velle aliud: quatenus Velle unum ab alio avertit nos. Quia qui ſeorſim unum vult, hoc ipſo aliud non vult.

XXVII. *Hinc porro deducitur, quod Error & Peccatum etiam non ſint poſitivum quid.*

Quæ ſi ita ſint, jam intelligimus quoque, quo pacto Error & Peccatum etiam non ſint reale & poſitivum quid, quanquam in reali & poſitivo actu poſſint habere fundamentum ſuum. Nimirum Error à vero, peccatum à bono receſſus tantum eſt, ut qui errat, in via, non quia ad unam accedit, ſed quia ab alia recedit, errare dicitur, nec fieri po-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

poteſt ut aliter erret. Sic ergo verum non amplecti, quia quod evertit illud, nos ab eo avertit, proprie & accurate loquendo error eſt. Ut ſicut veritas non citra affirmationem, ita falſitas non citra negationem in judicio ſit. Quia negatio, quæ etiam vera videri poſſit, vera vi ſuppoſitæ affirmationis eſt: ut ſi dicam, Lunam Planam, & ſpatium imaginarium non eſſe, vera hæc negatio cenſetur, quia includit vel ſupponit affirmationem, quod luna inæqualis, & ſpatium res vere exiſtens extra imaginationem ſit. Atque ita Veritas, quæ perficit intellectum, ſicut diximus, tantum in Aſſenſu eſt. Sic vero etiam Affirmatio falſa dici debet virtute Negationis, ad quam ducit nos, quatenus poſitio unius everſio alterius eſt, quod fuiſſet tantum ponendum. Ut qui contra veritatem dicit, ***Luna eſt plana, ſpatium eſt imaginarium, corpus eſt intelligens***, quamvis quid ponere videatur, evertit potius, & ut falſa hæc ſunt, non tam aſſenſus, quam diſſenſus ſpectatur, & in eo propria forma falſitatis eſt. Quatenus, quando ea, quæ ſimul & unum non ſunt, ſimul & ut unum ponuntur, poſitio unius alterius debet everſio eſſe, & aſſenſus qui videtur adeſſe ut forma affirmationis, quæ falſa cenſetur, revera diſſenſum includit, ut Non-affirmatio unius propter affirmationem alterius eſt; quam etiam vidimus propriam formam Negationis eſſe. Sic ergo Peccatum etiam Non-amplexus boni unius, propter amplexum alterius eſt, quod non eſſet amplectendum, quatenus hoc pacto ab altero avertit nos. Ut amor mundi nos ab amore Dei avertit, & hinc dicitur odium Dei: in quo odio alia quidem paſſio, non autem alius poſitivus actus eſt, quam nos ab amore Dei avertens iſte mundi ſeparatus amor. Hoc ſenſu peccatum recte dicitur Non-ens, non quid poſitivum ſed negativum, cujus proprium nomen, ut poſtea videbimus, ***Privatio*** eſt.

XXVIII.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

XXVIII. *Ratio Veri & Falſi in Negatione, à Rerum Diverſitate & Mutatione petita, ſummatim ob oculos ponitur: Primum in Eſſentiæ, & tum quoque in Modorum & Accidentium Negatione.*

Cum ſic ſatis perſpecta eſt Natura Negationis, haud difficulter in ea Ratio Veri & Falſi invenitur. Et patet ex dictis, eam primum à rerum *Diverſitate*, & tum quoque à *Mutatione* peti. Quatenus, ubi res diverſæ ſunt, una alia non eſt, & ubi in una re mutatio accidit, ea hoc ipſo amplius non eſt, quod primum erat. Cum ſi res diverſæ non ſint, ſed una tantum, & hæc ſemper eadem atque immutabilis ſit; vel ſi una quæ eadem manet, tantum conſideretur: Affirmationis quidem, haud ita vero Negationis ratio eſſet. Quia in illa unitate & identitate, Negatio unius, ut oportet, in alterius affirmatione non poteſt habere fundamentum ſuum, verum una & ſimplex tantum affirmatio eſt. Et hæc ſatis manifeſta ſunt, ſaltem in Eſſentiæ Negatione: ut ſi dicam, *Mens non eſt Corpus, figura non eſt motus*, Negatio, *Non eſſe Corpus*, in Mentis, & *Non eſſe motum*, in figuræ affirmatione habet fundamentum ſuum: quod non haberet, ſi unum eſſent, ut Mens & Animus, Motus & Calor unum ſunt, atque ideo Negatio, *Mens non eſt Animus, Calor non eſt Motus*, vera non eſt. Negationem Modorum & Accidentium quod attinet, ea majorem difficultatem habet, quam Eſſentiæ Negatio: quia tam adeſſe, atque adeo affirmari, quam abeſſe & negari poſſunt Modi, neque an adſint, an abſint, notio ſubjecti nos docet, ut in affirmatione & negatione eſſentiæ fit. Atque hinc manifeſtum quidem eſt, figuram in corporibus motum, formamque unam aliam non eſſe, haud ita vero an & qua ratione moveantur corpora, aut non moveantur, & quæ illorum forma ſit, aut non ſit. Quia quanquam in iis quæ adeò diverſa ſunt,

ut *figura & motus*, aut etiam contraria, ut inter formas *curvum & rectum* ſunt, poſitio unius alterius everſio ſit: hinc non ſequitur, quicquam eorum primo eſſe ponendum, quo alterum evertatur, aut unum ſine alterius poſitione evertendum.

XXIX. *Ratio Veri & Falſi in Negatione Exiſtentiæ, latius deducitur: & quæ difficultas ſit, quo ad veritatem & certitudinem illius.*

Qua ratione ſatis manifeſtum eſt, quo pacto primum Eſſentiæ, & tum quoque Modorum & Accidentium Negatio, partim à rerum diverſitate, partim ab earum viciſſitudine & Mutatione pendeat. Conſequens eſt, ut de *Negatione Exiſtentiæ* dicamus. Et ut in ea Rationem Veri & Falſi, de qua hactenus dictum non eſt, paulo diſtinctius ob oculos ponamus, quia major hic difficultas eſt: primum ſeorſim ſimplicia, poſtea vero compoſita ſpectabimus. Per *Simplicia* imprimis actum ſubſtantialem & tum quoque modos & accidentia intelligo, ut ſi dicam *extenſio*, *cogitatio*, *figura*, *motus*, *idea*, *intellectus* &c. In his verò §. XXIV. falſæ tantum negationis exempla dedimus. Et vix alia quam falſæ, aut ſaltem incertæ negationis exempla in ſimplicibus poſſunt dari, ſi ut oportet abſoluta negatio intelligatur, quæ ſic evertit ſubjectum, ut nullibi in rerum natura ſuperſit. Atque id imprimis de uno & ſimplici actu ſubſtantiali ſatis manifeſtum eſt, quatenus ſua vel alterius virtute per ſe ſubſiſtens, neceſſario eſt. Quo poſito, Negatio exiſtentiæ debet falſa eſſe. Modos & accidentia quod attinet, ea ſic neceſſario non ſunt, ut ipſe actus ſubſtantialis eſt: ſed abeſſe & mutari poſſunt, & tum quoque non ſunt. Cumque adeò tam eſſe quam non eſſe poſſint, tam Negatio, quam Affirmatio exiſtentiæ videtur de iis poſſe vera eſſe. Notandum ſolummodo, Affirmationem exiſtentiæ in Modis & Accidentibus non ſic ab intellectu pendere, ut ab eo pendet

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

det eſſentiæ affirmatio, ſed à ſenſu & experientia eam primo habere veritatem & certitudinem ſuam. Quatenus non entis non poteſt in nobis ſenſus vel experientia eſſe. Atque ita ex adverſo Negatio exiſtentiæ de modis & accidentibus etiam vera & certa videtur, quando eorum ſenſum & experientiam non habemus. In quo falli poſſumus, adeo ut, ſi non falſa, incerta ſaltem negatio ſit. Quia quod non ſentimus & non experimur, non ſic neceſſario non eſt, uti id quod ſentimus & experimur, eſt. Tum quia alibi eſſe poteſt, ſi forte non ſit, ubi non ſentimus & non experimur illud, tum quia ubi adeſt revera, poteſt nihilominus fugere ſenſum. Si qua igitur alia & major in modorum & accidentium negatione videatur certitudo eſſe, ea non proxime à ſenſu, verum ab intellectu pendebit, quatenus poſito uno per ſenſum vel intellectum, ſæpe alterum poni vel tolli neceſſe eſt. Quæ neceſſitas quatenus intelligitur à nobis, veram & certam facit affirmationem aut negationem, quæ primo & per ſe vera & certa non eſt.

XXX. *Ratio veri & falſi à Rerum Mutatione & viciſſitudine, primum in Corpore, propter Motum: quo fit, ut generatio unius alterius corruptio ſit, & contra.*

Qua ratione, ut hæc veritas aliquo exemplo declaretur, non negamus verum eſſe poſſe, quod aliquando Motus non ſit. At ſatis nobis eſt, nos jam ſenſu deprehendere Motum, & intelligere quod Motus ad quamcunque Mundi formam neceſſarius ſit, & ab initio fuerit. Ut ſi Mundus ſemper ſit futurus, & ex parte tantum mutaturus formam ſuam, quod credibile eſt, ſic ſemper debeat Motus eſſe, ut ab initio fuit. Et hunc motum ubi de ſyſtemate Mundi tractamus, oſtendimus eſſe duplicem debere, unum fluiditatis, quo materia primum in partes dividitur & continuo motu in plurimis manet diviſa, qui motus varius ſecun-

dum minimas particulas eſt, alterum gyrationis, circa tot centra quot ſunt ſydera lucida in mundo, qui quaſi unus & ſimplex eſt motus in magna portione materiæ. Qua ratione Motum Non eſſe, quando materia & mundus eſt, neque fuit, neque erit unquam verum. Atque ita etiam non fuit, nec erit unquam verum, non-eſſe modos & accidentia, quæ poſito motu ponuntur, & corporum particularium formæ ſunt. Quanquam verum non ſit, formam quæ in hac vel illa parte materiæ ſemel eſt, ſemper eſſe; verum eam debere aliquando non eſſe, etiam ex motu ſequitur, quo primum producta eſt. Ut etiam verum non eſt, motum eundem & ſimilem ſemper eſſe in eadem parte materiæ. Atque ita tam corruptionis, qua quod erat non amplius eſt, quia aliud fit, quam generationis, qua quod non erat aliquando, fit primum, cauſa neceſſaria in Mundo eſt, eſtque omnium rerum viciſſitudo quædam. Ut ſicut Generatio unius alterius Corruptio, ita Corruptio unius alterius poſſit generatio dici. Quæ manifeſta eſſe ratio veri aut falſi in negatione exiſtentiæ intelligitur.

XXX. *Deinde in Animo, quatenus junctus cum corpore, in pejus vel melius mutat conditionem ſuam.*

Nos jam corpore ſumus pars hujus Mundi, quod corpus hac etiam de cauſa dici poteſt mortale eſſe, & dum vivit continuæ mutationi obnoxium. Ut inſtar aliorum corporum partim Eſſe, partim Non eſſe dicendum ſit corpus noſtrum. Animus autem, etſi eo modo quo corpus mutabilis & mortalis non eſt motu, diviſione & nova partium compoſitione, mutatur & movetur alio modo, quatenus junctus cum corpore afficitur ab eo, & quantum poteſt ſequitur naturam ejus. Qua ratione cum corpore mobilis & mutabilis factus & obnoxius paſſionibus ejus, imprimis bene vel male ſe habet per corpus & cum corpore, dolo-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

re, voluptate, fame, ſiti, lætitia, triſtitia atque aliis modis. Deinde, quocumque modo ſe habeat Animus, quatenus ſic à corpore afficitur, non ſuam per intellectum, ſed corporis per ſenſum vitam vivit. Et hæc mors quædam eſt, ubi Animus ſecundum ſe ſpectatur, ut incorporeus & rationalis eſt. Uti ex adverſo vita Animi ſecundum ſe ſpectati per intellectum, mors quædam corporis eſt. Ut corpus per mortem, ita Animus per vitam corpoream, quando totus adhæret illi, privatur própria virtute & actione ſua, quæ corporea non eſt. Vis & actio corporis, quando vivit vitam ſuam, ab interno ſpiritu pendet, quo ſpiritu ad ſenſum & motum aptum eſt. Mors autem corporis una cum ſpiritu ſenſum & motum tollit. Sic vero quaſi ſenſus quidam animi & illius vita Intellectus eſt, quo verum cernit interno lumine ſuo. Voluntas quaſi motus eſt, quo fertur ſponte ſua ad verum amplectendum. Et hic amplexus, ubi habet omnem formam ſuam, quam poteſt habere, Aſſenſus cum Amore & Lætitia eſt: quatenus verum primo ut exiſtens, & tum quoque ut ad nos pertinens ſpectando, cum eo volumus unum eſſe, atque eo delectamur. Ut voluntas hoc pacto intellectus tantum promotus dici poſſit, quatenus Amor, qui non poteſt ſine Lætitia eſſe, ab Aſſenſu, & Aſſenſus à ſimplici Intellectu inſeparabilis eſt. Sic vero animus in vero & bono confirmatus, vel ſemper idem eſt, vel non mutabilis in deteriorem conditionem. Atque hæc vita perfectiſſima & ipſa immortalitas eſt, quam animus jam non vivit in corpore, quatenus obnoxius paſſionibus ejus, ſemper idem non eſt, & ſæpe in deterius mutat conditionem. Eſt enim certe per ſenſus, affectus & appetitus corporeos deterior animi conditio, quam per voluntatem & intellectum. Ipſeque intellectus junctus cum ſenſu, etiam ſecundum ſe deterior fit, & voluntas quoque,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

ut juncta eſt cum ſenſitivo appetitu & affectu corporeo: quatenus neque veritas & perſpicuitas, neque vera libertas in iis eſt, ſed fallacia, obſcuritas & cœcus impetus. Quibus animus, cum ſe totum tradit iis, etiam quoad intellectum & voluntatem aſſueſcit. Ut ſe toto dici poſſit non tam ſuam, quam corporis vitam vivere. Quo quantum poteſt, corporeus factus, fere obbruteſcit, atque eo fere modo in errore confirmatur, quo debuiſſet in veritate confirmari. Hoc ſolum cum diſcrimine, quod in errore ea quies non ſit, quæ in veritate eſt, ſed perturbatio multiplex, & pugna perpetua. Quia non una erroris forma eſt, ut non male, ſi hoc dictum recte intelligatur, veritas dicitur una.

XXXII. *Quo pacto in Corporibus debeamus Non-eſſe, quod per mutationem accidit, ſine Privatione ſpectare: primum de Corpore Mathematico oſtenditur.*

Quibus poſitis, haud difficulter porro intelligimus, *Non-Eſſe* in rebus, quod in alio *Eſſe* fundatum, ratio negationis eſt, duplex occurrere, unum Negativum tantum, alterum etiam Privativum. *Non-eſſe Negativum* dicimus, quatenus in alio Eſſe fundatur, quod æquè reale ac poſitivum eſt, neque minus quam alterum convenit ſubjecto ſuo. Sic vero ante omnia cogitandum de iis eſt, quæ corpori accidunt, quatenus Materia, ceu ſubſtantia corporis, quæ ſubjectum eſt, non aliter ad unam, quam aliam formam ſe habet, & ſub quacunque forma æque perfecta eſt, cum pariter ad omnes in potentia ſit. Quod ſi ita eſt, propriè & accurate loquendo, corpori per ſuas formas neque bene neque male eſt, nec quicquam in eo perfectum, vel imperfectum debet dici, vel, ſi non adſit, cenſeri non adeſſe ſecundum privationem, quæ *carentia debitæ perfectionis* eſt. Sic vero haud difficulter intelligimus, quod

eſſe

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

eſſe curvum in corpore non magis perfectio ſit, quam *rectum*, & contra rectum non magis quam curvum, quanquam non poſſit utrumque ſimul eſſe, & alterum non ſit, quando unum eſt. Similiter *eſſe rotundum*, ut globus, *quadratum*, ut cubus, *oblongum*, ut cylindrus, & ſic porro aliter atque aliter figuratum eſſe, quanquam figura una alia non ſit, imperfectio & alterius figuræ privatio non eſt. Atque id de geometricis figuris ſic porro ſatis manifeſtum eſt: quatenus per intellectus abſtractionem concipiuntur tantum. Secundum Intellectum enim in continua quantitate, quæ ſubjectum eſt, non majorem ad unam, quam ad aliam figuram aptitudinem invenimus, ſed parem: quo fit, ut ad nullam dici poſſit apta ex ſe ipſa eſſe. Quod vero ita de Corporibus dictum eſt, & formis eorum, ut à Geometris ſpectantur, ſimiliter de punctis, lineis & ſuperficiebus poteſt intelligi, ut tantum termini extenſionis in continua quantitate ſunt.

XXXIII. *In Corpus naturale & artificiale etiam Privationes non cadere, quæ ratio negationis ſint.*

Jam vero, ſi cogitemus, non aliam Phyſici quam Mathematici corporis ſubſtantiam eſſe, quæ ad omnes formas, quas Natura facit, etiam pariter in potentia ſit: Privatio in his quoque non habebit locum, ſed Negatio tantum, quatenus generatio unius, ut vidimus, corruptio alterius, atque adeo poſitio & præſentia formæ unius, alterius everſio & abſentia eſt. Qua ratione Corpora quæ Naturalia vocamus (neque alia ratio Artificialium eſt, ſi modo non relate ad nos & uſum noſtrum, ſed abſolutè & in ſe ſpectentur) ſive moveantur, ſive quieſcant, & quocunque modo moveantur, æque bene habent ſe. Nec refert, cujus magnitudinis, vel figuræ ſint, quem ſitum inter alia habeant, utrum alba, vel nigra, aut aliter colorata, calida,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

frigida, dura, mollia, matura, immatura, cocta, cruda, putrida, integra, quin mortua an viva ſint. Eaque conſideratio etiam in noſtro corpore dici poteſt locum habere, ſi modo non relate ad nos, quatenus animo conſtamus, ſed abſolute & in ſe ſpectetur: ut jam ſpectamus alia corpora, ſive Naturæ, ſive Artis opera ſint.

XXXIV. *Prima erroris cauſa intima Animæ cum corpore unio, ob quam primum in corpore noſtro Privationes ſpectamus: qui hic primus error vulgi eſt, ad quem Ariſtoteles ſe accommodat.*

Prima & præcipua cauſa erroris, qui nos ab hac veritate avertit, eſt intima Animæ cum Corpore unio, qua fit ut ſaltem noſtrum corpus non videatur pariter in potentia ad omnes formas eſſe, ſed ad eas imprimis, per quas aptum domicilium atque inſtrumentum animæ eſt. Ita fit, ut in corpore noſtro imprimis formam & ſtructuram, quæ conveniens ſit, & ineſſe debeat, hinc pulchritudinem, robur, ſanitatem, ipſamque adeo vitam, inſtar habitus & perfectionis ſpectemus. Quibus deformitatem, debilitatem, ægritudinem & mortem opponimus, ceu imperfectiones & privationes. Qui manifeſtus error eſt, ſi hæc omnia, uti propter animam incorpoream, & ob unionem ejus, vera de homine & corpore humano ſunt, videantur de corpore eſſe vera, ſecundum propriam ſubſtantiam ejus. Ita verò videtur nobis, quando animam, ut oportet, à corpore non diſtinguimus, eam tantum ut corporis actum, perfectionem & formam ſpectando, qua corpus in ſe & quoad ſubſtantiam, debeat ac poſſit vivens & animatum dici; cum revera ſecundum animæ viventis unionem tantum vivens & animatum ſit, non mutando intrinſecam & propriam naturam, ac formam, qua vivens & animatum non eſt, ſi vitæ atque animæ incorporeæ actum ſpectemus. Atque hic error vulgi eſt, quem videtur in aliquibus fuiſſe ſequutus,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

tus Ariſtoteles: Qui in cæteris, quæ ſequuntur inde, etiam accommodans ſe, omnes loquendi modos, quibus forma & qualitas una noſtri corporis, ut habitus & perfectio, altera ut privatio & imperfectio ſpectatur, confirmavit. Satis eſſe putans in his cum vulgo loqui, & ſe accommodare ad opinionem ejus, non diſtinguendo, ut oportet, quid veri aut falſi ſubſit: ut verum eſt, pulchritudinem, robur, ſanitatem, & talia, ut perfectiones, quæque opponuntur ipſis ſecundum privationem, ut imperfectiones, propter animam quidem, quæ eſt incorporea, haud ita verò ſine hac anima, in homine eſſe, ſecundum propriam corporis naturam.

XXXV. *Hinc primum ad Exemplum noſtrum, quaſi nos aliarum rerum menſura ſimus, Privationes in corporibus aliis ſpectari: qui alter error vulgi & Ariſtotelis eſt.*

Deinde ad noſtrum exemplum de aliis cogitamus; non ſolum animalibus & plantis, quibus cum vita & anima, ſimiliter pulchritudinem, robur, ſanitatem, & certam formam tribuimus; ſed etiam metallis, lapidibus, lignis, quin aëre, aqua, terra &c. Quibus, ſi non vitam, ſanitatem & robur illud, qualia cum vita & ſanitate juncta in nobis experimur, pulchritudinem ſaltem, debitamque formam & qualitates tribuimus, quæ conveniant ipſis, & ſi abſint, dici poſſint ſecundum privationem abeſſe. Atque hic alter error vulgi eſt, quo *homo* ſeipſum, ut *aliarum rerum menſuram* ſpectans, ad analogiam eorum, quæ putat ſe habere intra ſe, cogitat de iis quæ invenit extra ſe. Atque id etiam nemo magis quam Ariſtoteles fecit: uſque adeo, ut hinc ſolum Materiam, Formam & Privationem videatur pro Principiis habere rerum omnium naturalium, quæ generationi & corruptioni obnoxiæ ſunt. Ubi Formam ſpectat ut bonum, quod conveniens rebus appetibile ſit, Priva-

tionem,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

tionem, ut malum, quod rebus non conveniens, appetibile non ſit. Atque ita dicit Materiam *Formam* appetere, ut *Divinum & bonum*, cui *Privationem ut malum* opponit. 1 Phyſ. cap. 9. Putanſque hoc pacto totum mundum animatum, quin divinum, & animarum omnia plena eſſe, eo quod cœleſtia primo & per ſe talia ſint: in hoc uno rei cujuſque ſub cœlo formam & propriam naturam conſtituit, quod à cœlo actum & perfectionem accipiat, quæ in Materia, quatenus ad eam in potentia eſt, non ſit; atque id in ea ut Malum & Privationem ſpectat. Prorſus ut nos de iis cogitamus, quæ cum vita & anima nobis conceſſa ſunt, quæque corpus ex ſe ipſo non habet & per mortem amittit quoque: quatenus non tam corporis, quam animæ bona ſunt ſive propter animum qui cum corpore unitus eſt. Ita, ſicut vita, æternum durans abſque incommodo ullo, videtur ſummum noſtrum poſſe bonum eſſe, noſtræque adeo naturæ perfectio ſumma, in quam, ſi haberemus eam, privatio non caderet: ita perpetuitas in omni alia re ut ſumma perfectio, & quaſi habitus ſine privatione conſideratur. Quaſi, ut nos jam fruimur vita, & frui poſſemus perpetuitate ejus, id ſuo etiam modo poſſent res omnes aliæ facere. Et ut in nobis imperfectio atque adeo privatio eſt, vita ac proprio actu ejus carere ſive non frui, quod per mortem accidit: ita & in aliis corporibus imperfectio ſit, non habere proprium ſuum actum per interitum, qui eſt mortis inſtar.

XXXVI. *Deinde Privationes in corporibus aliis quoad effectum ſpectari: quatenus nos per ea videmur commodo quodam, aut aliquo ſenſu privari.*

Præterea de aliis corporibus, quæ à noſtro diverſa ſunt, non ſic ſolum ad exemplum noſtri & ſimilitudinem ejus, ſed etiam ſecundum effectum judicamus: ſive effectus ille tantum in ſenſu, ſive in alio commodo vel incommodo

con-

conſiſtat. Et ut ſenſus, ita quodcunque aliud commodum vel incommodum, vel ſecundum privationem tantum, vel etiam ſecundum contrarietatem ſpectatur, quæ cum privatione conjuncta ſit. Qua ratione, ut aliorum corporum effectus in nobis videtur duplex eſſe, vel bonus & conveniens nobis, qui ſæpe in ſolo ſenſu conſiſtit, vel malus & non conveniens, quo etiam privatio ſenſus refertur; & ut unus tanquam habitus & perfectio, alter ut privatio & imperfectio ſpectatur: ſic quoque putamus debere ipſa corpora ſpectari. Quaſi id ſecundum ſe ſint, quod dicuntur relate ad nos ab effectu eſſe. Cum cogitandum foret, hanc denominationem tantum externam eſſe, quæ non debet ad ſubjectum referri, ut abſolutum & intrinſecum quid, pertinens ad naturam ſubjecti. Qua ratione, ut uno vel altero exemplo declaremus, quod locum in innumeris habet, cum putare poſſimus *tenebras*, ut in aëre ſunt, non magis quam *lumen* privationem eſſe, & hoc veriſſimum ſit, quia tam tenebræ poſitiva qualitas extra ſenſum ſunt, quam lumen eſt: communiter tamen tenebras tantum ſecundum privationem ſpectamus, quatenus nos privamur per eas conſpectu rerum, atque id nobis incommodum eſt. Neque aliter multi *quietem* & *frigus* ſpectant, ut calori & motui opponuntur: quia frigus & quies partim minus ſenſum afficiunt, partim minus commoda ad vitam ſunt. Poteſtque ſimilis conſideratio ſaporum, odorum, ſonorum & colorum in corporibus eſſe: ut & aliarum qualitatum, quæ haud ita primo & per ſe ſecundum ſenſum, verum alio effectu ad nos referuntur; ut eſſe *ſalubre*, *inſalubre*, *alimentum*, *medicamentum*, *veſtem*, *domum*, *tegumentum*, aliaque innumera, ſive à natura, ſive ab arte ſint. Et ut calorem & frigus, ita alia quoque, non ſecundum privationem tantum, ſed etiam ſecundum contrarietatem ſpectamus,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

quæ juncta ſit cum privatione: quatenus una qualitas & effectus unus, minus quam alter conveniens eſt. Atque hæc non aliter in Artis, quam in Naturæ operibus ſe habent. Nam & artis opera poſſunt formam habere, quæ ab effectu, aut ſenſu, qui nobis conveniens non eſt, ſecundum privationem ſpectetur. Ut *horologia*, *picturas*, *veſtes*, *domus*, multaque alia in communi vita ſpectari manifeſtum eſt.

XXXVII. *Ubi hic Effectus aut ſenſus nullus eſt; Non-eſſe quod in Privatione ſpectamus, non videri in alio eſſe fundatum.*

Quibus poſitis, conſequens eſt, ut quæ non amplius ullo ſenſu, non ullo commodo vel incommodo nos afficere videntur, ante omnia hoc pacto ſecundum privationem ſpectemus. Et quia talia non cogitantur amplius res vere exiſtentes eſſe, ut etiam nomen non habent, non videmus quo pacto *Non-eſſe* in iis, quod per mutationem accidit & ratio negationis eſt, ſit in alio eſſe fundatum, juxta regulam communem, *Corruptio unius eſt Generatio alterius*, quæ regula tum quoque falſa videtur. Ut hinc etiam putemus verum non eſſe, id quod omnes phyſici admittunt, *Non poſſe quicquam in Nihilum abire.* Quia ea in rebus ſæpe mutatio accidit, qua neque idem ſubjectum manere, neque aliud ſub alia forma fieri videmus: ſiquidem vel in auras abeunt & diſſipantur corpora, vel aliter ita tranſmutantur, ut non amplius poſſint in ſenſum incurrere. Prorſus ut altera regula, *Generatio unius eſt Corruptio alterius*, etiam poteſt falſa videri, & putare poſſumus, Ex Nihilo aliquid fieri naturæ viribus. Quoties nimirum unum quod fit in naturali generatione, novimus tantum & hoc ſolum afficit nos, nec advertimus aliud everti eo, quia hoc aliud ignotum eſt & non afficit nos. Ut certe nemo advertit, dum arbor in altum aſſurgit & capit incrementum, quæ in

in hac continuo nova generatione corruptio, quodque adeo *non-eſſe* cum novo *eſſe* conjunctum ſit. Quia antequam eſt arbor, non videmus quicquam, quod dum arbor fit deſinat eſſe mutando formam ſuam: ſed videtur arbor prorſus ex nihilo fieri, tota ſubſtantia ſua, quæ non afficit nos, quando adhuc arbor non eſt, quanquam ſit revera.

XXXVIII. *Hinc Negationem non videri fundatam in Affirmatione.*

Sic ergo aliqua abſoluta & nuda videtur Negatio dari, quæ non habeat fundamentum in affirmatione. Nam Non-eſſe, in Nihilo & nuda privatione, quæ abſentia unius ſine præſentia alterius eſt, fundamentum non habet in Eſſe aliquo. Sicut, *Non-eſſe* unum, quod ſecundum aliud eſſe, quo everti intelligitur, in ſubjecto ſpectamus, in hoc alio habet fundamentum, puta *Non eſſe recti*, in *eſſe curvi, non eſſe quietis* in *eſſe motus*, *non eſſe viventis* in *eſſe cadaveris*. Ubi idcirco Negatio ſimiliter in Affirmatione fundatur. Quod quanquam ubique adeo manifeſtum non eſt, quia, ut diximus, forma una, quæ aliam tollit, ſæpe ignota eſt & nomen non habet, quia non afficit nos, idcirco putandum non eſt, unquam aliter ſe habere. Atque ideo etiam aliter non debet judicium in Negatione formari, ut rebus ſicut ſunt & non ſunt, conforme ſit. Niſi res ut ſunt & non ſunt relate ad nos tantum, putare velimus abſolute & in ſe eſſe & non eſſe extra nos. Quæ hic & alibi quoque unica fere infiniti erroris cauſa eſt.

XXXIX. *Privationes etiam in corporibus aliis ſpectari, quatenus non aliter ad ſe mutuo, quam ad nos, referuntur.*

Poſtquam hoc pacto in aliquibus aliis corporibus, propter nos, quatenus afficimur ab iis, Privationes ſpectavimus, propter hæc iterum eas poſſumus in aliis ſpectare, quæ ad illa referuntur. Eaque conſideratio longa ſerie ſic

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

poteſt ab uno corpore ad aliud transferri. Qua ratione, ſicut multa in bonis habentur, propter nos & noſtrum commodum tantum, ſic alia iterum relate ad hæc & propter illa habentur in bonis, quatenus ſerviunt ipſis. Et contra ſicut multa in malis habentur, quæ ſecundum privationem ſpectamus, propter nos tantum & aliquod incommodum noſtrum: ita ea quæ bonis & commodis obeſſe, vel prodeſſe malis & incommodis videntur, iterum ſpectamus. Talia imprimis ſunt multa artis opera ad uſum vel ornatum facta, quem videntur inter ſe habere: ut *malleus ad cudendum, culter ad ſcindendum, pictura ad ornandum*, repræſentandum. Quæ cum ut debere cogitantur, inter ſe non habent uſum iſtum, ſecundum privationem ſpectamus formam eorum. Deinde ea quæ lege conſtant & voluntate hominum, atque uſum & valorem habent ut nummi; quando non habent formam, quam hunc in finem debent habere, inde etiam ſecundum privationem ſpectantur. Quaſi, ut ſecundum privationem nos inde deſtitui commodis videmur, quæ per ea conſequi poſſemus, ita defectus & privatio in ipſis ſit: puta quando nummus tantum non valet, quantum cogitatur debere valere vitio materiæ aut formæ ſuæ. Denique quæ natura conſtant, præterquam quod ſæpe primo & per ſe nos afficiant commodo quodam aut non afficiant, & hinc ſolum ſpectentur ſecundum privationem (de quo §. XXXVI. diximus) aut ut nummi valeant, ſola opinione & voluntate noſtra, de quo jam dictum eſt: iſta etiam in eo cogitantur habere uſum & valorem, quod ſic videantur una propter alia facta & ſervire aliis, ut quædam facta propter nos videntur, quæ nobis ſerviunt. Quo fit, ut ſicut in Arte, quando unum alteri non ſervit, & in alio perficiendo effectum non habet, ut debere cogitatur, ſpectamus illud ut imperfectum, ſecundum

dum privationem: ſic quoque putemus debere opera Naturæ ſpectari.

SPECIMEN LOGICÆ INTERPRETATIONIS

Amſtelædami Anno 1669. 1670. 1671.

Octo Comprehenſum Diſputationibus, quæ occaſionem dederunt Primis de Interpretatione Cogitatis.

I. LOgica duplex poteſt tradi, una vulgaris, altera philoſophica: poſterior Philoſophiæ propria, prior omnium aliarum artium & diſciplinarum communis eſt.

II. Logicam philoſophicam voco, quæ ſic ratione uti docet, ut occulta ejus vitia emendet, ſecundum ſimplices & primitivas notiones, in quibus veritas eſt rerum in ſe ipſis ſpectatarum. Quæ emendatio ſe poteſt ad orationem extendere, quatenus omnes conceptus noſtros verbis alligamus.

III. At nihil horum facit Logica vulgaris, quam à Gentilibus accepimus. Quæ idcirco neque ut pars neque ut inſtrumentum ad veram philoſophiam referenda eſt: & non magis quam Grammatica vel Rhetorica, dici Philoſophica poteſt. Quanquam aliquanto propius hæc Logica dici poſſit accedere ad philoſophiam, & aliquanto majorem cum ea cognationem habere. Uti Rhetoricæ dici poteſt major cum philoſophia eſſe cognatio, quam Grammaticæ. Qua

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

de cauſa non male in Scholis primum Grammatica, hinc Rhetorica, & quoque Logica docetur.

IV. Gentiles non advertebant, quanta rationis humanæ corruptio & imperfectio ſit, in veri & falſi judicio: ad quod judicium veri & falſi rationis uſus in Philoſophia unicè referendus eſt: ſicut aliæ diſciplinæ, quæ ad uſum vitæ tantum inventæ ſunt, alium finem habent.

V. Ideoque Logicam invenere gentiles, quæ ea tantum ratione uti docet quam habemus, prout *ex multa fide, & multo etiam caſu, nec non ex puerilibus, quas primo hauſimus, notionibus, farrago & congeries eſt.* Ut pulchre animadvertit Verulamius Novi organi §. XCVII, & hanc rationem paſſim *intellectum ſibi permiſſum* vocat, qui ad uſum vitæ quidem, diſciplinaſque ad uſum vitæ inventas, haud ita vero ad contemplationem veritatis ſufficit, quæ propria veræ philoſophiæ eſt.

VI. Quæ Logica idcirco ad veritatem inveſtigandam, & mentem primo dirigendam in rerum cognitione, prorſus inutilis, quin hoc ſuo inſigni abuſu poteſt noxia eſſe. Et non minima corruptæ philoſophiæ hactenus cauſa fuit abuſus iſte; ut jam de aliis diſciplinis non dicam, quibus perperam applicata & nimium permiſta fuit Logica Scholarum.

VII. Etiam inutilis eſt in dirigenda oratione, quæ rerum in ſe ſpectatarum naturis reſpondet: qualem orationem philoſophia poſtulat præ omnibus aliis diſciplinis.

VIII. Proinde ut *Ratio*, ſic *Oratio* vulgaris tantum, & qualis communiter inter homines in uſu eſt, dirigitur per vulgarem Logicam. Et eatenus non minus utilis, quam Grammatica & Rhetorica, & eodem modo à Philoſophia ſeparanda eſt.

IX. Sicut ergo communiter ratio inter homines, vaga vide-

& incerta eſt, Logica quæ ad eam accommodat ſe, multis videtur non poſſe alia eſſe. Atque hinc tanta authorum diſſenſio eſt in hac arte conſtituenda, ut non videatur ullam poſſe certam formam habere, ſicut aliquo modo habent certam formam Grammatica & Rhetorica.

X. Attamen Petrus Ramus videtur nobis optime delineaſſe Logicam vulgarem, quatenus nihil prorſus cum philoſophia commune habens, non minus quam Grammatica & Rhetorica certam poteſt formam habere. Atque eam non male Dialecticam vocat; quæ prima & antiqua artis hujus appellatio fuit, ab uſu quem in diſſerendo habet. Quatenus non tam materiam ſermonis, ut Grammatica, vel ornatum, ut Rhetorica, quàm animi conceptum & rationem in communi oratione ſpectat. Ut Dialectica ſit *ars rationis* (non ſimpliciter verum) *quatenus oratione explicata eſt*, ſicut eam Cicero deſcribit.

XI. Ita vero, vel ſingulæ rationes alligatæ orationi ſeorſim, vel plures conjunctim ſpectantur. Ut hujus *Dialecticæ partes duæ ſint*, *inventio & judicium*. Sicut Etymologia & Syntaxis duæ partes Grammaticæ ſunt, prior quæ de ſimplicibus, poſterior quæ de complexis ſive ſimplicium conſtructione tractat.

VII. *Inventio*, inquit Ramus, *eſt pars Dialecticæ de inveniendis argumentis*. Quod non eſt res ipſas & rerum in ſe ipſis ſpectatarum veritatem invenire, (ut Logica debet facere, quæ Philoſophiæ propria eſt, & hoc perperam Logicæ vulgari tribuitur) ſed quo modo res una ad aliam affecta ſit noſtro conſiderandi & loquendi modo. Ita Ramus, inquit, *Argumentum, eſt quod ad aliquid arguendum affectum eſt: quales ſunt ſingulæ rationes ſolæ & per ſe conſideratæ*. Ubi manifeſtum eſt, per *rationes*, ſecundas notiones intelligi, quæ noſtro conſiderandi modo, rerum

quas

quas cognoſcimus, affectiones ſunt, in ſermone & cogitatione, ſive, in dictis & cogitatis: quod certe non eſt rei affectionem in extantibus eſſe; id quod in Cogitatis de natura humani ſermonis latius deduximus, non uno loco.

XIV. Primum inter argumenta eſt, id quod petitur à *cauſa & effectu.* Hæc enim prima & maxime eſſentialis rerum ad ſe invicem relatio, hic primus conſiderandi modus eſt, quo utimur communiter in rebus cognoſcendis, accommodate ad communem ſermonem.

XIV. Proxime ſequuntur *Subjectum & Adjunctum*, inter quæ communi conſiderandi modo, etiam qualiſcunque nexus & conſenſus eſt. Ex his duobus argumentis igitur omnis ratio unitatis, identitatis & connexionis petenda.

XV. Tertia claſſis argumentorum oritur ex relatione *Diverſitatis & Oppoſitionis*, quæ obtinet ubi locum non amplius invenit nexus & conſenſus. Huc igitur *Diverſa & Oppoſita* ſpectant.

XVI. Quarto loco *Comparata*, ut *Paria, Majora, Minora, Similia, Diſſimilia* ſunt. Nam comparatio quartus præcipuus modus conſiderandi, atque adeo rei ad rem inſignis habitudo & Relatio eſt, quæ multum valet quoad communem rationis uſum inter homines, quem communem uſum ubique dialectica ſupponit.

XVII. Et hæc *Argumenta prima* vocat Ramus, quatenus ſuæ originis ſunt atque a ſeipſis habent arguendi vim. Non male inſuper conſiderat *Orta* à primis. Ut ſunt *Conjugata & Notatio*, item *Definitio & Diſtributio*, quæ in primis argumentis habent qualemcunque rationem & fundamentum ſuum, & manifeſte ſupponunt prima ſive priora argumenta iſta. Quod particularibus exemplis confirmare ex probatis autoribus, ſicut factum à Petro Ramo fuit, noſtri jam inſtituti non eſt.

XVIII. His

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

XVIII. His denique ſubnectit *Argumentum inartificiale*, *Teſtimonium* nempe, quod ſic vocat, quia non ita artis & ſcientiæ eſt illud in medium adferre, ut *Argumenta* cætera quæ quia qualemcunque rerum notitiam ſupponunt, Artificialia nuncupantur.

XIX. Sic ſe habet pars prima Dialecticæ Rami de Inventione. Pars altera in *judicio* poſita, verſatur in diſponendis argumentis, ad bene judicandum, id quod vel una enuntiatione, per judicium Axiomaticum, vel plurium enunciationum nexu facimus, per judicium Dianoëticum, quo Syllogiſmum aut Methodum facimus.

XX. Dico partem alteram Dialecticæ verſari in diſponendis argumentis, quia communiter ſolemus ſub conſideratione notionum quas recenſuimus, affirmare aut negare primum in enunciationibus ſingulis ſeorſim, deinde, concludere in ſyllogiſmis, & ſic tandem ordine ſingula diſponere, Methodo. Quamvis ubique ea notionum ſive argumentorum conſideratio æque obvia & manifeſta non ſit, & artificium tegi præſtet, quam aperte oculis exponi. Ut etiam præſtat in diſſerendo, ſcribendo, meditando, non primo ad iſtas notiones Logicas, ſed ad res ipſas potius reſpicere, in quibus, quatenus eas humano ſermone comprehenſas ſupponimus, ſatis obviæ ſunt notiones, quas recenſuimus, Cauſalitatis & cujuſcunque alterius connexionis ac dependentiæ, item diverſitatis, Oppoſitionis, Comparationis. Quarum affectionum conſideratio juvare poteſt in cognitione rerum, quando nimium à rebus abſtracta non eſt, & non deſtituta qualicunque intelligentia rerum. Communiter autem ratio inter homines, etiam quando notionibus ac præceptis Logicis informata eſt, deſtituitur ac manet deſtituta cognitione rerum accurata, quam vera nos debet philoſophia docere. Quia intelligentia notionum, intelli-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

gentia rerum non eſt niſi notiones primæ ſint, quas vidimus non pertinere ad Logicam.

XXI. His non contenti alii Logici, quanquam valde ſimplicia & plana ſint, in multis hunc ordinem turbant, & multa alia miſcent, quæ ſi non omnia, maximam partem vel ad Philoſophiam ipſam, vel ad Logicam Philoſophiæ propriam referenda, vel ut noxia & inutilia rejicienda ſunt. Neque alia hactenus tantæ confuſionis atque diſſenſionis in arte Logica conſtituenda, cauſa fuit, quam quod putaverint philoſophi (primum illi qui Ariſtotelem, & jam quoque hi qui Carteſium ſequuutur) univerſum rationis uſum (tam philoſophicum, quam vulgarem) una arte atque iiſdem poſſe regulis comprehendi. Quo ſolo primum philoſophia, hinc etiam aliæ diſciplinæ corruptæ ſunt olim, ut jam de nova & magis periculoſa corruptione horum temporum non dicam: quanquam error & corruptio olim major fuerit in philoſophia, quia cæteræ diſciplinæ natura ſua accommodatæ ad communem ſenſum & vulgarem intellectum, qualecunque remedium erroris in ſemetipſis habuerunt. Hoc tempore error & confuſio major eſt in cæteris diſciplinis, quando eas conamur ad intellectum philoſophicum accommodare.

Poſtquam ſic utcumque de Logica univerſim diximus, & vulgarem à Philoſophica diſtinximus, atque in eo genere dialecticam Rami probavimus; quia ſimpliciſſima, atque ſine admiſtione philoſophiæ, ad communem tantum ſenſum humano ſermone expreſſum accommodata eſt: Operæ videmur pretium facturi, ſi receptam ab aliquo tempore in Scholis noſtris Lo-

gicam,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

gicam, quæ Franconis Burgerſdicii fuit, examinemus & notis quibuſdam illuſtremus. In quo conabimur breves eſſe, atque ideo non Logicas Inſtitutiones, ſed earum ſynopſin ſequemur, ut ab authore in uſum ſcholarum conſcripta eſt.

CAPUT I.

I. *Unde dicta eſt Logica? A voce* λόγος, *quæ* [1] *tum Rationem, tum Orationem ſignificat. Logica enim dirigit intellectus noſtri rationem ſive conceptus, eoſque docet* [2] *apta oratione* [3] *interpretari.*

§. I. *Tum Rationem tum Orationem.* Eſtque adeò ars rationis, non in ſe ſpectatæ, ſed ut oratione explicata eſt, rationem in oratione ſpectans, ad docendum & intelligendum, ſicut in Grammatica materia orationis ad loquendum, in Rhetorica ornatus ad perſuadendum ſpectatur. Quare, ut pulchrè Goclenius probl. Log. parte I. qu. VI. ſi
id quod prius eſt, & fontem ipſum reſpicias, naturamque “
& eſſentiam Logicæ, rationalis ars eſt: ſin id quod po- “
ſterius & rivum ac uſum ſpectes, qui ad alios proficiſci- “
tur, ſermones ſerit rationi conſentaneos. Et qu. IV. “
Finem dialecticæ recto uſu rationis humanæ, eoque uni- “
verſo ad bene diſſerendum definio. Hinc vero pariter manifeſtum fit, quo pacto à διαλέγεσθαι, à diſſerendo, *Dialectica* vocetur. Quod diximus primum & antiquiſſimum ejus nomen fuiſſe: quatenus ab initio in Philoſophorum congreſſu locum habuit, cum interrogando ac reſpondendo inciperent exercere ſe, vel unus de argumento propoſito coram aliis diſputare ſive diſſerere. Quod videbant commodius certis quibuſdam formulis atque ut Scholaſtici loquuntur, terminis fieri, quam vago & incerto dicendi

 genere,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

genere, quo communiter omnes homines utuntur. Et hujuſmodi *formulæ* dici poſſunt *definitio*, *diviſio & ſyllogiſmus*; *Termini*, ut vocant, nudi & ſimplices tantum modi conſiderandi ſunt, qui ad omnia aut multa genera rerum extendunt ſe, vocanturque in Logica notiones ſecundæ.

§. 2. *Apta oratione*: non perpetuâ illa & continente, quæ in orationibus Rhetorum cernitur, ſed conciſâ potius, atque contracta, qualis Philoſophorum propria, & quæ ſola in publico congreſſu apta ad diſputandum eſt. Conſiſtitque adeo aptitudo orationis Logicè ſpectata in diſtincta quadam perſpicuitate, quæ claris & diſtinctis conceptibus reſpondet: Cenſenturque ſecundum Logicam, quæ Philoſophiæ propria eſt, conceptus clari & diſtincti eſſe, ſecundum ſimplices & primitivas notiones, quibus res ipſas cognoſcimus. At ſecundum vulgarem Logicam, quoad notiones ſecundas tantum, quæ non tam rerum notiones ſunt, quam modorum conſiderandi circa res, quibus in communi vita primum rationem & conceptus noſtros, hinc orationem & verba alligamus. Ita *apta* poteſt *Logicè* oratio dici, quæ ſi res ipſas ſpectemus, apta non eſt; Quatenus intelligentia notionum circa res, ipſa rerum intelligentia non eſt, & ab ea ſæpe avertit nos, ac in multis errorem parit.

§. 3. *Interpretari*: atque ita aliis communicare in diſſerendo, docendo, diſputando. Hic ultimus finis hujus Logicæ eſt, quo omnia referri debent. Logica quam Philoſophicam vocamus, alium finem habet, quatenus nihil aliud quam rectam rationem curat in veritate invenienda atque adeo emendat rationem, quod perperam Logicæ vulgari tribuitur. Ut veritas, ultimus, rectus rationis uſus, quo cognoſcimus veritatem, ſubordinatus finis atque adeo medium ſit, hunc finem conſequendi. Quæcunque alia utilitas, à Logica Philoſophica, abeſſe poteſt; quanquam poſſit

mul-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

multiplex eſſe; ut veritas & recta ratio ad multa utilis eſt, quin etiam multum in differendo valet.

II. *Quid eſt Logica? Logica eſt ars conficiens* [1] *inſtrumenta, iiſque dirigens intellectum in* [2] *cognitione rerum.*

§. 1. *Inſtrumenta iiſque, &c.* Alii, his omiſſis, ars dirigens intellectum in cognitione rerum, item ars recte utendi ratione: in diſſerendo ſcilicet, quatenus omnis rationis uſus & cognitio omnis refertur eò; ſicut inſtrumenta Logica, quæ autor conſiderat, non cognoſcendi, verum diſſerendi inſtrumenta, atque adeo breves tantum formulæ ſunt ea quæ novimus exponendi.

§. 2. *In cognitione rerum:* Accommodatè ad communem ſenſum & vulgarem intellectum, quo communiter omnes homines utuntur, res omnes ſpectando, non ut ſunt in ſe, verum relate ad nos & ſe invicem. Hujusmodi enim relationes generaliſſimæ & ad omnia rerum genera applicari aptæ, ſunt omnes notiones Logicæ, quas *ſecundas* vocant. Sub harum conſideratione primum in ſimplicibus ſingula ſeorſim, & tum quoque in compoſitis plura conjunctim ſpectamus, affirmando, negando, argumentando & hæc omnia ordine quodam diſponendo. Quia neque nudæ per ſe res, neque nuda nomina tantum, neque conceptus rerum ut ſunt in ſe, verum ut ad nos vel ſe invicem, noſtro conſiderandi modo referuntur, communiter ſubeunt cogitationem noſtram, hinc nomina & notiones accipiunt, quibus utimur in diſſerendo, docendo, diſputando. Cumque in his nihil à natura certum ſit, niſi quatenus à cogitatione noſtra determinatur, hæc vera & præcipua cauſa perpetuæ diſputationis & contradictionis eſt, primum in Scholarum Philoſophia, & tum quoque in cæteris diſciplinis, quatenus ad Logicæ normam ſecundum nomina & conceptus iſtos compoſitæ ſunt. Quæ ratio movet nos cur pu-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

temus, Philoſophiam, Mathematicam, aliaſque diſciplinas, quæ de rebus ipſis tractant, ſic tractari non debere: Verum communem in rebus tractandis ſermonem ſequendum eſſe, omneſque conceptus ad naturam rerum accommodandos, ſi quid firmum & ſtabile velimus in ſcientia eſſe.

III. *Quot ſunt partes Logicæ? Duæ; prior agit de Thematibus, earumque variis* [1] *affectionibus, poſterior diſſerit de ipſis Inſtrumentis, quibus themata* [2] *tractantur,* [3] *ſive quibus intellectus dirigitur, cum in thematum ſive rerum cognitione quærenda verſatur.*

§. 1. *Variis affectionibus: & notionibus ſecundis tanquam materia inſtrumentorum*, ut Auctor addit in Inſtitutionibus Logicis. Nimirum ut Ramus in Inventione, quæ prima pars Dialecticæ eſt, argumenta tractat, tanquam materiam quâ bene diſpoſitâ ſyllogiſmos, & axiomata facimus. Non quod ex argumentis, ut notiones tantum & abſtractæ à rebus conſiderationes ſunt, axiomata velit & ſyllogiſmos formari, verum quod in his formandis & concipiendis, earum conſideratione utamur, res omnes ſpectando cum & ſub notionibus iſtis.

§. 2. *Themata tractantur:* In diſſerendo, docendo, diſputando. Ut non tam primo cognoſcendi, quam diſſerendi, & ea quæ novimus exponendi inſtrumenta ſint. Non enim poſſumus res ignotas tractare, neque inter tractandum adipiſci cognitionem rerum. Vel ſi id contingat forte, ut quandoque videtur contingere, quatenus docendo diſcimus: tractandi & cognoſcendi unum atque idem inſtrumentum, ſive medium non eſt. Quæ toties inculcanda ſunt, ac ſæpius repetenda, quia ad unum omnes Logici, vulgares ſaltem, impingunt hic, & hic error per univerſam Logicam ſparſus eſt. Quin author in hac ipſa reſponſione impingit, & errore adeo manifeſto involvit ſe. Pergit enim

§. 3. *Sive*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

§. 3. *Sive quibus intellectus dirigitur cum in thematum ſive rerum cognitione quærenda verſatur.* Quaſi res cognoſcere & tractare unum ſint, quia tractari ſine cognitione non poſſunt, atque inter tractandum cognoſcuntur, forte diſtinctius aliquanto, quam cognitæ prius fuerant, quia nova attentione opus eſt. Ita Ariſt. 1. Metaph. cap. 1. *Signum ſcientis eſt poſſe docere.* Si pro *quærenda* legamus *tradendâ*, error emendatus erit. In Inſtitutionibus circumſpectius dicit, *Organica vocatur, quæ agit de ipſis organis ſive inſtrumentis, quibus intellectus themata tractat, eorumque cognitionem, quoad fieri poteſt, adipiſcitur.* Ubi tractare & cognoſcere non ſic pro eodem accipiuntur, ſed juxta ſe ponuntur, additurque, *quoad fieri poteſt.* Poſſunt enim inſtrumenta Logica, quæ inſerviunt rebus tractandis, aliqua etiam ratione inſervire iis cognoſcendis. Quatenus tractari ſecundum ea & ſub formulis iſtis vix poſſunt res, niſi eas paulo diſtinctius concipiamus, & ad ea quæ novimus magis attendamus, quæ nova attentio quaſi novam cognitionem parit. Quod longe aliud eſt, quam primo invenire & formare conceptus, ut in *quærenda cognitione* neceſſe eſt. Qua ratione concedimus, Logicam vulgarem, Ramæam præcipue, utilem eſſe, in addiſcendis aliis diſciplinis. Negamus tamen utilitatem, neceſſitatem ac præſtantiam iſtius Logicæ, à rectæ rationis τοῦ λόγου utilitate, neceſſitate ac præſtantia petendam eſſe; quaſi juxta eam aut per eam inæſtimabilis pretii ſit ars iſta. Verum laudes iſtæ cadunt in aliam Logicam, quæ veræ philoſophiæ propria nos docet diverſam humanæ rationis rectitudinem conſiderare.

CAPUT II.

I. *Quid eſt thema?* [1] *Quicquid* [2] *intellectui* [3] *cognoſcendum proponi poteſt.*

§. 1. Notum eſt Logicam quatenus ars diſſerendi eſt, verſari

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

ſari circa omnia quæ ſunt & non ſunt, τὰ ὄντα καὶ μὴ ὄντα, ſi modo quicquam de iis cogitari ac dici poſſit. Et in eo communiter conſentiunt Logici. At vero non advertunt, quod perſpicue ſequitur inde, finem Logicæ hoc pacto non poſſe veri & falſi judicium, eamque cognitionem rerum eſſe, quæ veritati conſentanea eſt: quatenus vera cognitio rerum tantum exiſtentium eſt. Proinde ut Rhetoricæ finis eſt dicendo perſuadere, ita finis Logicæ erit diſſerendo docere, diſputare &c. Et ut in perſuadendo ſatis eſt opinionem & affectum ſequi, ita in docendo & diſputando ſequimur conceptus noſtros: qui tam ficti & falſi, quam veri eſſe poſſunt, ut perſuaſio tam ficti & falſi quam veri eſt. Hoc ſolum intereſt utrobique, quod aliquando ſciamus falſum & fictum eſſe, de quo dicendum vel diſſerendum eſt, ut fabulæ & figmenta poëtarum; aliquando id non ſciamus, ut ea dogmata philoſophiæ vel aliarum artium, quæ ſpeciem veri habent, quanquam falſa ſint. Neutrum verò refert quicquam, ſi thema quod intellectui cognoſcendum proponi poteſt, tam non-ens quam ens eſſe poſſit, neque adeo refert, an verum, an falſum ſit problema dialecticum, modo pietati, bonis moribus & ſenſui communi non adverſetur, ut nos auctor ſuo loco ex Ariſt. docet.

§. 2. Sive ſolo poſſit intellectu *cognoſci*, ut quæ de Deo & anima aliiſque rebus incorporeis novimus, ut jam de abſtractis & generalibus veritatibus non dicam; ſive primum in ſenſu & hinc in intellectu ſit, ut res corporeæ particulares, ſatis magnæ & propinquæ, primum ſenſibiles & hinc intelligibiles ſunt. Et ſenſibilia tamen, non ut ſentiuntur, ſed ut intelliguntur cognoſcimus, conceptum de iis formando apud animum noſtrum. Et hanc ſolum cognitionem in philoſophia ac ſcientia omni, hanc in Logica ſpectamus, ubi themata tractanda ſunt.

§. 3. Cogni-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

§. 3. Cognitio non male triplex dicitur, Noëtica, Axiomatica, Dianoëtica. Quæ ſic ſe habent, ut antecedens quidem ſine conſequente, non conſequens ſine antecedente eſſe poſſit. Ut manifeſtum attendenti fit, poſſe rem aliquam, puta triangulum, ſimpliciter apprehendi, nil quicquam de ea affirmando, vel negando, poſſe affirmari vel negari, unum ex alio non deducendo. Non contra. Idem ordo igitur ſervandus eſt, ſive in concipiendo & meditando, ſive in tractando & diſſerendo verſemur: quatenus recta apprehenſio rerum, primum omnis affirmationis aut negationis, & tum quoque ratiocinationis fundamentum eſt. Sed vero ut recta cognitio ſit, poſita in recta rerum apprehenſione, ante omnia cavendum, ne ſecundas notiones pro primis amplectamur. Ut paſſim in ſcholarum philoſophia fit. Hujus erroris non alia fere cauſa eſt, quam quod Logica videatur intellectum in rerum cognitione dirigere: cum revera eum dirigat tantum in modis conſiderandi circa res, ut ſecundæ omnes notiones ſunt. Quos tam deberet intellectus noſter à conſideratione rerum diſtinguere, quam canis Æſopicus, ſimili errore deluſus, diſtinguere umbram à carne debuiſſet, & ſcire, quod umbræ apprehenſio carnis apprehenſio non ſit. Quæ ſic ſatis manifeſta quidem ſunt, neque tamen animadverſa in ſcholarum philoſophia, aliiſque diſciplinis, quæ compoſitæ ad normam Logicæ, non tam primas de rebus ipſis, quam ſecundas notiones tractant, circa res. Quæ prima & præcipua cauſa omnis confuſionis, nec non perpetuæ contradictionis & diſputationis, primum in philoſophia, hinc in aliis ſcientiis fuit, quotquot ad normam ejus compoſitæ ſunt. De quo ad cap. I. qu. II. §. 2. plura diximus.

II. *Quomodo dividitur Thema? In ſimplex & complexum.*

Ut quæſtio, quam in diſſerendo, docendo, diſputando

ſpectamus, non male ſimplex vel conjuncta appellatur. Et *ſimplicem quæſtionem* vocant, cum de re una quæritur, quid, quotuplex, qualis ſit &c. quod explicandum tantum eſt, ut ſimplicem ejus notionem habeamus & intellectum tantum. Ut cum quæritur, quid virtus, quid beatitudo ſit? *Quæſtionem conjunctam* dicunt, cum oratio tota proponitur, quæ non tam explicanda, ſecundum notiones ſimplices eſt, quam complexis confirmanda. Quia intellectus non ſufficit, verum facienda fides eſt.

III. *Quid eſt Thema* [1] *ſimplex? Quod ſine notionum complexione, ſive ſine affirmatione aut negatione apprehenditur, ut Socrates,* [2] *Diſputat, Reſpublica, Hircocervus.*

IV. *Quid* [1] *complexum? Quod apprehenditur duabus pluribusve notionibus, affirmatione aut negatione,* [3] *copulatis, ut Socrates diſputat, Ningit, Pluit, Itur, Statur.*

§. 1. Nimirum *Thema complexum* tantum eſt cogitatum, vel pronuntiatum quid, neque adeo extra cogitationem & enuntiationem exiſtentiam & veritatem habet. *Thema ſimplex* inſuper poteſt eſſe exiſtens quid, ſpectaturque adeo ut *Res*, ſicut complexum thema, ut *Veritas ſpectatur.* Ut cum dico, *duo & tria ſunt quinque, factum infectum fieri nequit*: dictum tantum & affirmatum eſt. Sed vero *ſol, luna, cælum, terra, domus, menſa* &c. res vere exiſtentes, præter & extra dictionem & cogitationem ſunt. *Chimæra, Hircocervus* & talia, quanquam non ſint, ut res exiſtentes ſpectantur tamen, quando cogitamus de iis. Quin dici poſſunt eſſe revera, ſi vel ſimplicia ſpectemus, ex quibus compoſita ſunt, vel per intellectus abſtractionem ſic formata corpora concipiamus, ut Mercurium in rudi ligno concipimus, in quo niſi eſſet, non poſſet educi ex eo. Ita vero *genus, ſpecies, differentia* aliæque abſtractæ Logicæ notiones, quas ſecundas vocant, etiam poſſunt ac debent, ut

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

ut res exiſtentes ſpectari. Et ſic quoque Themata ſimplicia ſunt, de quibus ipſa apud ſe Logica tractat: cum non tractet alia ulla. Hoc ſolum intereſt, ac in eo erramus facile, quod ſicut notiones iſtæ ſæpe una cum iis quæ res vere exiſtentes ſunt, nobis in mentem veniunt, ut cum *animal genus*, *homo* cogitatur *ſpecies* eſſe, vel *totum*, aut *pars* &c. ſic quoque videri poſſint quid diverſum à cogitatione eſſe ac pertinere ad res. Cum ſaltem modi cogitandi ſint, & in hoc uno poſitam habeant realitatem & exiſtentiam, qua ut Themata ſimplicia ſpectantur & tractantur in Logica.

§. 2. Autor verba primæ & ſecundæ perſonæ, ut diſputo, diſputas, pro thematibus complexis habet, quia *certum ac definitum, in iis ſubjectum ſubintelligitur, de quo pronuntiantur*: haud ita vero verba tertiæ perſonæ, *diſputat, quia nihil certi ſubintelligitur.* Quod non puto admittendum eſſe: primum quia non aliter in uno quam in altero videtur certa vel incerta perſona ſubintelligi. Deinde quia tam de incerta, quam de certa perſona affirmatio eſt. Proinde neque perſonalia verba certæ vel incertæ perſonæ, neque imperſonalia, quæ tantum incertæ perſonæ ſunt, themata ſimplicia faciunt, verum ea tantum quæ Grammatici *infinitiva* vocant, ut *diſputare.* Quæ logico & philoſophico ſenſu non tam verba quam nomina ſunt.

§. 3. Notandum quod apprehenſio complexi thematis neceſſario juncta non ſit cum copulatione, quæ affirmando vel negando fit. Quoties nempe, vel judicium ſuſpendimus, in neutram partem inclinando, quod in omni dubia quæſtione fit, ut *an terra moveatur*, *an luna habeat montes*, *an ſtellæ ſint numero pares aut impares*; vel ſecundum ſuppoſitionem aliquid conſideramus tantum, ut Aſtronomi in cælo circulos & orbes, in terra motum vel quietem ſupponunt. Et poſſumus hoc pacto etiam ea ſupponere,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

quæ credimus falſa eſſe: quod ad veritatem inveniendam ſæpe neceſſarium eſt. Quæ ſuppoſitio tum affirmatio non eſt, verum ejus quod forte poſſet affirmari vel negari, conſideratio. Ita tam complexum, quam ſimplex thema putamus ſpectari poſſe extra affirmationem vel negationem. Quod multi non advertunt ſatis. Hoc ſolum intereſt, quod thema ſimplex, neque ſit, neque poſſit eſſe affirmatum vel negatum, ſicut complexum thema ut vere complexum ſit, neceſſariò affirmatum vel negatum debet eſſe.

V. *Quotuplex eſt Thema ſimplex? Duplex, univerſale & ſingulare.*

VI. *Quid eſt Univerſale. Univerſale eſt, quod de* [1] *pluribus ſuapte* [2] *natura* [3] *prædicari aptum eſt; ut homo, equus, planta.*

§. 1. *Res* exiſtentes omnes ſingulares ſunt. Neque adeo datur univerſale *in eſſendo*. Ita homo in communi, vel communis aliqua natura hominis, quæ una in multis atque omnibus ſit, ut videtur univerſale eſſe, nullibi eſt, nec poteſt eſſe, verum petrus, paulus &c. in particulari tantum. Quorum natura una & communis non eſt. Præter res conſiderandus venit *Conceptus*, qui eſt communis & unus, quanquam res plures ſint; quatenus uno conceptu de multis cogitamus. Quod eſt univerſale eſſe *in repræſentando*. Denique etiam *Nomen* eſt ſpectandum, quatenus tam unum & plurium *commune* (grammatici *appellativum* vocant) quam *proprium* & multiplex eſſe poteſt Nomen. Quod eſt univerſale eſſe *in ſignificando*. Et ſic manifeſtum fit, univerſalia debere ſecundum nomina & conceptus ſpectari. Sique adeo non eſſet unum commune nomen, ſecundum unum communem conceptum impoſitum rebus, univerſale non eſſet. Quia à parte rei unum & commune quid non eſt, verum multa ſunt quæ ſeorſim exiſtunt, & non communicant eſſentiam inter ſe. Ita rem bene perpendenti manifeſtum fit, univerſale non eſſe quando res una ſingularis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

gularis in rerum natura eſt, puta homo, ſol unicus, aut unam novimus tantum rem; verum nos facere univerſale, quando cogitamus plures eſſe res, aut fuiſſe aliquando, vel poſſe eſſe, & ſecundum unam ſive ſimilem de pluribus cogitationem unum iis nomen imponimus. Qua ratione credibile ſit, prima nomina rerum ab initio ſingularium fuiſſe, quæ poſteà facta nomina univerſalium ſint, mutato proprio nomine in nomen commune. Ut nomen ſpeciei, quod eſt minus univerſale, ſic quoque in nomen generis mutatur. Proinde cum auctor in Inſtit. Logicis Theorem. VI. §. I. *Dicit Univerſale de pluribus prædicari, quæ vel actu exiſtunt, vel ſi non exiſtant, ſaltem exiſtere poſſunt*, ſupponendum eſt, quando rem unam novimus, plures actu exiſtere, aut ſaltem poſſe exiſtere, alicui in mentem venire. Quia neque actualis, neque poſſibilis exiſtentia plurium rerum, ſed noſtra de his pluribus cogitatio univerſale facit, quatenus uno & communi nomine & conceptu utimur, quo non mutatur natura rei quæ ſingularis eſt. Et cum pergit, *ſic homo erat univerſale ſolo Adamo exiſtente, quia non de ſolo Adamo ſed de omnibus hominibus naſcituris homo ſuapte natura prædicari aptus erat. Sic quamvis ſol revera ſit unicus, dici tamen poteſt univerſale, quia plures ſoles effici poſſunt, ejuſdem cum hoc noſtro ſole eſſentiæ*, Iterum ſupponi debet, plures homines & ſoles naſcituros, vel eſſe natos, tum alicui de his loquenti in mentem veniſſe. Ut jam nobis debet in mentem venire eſſe plures homines, & poſſe plures ſoles eſſe, (ut forte ſunt revera) ſi hoc nomen futurum verè univerſale ſit. Quod ſi vero id in mentem alicui non venerit, neque Homo, ſolo Adamo exiſtente ab initio fuit, neque Sol jam eſt univerſale, verum ſingulare, aptum prædicari de uno tantum, ut revera erat unus homo, & unum proprium nomen ejus, & jam

ſupponitur unus ſol eſſe, atque hoc proprium illius nomen eſt. In eo erramus ſolum, quod ſicut cogitantibus nobis, eſſe aut poſſe eſſe plures homines aut plures ſoles, hoc ipſo unus & communis conceptus, atque unum & commune nomen ſit, ita una & communis videatur natura eſſe apta de pluribus prædicari, ſive ſint plura atque cogitentur eſſe, ſive non ſint & non cogitentur; eo quod ſemper eadem res ſit, ſicut idem nomen & conceptus eſt. Quod manifeſtum ſophiſma eſt de genere eorum quod Logici fallaciam accidentis vocant. Non enim per ſe & ſecundum ſuam naturam Res ulla unquam eſt vel ſit apta de pluribus prædicari, nec vere ſemper eadem eſt, verum ex accidente ita videtur nobis. Quatenus ea quæ nomini & conceptui accidunt, accidere rebus videntur. Quia una cum iis quæ propria rerum & vere in rebus ſunt, in mentem veniunt, ea quæ propria nominis & conceptus, verè in rebus non ſunt. Juxta illud Ariſtotelis 1. Elench. cap. 1. *Cum non liceat res ipſas per ſe in diſſerendo adferre, ſed nominibus vice rerum utamur, tanquam notis, id quod in nominibns evenit etiam in rebus putamus evenire: quemadmodum in calculis accidit, iis qui rationes ſubducunt.*

§. 2. Patet ex dictis, Univerſale *prædicari natura ſua aptum eſſe* πεφυκέναι, *quod* ad *nomen* quidem, *uſu loquendi*, quo unius nominis plurium communis facta ſignificatio eſt, quæ primum propria erat; & *quod ad conceptum, modo conſiderandi*, qui primo etiam proprius & ſingularis, poſtea plurium communis factus eſt. Atque hic communis conſiderandi modus ſub uno conceptu, non invenitur in nomine ambiguo, quod hac de cauſa ſuapte natura dici nequit de pluribus prædicari, & ab univerſali diſtinguitur. Ut errent, qui putant, in univerſali extra nomen & conceptum, unam & communem naturam eſſe, quæ in rebus

bus ſit. Sicut Scaliger Exerc. 307. ſ. 22. *Res ergo ſunt univerſales, quarum natura eſt ut poſſint de multis prædicari: ſi* πέφυκε, *habent hoc* ἀπὸ τῆς φύσεως, *non autem ab intellectu.* Quaſi rerum natura etiam in nomine & conceptu non ſpectetur, vel Ariſtoteles, cujus hæc verba ſunt, aliter ſpectet naturam. Et quaſi nomina ſecundum ſe, ab inſtituto, conceptus, à modo conſiderandi, etiam non habeant naturam ſuam: quam hoc pacto cum natura rerum confundimus, Sophiſmate illo de quo mox dictum fuit, quod fallaciam accidentis vocant.

§. 3. Si aptitudo *prædicandi* tantum quoad nomina & conceptus eſt, qui dicit *Hoc eſt Hoc*, ut in Prædicando facimus, ſecundum conceptum ſuum aliquod rei nomen imponit: ſive ipſe excogitaverit, ut factum ab initio fuit, ſive ab alio acceperit illud. Atque id experiri licet in pueris, qui quæſtionem Quid eſt, vix intelligunt aliter. Sic vero omnia nomina ab initio debuerunt rerum ſingularium & ſenſibilium fuiſſe, quæ præſentes ſunt & monſtrari poſſunt. Poſtea verò, ubi multas videmus ſimiles res, quarum communis & unus conceptus eſt, nomen quod prius proprium & ſingulare erat, fit commune & univerſale. Atque id etiam optime pueri nos docent, quia non ut nos facimus, uſum loquendi, qui jam receptus atque ipſis ignotus eſt, ſed naturam ſequuntur. Hinc enim fit, quod viros omnes patres, mulieres matres vocent; nomina, quæ prius propria erant, ſui patris ac ſuæ matris, communia faciendo & appellativa, plurium aliorum hominum, quos vident patri vel matri ſimiles eſſe. Quia verò ex hac communi appellatione confuſio oriretur, quatenus alia aliorum hominum, quam patris & matris, alia hujus in ſingulari patris ac matris, quam aliorum conſideratio eſt, ac debet eſſe: facta fuit multiplicatio nominum, ut fuerunt

con-

conceptus multiplicati. Atque ita pueri nomina quæ prius ut propria, ac poſtea etiam ut communia ſpectabant, reſtringere diſcunt, nominibus *pater*, *mater*, ſuos tantum parentes intelligendo: atque advertere incipiunt, ſaltem plures alios aliorum parentes eſſe, qui etiam hoc nomine poſſint compellari. Quin eſſe qui ſic patres & matres non vocentur, ſed viri & mulieres tantum. Et his iterum unum & commune nomen hominis eſſe: quod etiam ipſis atque omnibus aliis pueris conveniat, ſecundum ſimilitudinem quandam. Ut homo iterum ſimilis cæteris animantibus, videtur quoad ſenſum & motum, quin plantis, quatenus in iis vita ſine ſenſu & motu eſt, quam etiam homo habet. Atque inde nomina *Animalis* & *Viventis* ſunt. Hæc omnia vero ac infinita alia, quæ tali pacto commune nomen oppoſitum viventibus non habent, adhuc alio nomine *Corpora* appellantur, quod commune omnium eſt. Ut jam non dicam de nominibus *Subſtantia*, *Res*, *Ens*, ut Philoſophi loquuntur, quæ adhuc magis plurium communia ſunt. Quatenus nomen generale ſubſtantiæ etiam ea comprehendit, quæ corpora non ſunt, Rei ſive Entis, ea quæ ſeorſim ne ſubſiſtunt quidem, verum ad res ſubſiſtentes quocunque modo referuntur tantum. Atque ea iterum infinita ſunt, ac habent nomina infinita, quæ omnia ſub ſe complectitur unum Accidentis nomen. Quæ cum ita ſint, *Socratem* dicere *hominem eſſe*, *& animal*, *& vivens*, *& corpus*, *& ſubſtantiam*, uti Plato etiam hæc omnia eſt, & Bucephalus ſaltem animal & vivens, & corpus, & ſubſtantia eſt, quanquam homo non ſit: Aliud nihil erit, quam præter unum proprium nomen, quod in ſingulis diverſum eſt, ipſis tribuere plurima nomina, quæ in ſingulis diverſa non ſunt, quia unus & communis conceptus eſt, cui una communis ſignifica-

ficatio reſpondet,tam locum in uno quam in alio inveniens. Sic vero in *Socrate vel Platone* ſeorſim quidem natura hominis, animalis, viventis, corporis & ſubſtantiæ unum ſunt: ſed idcirco in *Socrate & Platone* iſta non ſunt unum. Neque adeo in beſtia & homine, animalis, in animali & planta, viventis, in vivente & non vivente, corporis, in corpore & anima, ſubſtantiæ ulla natura eſt, quæ à parte rei una & communis ſit. Verum quoad conceptum tantum, in talibus unus & communis conſiderandi modus, quoad nomen, una & communis nominum ſignificatio eſt reſpondens conceptui. Ut concludere liceat, quando univerſale etiam definitur ab Ariſt. *quod ſuapte natura aptum eſt pluribus ineſſe*, ſicut in altera definitione dicebatur *aptum prædicari*, non rem in re, ſed conceptum in conceptu, nomen in nomine eſſe. Sic ſolum unum in multis eſt, & prædicatur de multis. Quanquam nobis videatur aliter, quia conceptu repræſentantur, nomine ſignificantur res, & ſic ambo vice rerum ſunt. De quo errore ſub finem §. 1. diximus.

VII. *Quid eſt ſingulare? Quod de [1] uno tantum ſuapte natura prædicari aptum eſt: ut Alexander, Bucephalus, hæc Pyrus.*

§. 1. Quatenus nempe unius rei ſingularis, unum proprium nomen & proprius conceptus eſt. Tumque adeo res ipſa, ut videtur præſens eſſe, ſecundum proprium conceptum, quo in ſenſu eſt, loco ſubjecti, nomen prædicatum eſt. Et vel digito monſtratur tantum, dicendo *Ecce Petrus, ecce homo, equus*, quæ tum etiam nomina ſingularium ſunt, vel pronomine demonſtrativo deſignatur, dicendo, *Ille Petrus, Hoc pomum eſt*. Ita manifeſtum fit, etiam tria ſpectanda & accurate diſtinguenda in ſingularibus eſſe, *rem, nomen & conceptum*. Et ut in univerſali nomen de re ſecundum communem, ita in ſingularibus nomen de re ſe-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

cundum proprium conceptum prædicatur. Ita ſit, ut in Univerſali, quando prædicatur, minimum duo nomina, & duo conceptus ſint, ac poſſint quoque plures res eſſe, quando de pluribus prædicatur. Cum in ſingulari, quando prædicatur, hæc tria tantum atque unica ſint, unum nomen, unus conceptus, res una. Atque ideo cum ſingularia de uno prædicantur, videtur tantum impoſitio nominis eſſe, vel identica enuntiatio. At cum univerſale prædicatur, quanquam revera imponatur nomen, commune & appellativum, atque idem de ſe ipſo dicatur, ut certe Petrus ille idem homo qui ipſe, & hoc illi nomen eſt; videtur plus eſſe, atque aliud adhuc. Quia Homo alius conſiderandi modus, & aliud nomen quam Petrus eſt: quanquam non ſit res alia. Atque hinc diximus nomen in nomine, conceptum in conceptu eſſe, quando univerſale pluribus, vel uni ineſſe cogitamus. Quod ſic dici nequit de ſingulari, ubi ſicut eſt una res, ita ſpectatur à nobis, uno conſiderandi modo, qui proprius & ſingularis eſt, rei præſentis & ſecundum ſpeciem apparentis, unde accepit nomen ſuum. Sic videmur in ſingularibus ***Res ut ſunt*** cognoſcere. Et univerſalia advertimus quidem eſſe ***Res, quæ ſunt***, ſed non ut ſunt; quatenus ad nomen & conceptum rei exiſtentis quam conſideramus, nomen & conceptus de modo conſiderandi accedit. Ita vero univerſalia veritatem & realitatem quidem habent, à parte rei quam conſideramus, at hic modus conſiderandi ſecundum ſe ſpectatus, in nomine & conceptu eſt: ab his demum univerſale accipit formam ſuam, cum formæ ſingularium extra nomina & conceptus videantur in rebus eſſe, & ſuo modo vere ſint in rebus.

VIII. *Quomodo vocantur ſingularia?* *Individua.*

IX. *Quare?* *Quia dividi non poſſunt in plura ejuſdem nominis ac naturæ.*

naturæ. Alexander enim dividi non [1] *poteſt in plures Alexandros, nec Bucephalus in plures Bucephalos. At homo dividi* [2] *poteſt in plures homines, puta in Socratem & Platonem; & equus in plures equos, puta in Bucephalum & Cyllarum &c.*

§. 1. Imprimis *Alexander*, homo ille ſingularis, *una res* eſt indiviſa atque indiviſibilis *in exiſtendo:* & hoc ipſo quod una tantum ſit res, non eſt nec poteſt multiplex eſſe vel dividi in plures Alexandros. Etiam eſt hoc unum & proprium nomen, indiviſum & indiviſibile *in ſignificando.* Uti quoque unus & proprius atque adeo indiviſibilis conceptus *in repræſentando* eſt. Neque adeo cum dico *Alexander*, ſive nomen, ſive rem, ſive conceptum ſpectes, quicquam reliquum ſit, quo hoc totum *ſingulare* dici non poſſit *individuum.*

§. 2. *Homo* eo modo quo *Alexander*, *Res* una in ſe indiviſa non eſt, verum multiplex: & hanc multitudinem in unum quaſi collectam unus & communis *Conceptus* repræſentat, unumque & commune *Nomen* ſignificat, tali pacto, ut in unitate iterum poſſit multitudo & diviſio ſpectari. Quæ hoc pacto non tam rei, in exiſtendo, quam nominis in ſignificando, & conceptus in repræſentando diviſio ſive diſtinctio eſt. Cum hac nominis & conceptus diſtinctione videri poteſt diſtinctio ſive diviſio facta à parte rei eſſe; ac ſi natura humana communis & una inter omnes homines diſtributa ſit, qua ſint & dicantur homines; errore illo, quem diximus fallaciam accidentis eſſe, *quando id quod in nominibus evenit, etiam putamus in rebus evenire, quemadmodum in calculis accidit*, inquit Ariſtoteles.

X. *Quotuplicia ſunt individua? Duplicia,* [1] *determinata & vaga.*

XI. *Quot modis* [2] *determinantur Individua? Quatuor modis: Nomine proprio, ut Plato, Socrates, Bucephalus, Melampus. Nomine communi ſive appellativo, quod per excellentiam ſumitur pro proprio, ut*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

Philoſophus pro Ariſtotele, Orator pro Cicerone. Pronomine demonſtrativo, ut Hic, Ille homo. Periphraſi, ut Apoſtolus gentium, id eſt, Paulus.

XII. *Quid eſt individuum vagum? Quod effertur pronomine incertæ partis, ut aliquis, quidam homo.*

§. 1. Ex hac duplici conſideratione Individuorum ſive ſingularium perſpicue intelligimus; ea etiam non tam à parte rei ut ſunt, quam quoad nomina & conceptus ſpectari. Nam res ipſas quod attinet, individua omnia *determinata* ſunt, ſingulari ſive propria natura ſua. Neque adeo ullum à parte rei *individuum vagum* poteſt eſſe. Nos vero *vagum* appellamus & ut indeterminatum ſpectamus *individuum*, quando quoad nos incertum & ignotum eſt, nomine & propria forma ſua, quæ proprium conceptum facit, cui nomen accommodatum eſt. Ita vero etiam dupliciter poſſumus ac debemus univerſalia ſpectare, indeterminatè, quæ *indifinita* vocant, ut Homo, vel determinatè, ut Omnis Homo. Ubi vox *omnis*, ut ſignum ſive nota eſt, quæ determinat ac definit acceptionem univerſalem. Prorſus ut quatuor modi, quibus autor dicit individua determinari, tot quaſi notæ ſunt, quibus determinatur acceptio ſingularis.

§. 2. Patet ex dictis hanc non tam determinationem individui à parte rei eſſe, quam illius deſignationem, quoad nomina & conceptum. Quam deſignationem facere poſſumus tribus potiſſimum modis 1. Pronomine demonſtrativo. 2. Nomine proprio. 3. Inſigni qualitate, qua unum præ aliis excellit & notum eſt. Intelligitur vero & ſignificatur iſta excellens qualitas, vel nomine uno communi per excellentiam ſumpto, vel periphraſi nominibus diverſis. *Res ipſa* ſi ſpectetur, individuum dici poteſt tres *conditiones* habere, quas in ſcholis *individuantes* vocant, *Hoc*, *Hic*,

Hic, *Nunc*: præeunte Ariſtotele 1. Poſt. Anal. cap. 31. Pronomen *hoc* propriam individui notat qualitatem, ſive formam & ſpeciem, qua cognoſcitur & demonſtratur; *Hic* loci, *Nunc* temporis ſingularem circumſtantiam ſignificat. Ita omne individuum, tam natura ſua, quam noſtro conſiderandi modo determinatum eſt. Univerſale noſtro modo conſiderandi abſtrahit ab iis, atque eſſe intelligitur, *ſemper, & ubique non hoc aliquid*, inquit Ariſtoteles.

CAPUT III.

Quæſt. I. *Quæ ſunt ſpectanda in Themate ſimplici? Primo Categoriæ & Affectiones, [1] quæ ex variarerum habitudine ad ſe invicem, & modo quo intellectus eas concipit atque inter ſeſe comparat, oriuntur: Deinde interpretatio & affectiones, quas intellectus vocabulis affingit ex modo conceptus ſuos interpretandi.*

Quæſt. II. *Quid eſt Categoria? Categoria eſt ſeries [1] rerum ſub eodem ſummo genere gradatim diſpoſitarum.*

Quæſt. III. *Quot ſunt Categoriæ? Decem: Subſtantia, Quantitas, Qualitas, Relatio, Actio, Paſſio, Ubi, Quando, Situs, Habitus.*

§. 1. Recte advertunt Logici, *Affectiones Thematum ſimplicium*, ut ſunt *genus*, *ſpecies*, *cauſa*, *effectus*, *ſubjectum*, &c. rebus non convenire per ſe & natura ſua, verum quatenus intellectui noſtro objiciuntur. Atque ideo dicit author, *quæ ex rerum habitudine ad ſe invicem & modo quo intellectus eas concipit atque inter ſeſe comparat, oriuntur.* Ut non tam modi eſſendi *in rebus*, quam modi conſiderandi, in noſtra *de rebus* dictione & cogitatione ſint. Vulgo *notiones ſecundas* vocant, quarum nomina non tam ſignificant exiſtens, quam cogitatum quid. Res ipſas quod attinet, eas quantum ſatis eſt & ſummatim putant in Categoriis tractari. Quæ idcirco pro primis notionibus habentur, quibus res ut ſunt cognoſcimus. Et hoc pacto Categoria dicitur eſſe *ſeries rerum*, &c. Ab hoc errore ſe

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

conatus eſt expedire auctor noſter, primum obſcure in Logicâ, deinde clarius in Metaphyſica. Quando imprimis animadvertit obiter, Logicam in Categoriis non ſpectare modum τοῦ εἶναι *eſſendi*, verum σχῆμα τῆς κατηγορίας *modum prædicandi*: atque eo pacto Ariſtotelem ſumma genera ſpectaſſe manifeſtum eſt, ſicut fere aliud nihil in particularibus ſpectavit. Quo poſito, neceſſe non eſt, tot eſſe ſumma genera τῶν ὄντων, eorum quæ ſunt, quot dici & cogitari poſſunt τῶν κατηγορουμένων, eorum quæ prædicantur: verum plura poſſunt vel pauciora eſſe. Nam unum prædicatur vel dicitur de altero, ſecundum ſpeciem in ſenſu & modum conſiderandi in intellectu. Ab his impoſita rebus nomina ſunt, non ab ipſomet, qui in rebus eſt, modo eſſendi. Ita fit, ut videatur ab una parte in rebus ea ipſa multiplicatio & diverſitas, vel ea unitas eſſe, quæ vel ſecundum ſpeciem in ſenſu, vel ſecundum modum conſiderandi in intellectu eſt. Quod ita primum in particularibus, & tum quoque in generalibus imaginamur, ad ſumma genera uſque. Qua ratione ſicut *ſubſtantia*, unum nomen eſt, ſecundum unum, quantum poteſt, conſiderandi modum, ita comprehendi hoc nomine una res videtur, puta una ſubſtantia communis in intellectuali & corporea natura, quæ toto genere diverſæ ſunt, & ſi res ipſa ſpectetur, neque poſſunt neque debent una notione conprehendi. Neque aliter unum nomen & conceptus unus Quantitatis & Qualitatatis eſt, quanquam, ſi rem ſpectemus, quantitates & qualitates inter ſe, haud ſecus atque ſubſtantiæ, quibus tribuuntur, toto genere diverſæ ſint: ut certe qualitas animi & corporis, quantitas molis, quæ in corpore, & virtutis, quæ in animo ſpectatur, res toto genere diverſæ ſunt, quanquam unum & commune nomen ſit. Hæc magna notionum & rerum confuſio eſt, propter ſuppoſitam unitatem

tem à parte rei, quia ſummorum generum in Categoriis unum commune nomen, & quantum poteſt, unus conceptus eſt. Et ut etiam unum vel alterum exemplum multiplicationis proponamus, *Subſtantia & Accidens*, quia nomine differunt & modo conſiderandi, videri poſſunt, & videntur communiter res toto genere diverſæ eſſe. Cum tamen poſſit una & ſimplex res diverſo conſiderandi modo, ſubſtantia vel accidens vocari, quatenus vel ut per ſe & ſeorſim, vel ut in alio exiſtens conſideratur, & ab una conſideratione ſubſtantiæ, ab altera accidentis nomen accipit. Ita enim communiter Logici corpus Mathematicum & Phyſicum diſtinguunt, & quanquam re idem ſint, unum ut accidens in prædicamento quantitatis, alterum ut ſubſtantiam ſpectant. Similiter poſſunt ipſa inter ſe accidentia diſtingui, ſecundum nomina & conceptus, quibus in Categoriis ſunt, quanquam ſi res ipſa ſpectetur, talis diſtinctio non ſit. Ita enim communiter *lumen & colorem* aliter diſtinguimus, quam à parte rei diſtinguuntur; quia alia ſpecie in ſenſu ſunt, & color in objecto, lumen in medio apparet, qui etiam alius modus conſiderandi eſt. Et ſecundum ſpeciem hanc & modum conſiderandi in Logica ut diverſæ ſpecies *qualitatum* ſpectantur, quas *patibiles* vocant, quæ ad ſubjecta diverſa referuntur, quanquam in ſubjecto uno & una compoſita qualitas ſint, quatenus color affectio tantum luminis eſt, in & cum lumine ſpectanda. Porro quia lumen & colores ea ſpecie qua in ſenſu ſunt & modo conſiderandi in intellectu, adhuc magis diverſa à motu videntur, quam inter ſe differunt, *motus* nequidem ut qualitas ſpectatur, videturque adeo à lumine & coloribus toto genere diverſus & in alio prædicamento eſſe, quanquam in re unum ſint. Et hoc pacto *calor*, *ſonus*, *odor* pluresque aliæ qualitates à parte rei nil niſi mo-

tus

tus ſunt, quæ tamen omnes qualitates in Categoriis ut toto genere diverſæ à motu ſpectantur. Verum hæc latius deducere, & ut poſſemus, per ſingula rerum genera ita diſtincte ob oculos ponere, quid vel à parte rei, vel tantum in nomine & conceptu ſit, hujus loci non eſt. Ea conſideratio etiam longe ſupra captum vulgaris Logicæ eſt, quam tractamus; quippe quæ tota rudibus & popularibus conceptibus ſuperſtructa, non tam nos in ipſarum rerum cognitione dirigit, quam nominum & notionum, ut a rebus, quantum fieri poteſt abſtractæ & ſejunctæ ſunt. Has notiones, hæc nomina tantum vulgaris Logica tractat, ſive ſumma genera rerum in Categoriis, ſive affectiones ſpectet.

Hanc veritatem per nebulam quidem vidit, attamen ſatis clare non animadvertit auctor noſter, quando res ut ſunt, ſecundum modum eſſendi putat poſſe ac debere, ſaltem in Metaphyſica ſpectari, ea nempe quæ hactenus tradita in ſcholis fuit. Ubi ſtatuit duo ſumma rerum genera, *Subſtantiam & Qualitatem*, cætera omnia putans vera rerum genera non eſſe. Sed vero hoc pacto ſaltem duo ſumma genera eadem in Metaphyſica & Logica erunt. Quid ni igitur cætera non poterunt eadem eſſe? vel ſi non ſunt, quia non differunt realiter & res non ſunt, verum denominationes, reſpectus, atque adeo nomina & conceptus tantum, ut auctor recte in Metaphyſica obſervat, par ratio Subſtantiæ & Qualitatis erit, quippe quæ tam nomina & conceptus ſunt, quam cæteræ Categoriæ. Atque id ſatis manifeſtum fit, ſi modo, ut in omnibus aliis poſſumus ac debemus Categoriis facere, propriam notionem ſubſtantiæ & qualitatis, ut notio ſummi generis atque adeo generalis conceptus eſt, ſeorſim ſpectemus, neque eam confundamus cum ipſiſmet rerum exiſtentium notionibus, quas includere & quibus applicari poſſunt. Ita enim, quod valde

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

valde notatu dignum eſt, notio ſubſtantiæ, ut de ea primum dicamus, videtur quidem rei exiſtentis eſſe, quando ex gr. homini, animali, ligno, lapidi, vel univerſim naturæ corporeæ applicatur. At ea veritas non in generali notione ſubſtantiæ ſpectatæ ſecundum abſtractionem, verum in notione particulari ſubſtantiæ corporeæ fundatur quatenus extenſa eſt, atque ea ſola extenſione intelligitur in rerum natura eſſe. Ita vero ſubſtantia ſpectata ſecundum modum eſſendi, quo res vere ſubſiſtens eſt, non eſt Logicæ conſiderationis. Quippe quæ generalem tantum notionem ſubſtantiæ ſpectat, & in particularibus non inquirit in ipſummet ſubſtantialem modum eſſendi, quo à parte rei res ſubſiſtentes ſunt, verum ea ſecundum ſpeciem in ſenſu, & modum conſiderandi in intellectu tantum ſpectat, quatenus in his ſolum modus prædicandi fundatur. Quanquam, ut jam dictum eſt, aliter nobis videri poſſit, quatenus ſpecies hæc & modus conſiderandi ipſammet ſimplicem & primitivam rei exiſtentis notionem involvunt, & ſic una cum ea mentem ſubeunt, ut pariter quoque videantur notiones rei exiſtentis eſſe. Ita fit, ut quamvis extenſio univerſim in omni corporea natura revera unus & ſimplex actus ſubſtantialis, & hæc una ſubſtantiæ in iis notio ſit, in particularibus videatur diverſa & multiplex ſubſtantia eſſe, quia diverſa & multiplex notio eſt. Quatenus id quod vere eſt unum & ſimplex, cum eo quod cogitatur (quod multiplex & valde compoſitum eſt) miſcemus, atque tam in uno quam in altero putamus modum eſſendi & ſubſiſtendi conſiſtere. Hoc eſt magnum illud ſophiſma, quo tot ſeculis deluſi Philoſophi ſunt, & quo factum eſt, ut ſicut ſumma genera, ita particularia videantur res exiſtentes eſſe, ſecundum eam notionem qua in Categoriis ſunt.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

Similiter *Qualitas* etiam videri poteſt notio rei exiſtentis eſſe, ſaltem ut in particularibus ſpectatur atque iis applicatur. Ut calorem dicere poſſumus motum eſſe, & in eo conſiſtere naturam qualitatis iſtius, cujus idcirco generalis notio in eo habeat veritatem ſuam. Sed vero hoc exemplo etiam manifeſtum fit, neque generalem qualitatis, neque ſpecialem caloris notionem (atque par ratio omnium aliarum qualitatum eſt quas patibiles vocant) rei exiſtentis eſſe, vel ſi ſit, id virtute eorum contingere ad quæ referri & quibus applicari poteſt. Proinde ut qui in notione ſubſtantiæ ad extenſionem vere exiſtentem non attendit, non novit ſubſtantiam, ut res vere exiſtens eſt, neque adeo id quod notioni ſubſtantiæ reſpondet, haſtenus res exiſtens eſt, niſi in cogitatione: ita qui ad motum non attendit, qui revera eſt calor, à parte rei calorem non novit, neque veram habet qualitatis notionem, ut res exiſtens in hoc particulari eſt, ſine quo non poteſt eſſe. Atque adeo quisquis ſine hac particulari notione ſe putat veram (veritate exiſtentiæ) caloris vel qualitatis in genere notionem habere, revera vel de paſſione & ſpecie in ſenſu, quam communi errore cum qualitate ſubjecti confundimus, vel de modo conſiderandi in intellectu tantum notionem habet. Et ab hac ſpecie potiſſimum facta denominatio in nomine caloris eſt, nihil aliud ſignificans, quam ita ſe habere, ex gr. ignem ad nos, ut eo nos poſſit ſenſu afficere, quem tum experimur in nobis. Quæ rerum ad nos tantum σχέσις ſive habitudo eſt, extra intellectum exiſtentiam non habens. Ita vero nos poſſe etiam quocunque alio ſenſu affici & experiri paſſionem in eo, univerſim conſiderare, notio qualitatis patibilis in genere eſt. Quia generalis denominatio & habitudo ad ſenſum generalis eſt. Et ſic tandem ſummum genus in notione qualitatis adeo generale fit, ut

vix

vix quicquam amplius in eo reliquum ſit, quod intelligi poſſit; videturque adeo commune tantum nomen eſſe, cujus ſignificatio ambigua & applicatio arbitraria atque uſu tantum confirmata eſt. Et hæc omnia adeo manifeſta ſunt, ut neceſſe non ſit pluribus ea exemplis confirmare, in *Habitu*, *Potentia naturali*, *Figura & Forma*, quæ tres aliæ ſpecies qualitatum ſunt. Manifeſtum inquam eſt, ſi Habitus & Potentiæ propriam notionem ſpectes, qua communiter ſolent ſpectari & in prædicamento qualitatis ſunt, nomina hæc etiam nihil rei ſignificare, verum modos conſiderandi tantum, quibus non cognoſcimus id quod à parte rei habitum vel potentiam facit: ut vidimus communi conſiderandi modo ignotum eſſe, id quod calor in ſubjecto eſt, quanquam notus calor in ſenſu ſit. Et quanquam notionibus figuræ & formæ videatur plus rei ſubeſſe, ratione extenſionis, quæ vere aliquid rei eſt, in Logica tamen non tam ut ſunt à parte rei, quam ut apparent ſpectantur, ſecundum eam ſpeciem qua in ſenſu ſunt. Ut ſic ſolum communiter omnes homines, omnes rerum formas & figuras ſpectant: atque ideo forma, figura & ſpecies unum ſunt.

Ita jam porro haud difficulter oſtendi poteſt, quid rei ſit vel non ſit in notionibus omnium aliarum Categoriarum, ſive in iis ſumma genera ſpectemus, ut *Quantitas*, *Relatio*, *Actio*, *Paſſio*, *Ubi*, *Quando*, *Situs*, *Habitus*: ſive particularia, ut *ulna*, *hora*, *dies*, *pater*, *filius*, *generatio*, *corruptio*, *domi foris*, *hodie cras*, *ſedere ſtare*, *veſtitum*, *armatum eſſe*. Ubique enim obſervanda ea regula eſt, quam per exempla declaravimus in Subſtantia & Qualitate: *Propriam notionem ſummi generis, & particularium ſub illo, ut in Logica ſpectantur, confundi non debere cum iis quæ notio illa includere & quibus applicari*

poteſt: quæ poſſunt res exiſtentes eſſe, quamvis ſignificatum Logicæ notionis ſecundum ſe res exiſtens non ſit. Ita notio ulnæ extenſionem includit, quæ res exiſtens eſt. Sed eatenus ulna non eſt, quia inſuper requiritur, primum quidem certa determinatio extenſionis, deinde ea σχέσις ſive habitudo, qua ſic determinatum extenſum unum pro aliorum omnium menſura accipitur. Quod utrumque à cogitatione pendet. Ita etiam *numerus* eſt cogitatum quid, quamvis res exiſtentes ſint, quas numeramus. Porro is qui eſt Pater & qui eſt Filius, puta Philippus & Alexander, uterque res vere exiſtens eſt, & vere eſt in uno à parte rei, quo pater, in altero id quo filius factus eſt. Sed vero hinc non ſequitur, quod ipſa per ſe filii & patris ratio & propria forma eorum, ut ad ſe mutuo referuntur, vel in uno & altero ſeorſim, vel in iis conjunctim ſit. Præterea motus ille ex. gr. vere eſt, quo res agit vel patitur. Quod vero actio vel paſſio tribuatur rebus, externa denominatio eſt & modus conſiderandi, quo motus in fieri ſpectatur, atque movendo agere dicitur, id à quo, pati id in quo eſt. Adeo ut, ſi res diverſæ non ſint, una quæ agit, altera quæ patitur, unus atque idem actus etiam poſſit actio vel paſſio nominari, quatenus ita eſt in aliquo, quod afficitur & patitur hoc pacto, ut ſimul ſit ab eo & virtute ejus, quod agere eſt. Ita enim actus animi vere in animo atque etiam ab eo ſunt, quia actuoſus per eſſentiam & perpetuus quidam actus eſt. Et multi quoque tales actus videri poſſunt in corpore eſſe, non noſtro tantum, ſed aliis quoque, quando recte non formamus notionem corporis; ut motus vulgo naturales dicti, qui in prædicamento actionis, ut actiones immanentes ſpectantur, inſtar eorum actuum, qui in nobis propter animum vere immanentes ſunt. Quibus quid veri vel falſi ſubſit,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

Logicæ conſiderationis non eſt, quia res ut ſunt ſecundum verum intellectum non tractat, verum rebus ſepoſitis & ſepoſito vero intellectu rerum, quantum poſſunt ſeponi, hæc nomina atque hos conceptus juxta communem ſenſum Logica interpretatur tantum. Quod attinet denique quatuor ultima prædicamenta, in iis adhuc minor intellectus rerum eſt, quam in præcedentibus, quanquam etiam prorſus ſine eo non ſint. Atque ideo minor in iis difficultas eſt. Ita enim *Ubi*, ut cum dico *domi*, *foris*, nihil aliud quam loci, *Quando*, ut *cras*, *heri*, *hodie*, temporis circumſtantia eſt; & ſi quid in iis rei ſit, id ratione loci & temporis eſt. *Situs*, ut *ſedere*, *ſtare*, *jacere*, membrorum corporis noſtri certa inter ſe & aliorum reſpectu poſitio, atque ſic ſpectata habitudo eſt quæ videri poteſt. *Habitum* denique, ut *veſtitus*, *togatus*, *armatus*, nihil aliud quam σχέσιν & habitudinem eſſe, vel ex nomine manifeſtum fit. Et in his quoque nihil eſt quod dici poſſit ignotum eſſe.

CAPUT IV.

Quæſt. I. *Quid* [1] *eſt* [2] *ſuſtantia? Subſtantia eſt* [3] *res per ſe* [4] *ſubſiſtens & ſubſtans* [5] *accidentibus: ut ſpiritus* [6], *corpus*, *cœlum*, *ignis*, *aqua*, *lapis*, *arbor*, *equus*, *&c.*

§. 1. Ariſtoteles libro de Categoriis non ulla definitione explicat *quid ſubſtantia* ſit, verum uno & altero exemplo oſtendit tantum, quid hoc nomine univerſali in particularibus intelligamus. *Eorum* inquit, *quæ ſine omni conjunctione dicuntur, unumquodque aut ſubſtantiam ſignificat, aut quantum, aut quale &c. Eſt autem ſubſtantia, ut typo dicam, velut homo, equus, quantum, ut quod eſt duorum aut trium cubitorum, &c.* Ita vero omnia univerſalia communiter ex intuitu particularium cognoſcimus, atque id

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

tam de ſecundis, quam primis notionibus verum eſt. Uſque adeo ut non tantum hominis & animalis & viventis & corporis, ſed etiam ſubſtantiæ notio ita formetur primum. Neque alia ratio aliarum notionum eſt, quæ in Logica tractantur. Proinde ſicut res nulla, non homo, non equus, univerſim extra & ante particularia cognoſcitur, per notionem primam, ita neque poteſt univerſim aliquis modus conſiderandi cognoſci, per notionem ſecundam, ſi primum formatus de eo conceptus in particulari non ſit. Cumque ſimilem poſtea ſpectamus modum conſiderandi in alio particulari, una & communis conſideratio, atque ita univerſalis notio fit, quam in Logica tractamus, ut à rebus, quæ particulares ſunt, abſtracta eſſe, atque particularibus iterum poſſe applicari intelligitur. Atque hoc pacto Ariſt. docet nos formare ſubſtantiæ notionem, ex hominis & equi intuitu, quatenus hæ res per ſe ſpectatæ in particularibus ſunt.

§. 2. *Subſtantiæ* nomen, quatenus ad communem ſenſum & vulgarem intellectum accomodatum eſt, dici poteſt deſumptum eſſe, imprimis à verbo *ſtare*, quod ſignificat per ſe conſiſtere, ut videntur homines & animalia facere; deinde à præpoſitione *ſub*, ut ſignificet præterea alteri ſubjectum, ſive in eo & per illud alterum eſſe, quod ita per ſe non ſtat. Ea omnia, quæ tali ſpecie in ſenſu ſunt, vel ſic ſaltem conſiderantur ab intellectu, pro ſubſtantiis habentur. Quid in intellectu, vel ſenſu illo veri aut falſi ſit, quidque adeo à parte rei ſubſiſtat per ſe aut non ſubſiſtat, Logicæ conſiderationis non eſt, ut communiter in ſcholis tractatur.

§. 3. *Res*, vulgo τὸ ὄν, Ens. Quod nomen in Metaphyſica & Logica vulgari ita late accipitur, ut præter ea quæ vere ſunt extra ſenſum & intellectum (quæ ſola veteres τὰ ὄντα entia vocabant) ſignificet ea quæ tali pacto non ſunt, τὰ φαι-

νόμενα καὶ κατηγορούμενα. Quæ tria communi errore ſcholaſtici & Ariſtotelici confundunt, generalem notionem rei ſive entis ab iis abſtrahendo. Prorſus ut in communi ſermone adeo generalis acceptio hujus vocis eſt, ac debet eſſe; quandoquidem omnia ad uſum vitæ referentes, non tam res ipſas ut ſunt, quam ſpeciem in ſenſu, vel modum conſiderandi in intellectu ſpectamus, & vix unquam diſtinguimus hos adeo diverſos eſſendi ſive exiſtendi modos. Et hinc factum eſt ut categoriæ videantur notiones rerum eſſe, & ante omnia ſubſtantia idcirco ut notio rei exiſtentis ſpectatur, cum tantum notio τοῦ κατηγορουμένου ſit, quod in intellectu, ac τοῦ φαινομένου quod in ſenſu eſt.

§. 4. Ex dictis manifeſtum fit, ſubſtantiam dici poſſe *per ſe ſubſiſtere*, vel re ipſa, vel noſtro ſaltem conſiderandi modo, & an re ipſà per ſe ſubſiſtat quod ſubſtantiam nominamus, Logicæ conſiderationis non eſſe: quia res ut ſunt in ſe non tractat Logica. Ita fit ut nomen ſubſtantia, vel ſtricte poſſit ſumi pro eo quod vere eſt per ſe, vel late, pro eo quod per ſe ſaltem ſpectamus, non judicando, an ita revera ſit, an non ſit. Et hæc lata acceptio, non ſtricta (ut communi errore Logici putant) Logicæ conſiderationis eſt: ſecundum quam acceptionem multa alia nomina ſunt, quæ idem ſignificant, quibus Ariſtoteles promiſcue utitur, ut *Natura*, *Forma*, *Species*, *Ratio*, aliaque quæ omnia Ariſtoteli idem quod οὐσία ſunt. Ex vox οὐσία idcirco ſubſtantiam late acceptam ſignificans, vulgo *eſſentiam*, quæ ſaltem eſt per ſe cogitatum quid, ſive propria forma rei ſecundum cogitationem; male pro ſubſtantia ſtricte dicta accipitur, & hic magnus error fuit in Logica Scholarum.

Quod attinet ſubſtantiam ſtricte dictam, ut diſtincta ejus notio formetur, quod valde utile eſt, verba *per ſe ſubſiſtere* dici poſſunt duo ſignificare, primo *non eſſe in alio* ut ſub-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

ſubjecto, ut recte advertunt logici, ſecundo *non eſſe ab alio*, ut cauſa, quod ita non advertunt, quin aperte negant pertinere ad ſubſtantiæ notionem. Ita quod vere ſubſtantivum eſt in rebus nullam ſui cauſam in natura habebit, neque procreantem, neque conſervantem. Dico *in natura*, quatenus res omnes creatæ ſaltem à Deo pendent, qui ſolus abſolute ab omni cauſa independens, atque ita prima & perfectiſſima ſubſtantia eſt. Qua dependentia poſita, quia ſufficiens ad ſubſiſtendum eſt, ſubſtantiæ creatæ, ſecundum eſſe ſubſtantivum ab omni alia cauſa independentes ſunt. Debentque idcirco quando ſemel ſunt, ſemper eædem atque adeo ingenerabiles & incorruptibiles eſſe. Quod autem veritatem hanc, quæ certe magni momenti eſt, communiter non advertant Logici & Philoſophi, aliquo modo factum eſt ex errore grammatico, quatenus ſubſtantiva nomina corporum particularium, ut *lignum*, *lapis*, videntur puras putas, hoc eſt, ſtricte dictas ſubſtantias ſignificare, cum ſignificent ſubſtantias una cum accidentibus & formis ſuis. Quæ formæ in ipſis, ut ſunt ratio nominis ſubſtantivi, quia ratio per ſe ſpectatæ eſſentiæ ſunt, ita videntur ratio proprie & ſtricte dictæ ſubſtantiæ eſſe, quæ vere ſubſiſtens per ſe cauſam non habet. Manifeſto errore, quia ratio ſubſtantiæ ſtrictè dictæ in corporibus una tantum & communis omnium eſt, quam debemus in materia ſpectare; quæ ſemper eadem atque adeo ingenerabilis & incorruptibilis exiſtens non habet cauſam in natura. Neque corpora indigent alia ſubſtantia præter materiam, ut ſimpliciter ſint ſive ſubſiſtant, verum tantum alia forma & qualitate indigent, ut talia ſint, qualia videntur & dicuntur eſſe, puta *ignis*, *aqua*, *lignum*, *lapis*, *culter*, *gladius*, *ſtatua*: Id quod in ipſis neque ingenerabile & incorruptibile, neque adeo ſine cauſa eſt, quatenus talia vel à natura vel ab arte facta

ſunt

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

ſunt ſecundum formam ſuam. Neque ulla in his difficultas eſſet, ſi modo, ut in arte factis, ita in naturalibus formæ notæ eſſent; & ſciremus, qua ratione factæ, & quid ſint: Sicut ſcimus arte formas motu produci, qui aliud nihil quam figuram in materia facit. Nam hoc ſolum intereſt, quod in natura motus permanens ſit, etiam poſtquam res motu facta eſt, ut motus cum figura faciat formam corporis naturalis, cum in arte factis figura ſpectetur ſine motu. Et quiſquis ita advertit, formas & qualitates omnes, figuras tantum & motus eſſe, quæ accidentia ſunt; haud difficulter porro advertit, in quo tandem conſiſtat illud eſſe ſubſtantiale, quo materia ſaltem res per ſe ſubſiſtens eſt. Quatenus perſpicue intelligimus per ſe ſubſiſtere materiam, ratione quantitatis ſive extenſionis, & hanc eſſe eſſentiam ejus, quæ neque in alio ſit neque ab alio in natura. Et ſic una ſaltem ratio proprie dictæ ſubſtantiæ inventa fuit, quæ docere nos poſſit, quid ſit *per ſe ſubſiſtere*, à parte rei & in particularibus: quod non poſſumus unquam ex generali & logica notione intelligere, quæ à rebus abſtracta eſt.

§. 5. *Subſtare accidentibus* ex communi interpretatione eſt accidentibus *ſubjectum* eſſe, ut vulgo loquuntur, *inhæſionis*. Quatenus accidentia, cum per ſe non ſint, videntur in alio & per aliud eſſe. Ita vero ſubſtantia pariter quoque ſit ſubjectum *prædicationis* ſive *denominationis*. Quatenus ea quæ inſunt, dici & affirmari poſſunt de eo cui inſunt, atque etiam communicare illi nomen ſuum. Et hactenus quidem, ut inhærentia, ita denominatio intrinſeca ſpectatur. Hanc Logici communiter in omni accidente ſpectant: alii ſaltem in quantitate & qualitate. Atque hi omnium aliorum accidentium reſpectu ſubſtantiam putant ſubjectum tantum denominationis eſſe, quam vocant extrinſecam: quatenus propria nomina aliorum accidentium impoſita

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

ſunt ad ſignificandas rerum σχέσεις habitudines inter ſe, quæ non intrinſecum quid in rebus ipſis, ſed earum reſpectu aliquid extrinſecum ſunt. Quanquam per errorem videri poſſint eſſe quid intrinſecum, quando de rebus affirmantur, atque in iis habent fundamentum aliquod. De quo errore plura ſuperius diximus, & ſæpius dicendum nobis erit: quia ubique recurrit in Logica, & per omnem ſe ſcholarum Philoſophiam diffundit.

Sic diſtinguendo inter ſubjectum inhæſionis & externæ denominationis, nonnulli putant ſe omnem difficultatem ſuperaſſe, & clare expoſuiſſe, qua ratione ſubſtantia, quæ per ſe ſubſiſtit, ſubſtare accidentibus dicatur, quæ ita per ſe non ſubſiſtunt. Sed vero multæ & magnæ difficultates ſuperſunt, quas ne attingunt quidem. Ut imprimis quæ propria forma ſive realitas accidentis ſit, quod dicitur in ſubſtantia eſſe? an idem cum ſubſtantia, an ab ea diverſum & quæ ratio diverſitatis ſit, quando eſt diverſum? quidque adeo ineſſe ſive inhærere à parte accidentis, quid ſubſtare à parte ſubſtantiæ ſit? Et hæc difficultas præcipue circa accidentia eſt primi generis, quæ non male dicuntur ineſſe ſubſtantiæ de qua affirmantur. Altera difficultas circa omnia alia accidentia eſt, quæ ita non inſunt. De quibus etiam quæri poteſt, in quo poſitam habeant ſuam realitatem, & ad quod debeant ſubjectum referri? quando in illo ſubjecto non ſunt, quod ab iis denominatur. Sunt enim certe aliquid. Sique adeo neque per ſe, quia non ſunt ſubſtantiæ, neque in iis ipſis ſubſtantiis, ſive ſubjectis ſunt, de quibus affirmantur, videntur ſaltem in alia debere ſubſtantia eſſe atque in alieno ſubjecto habere exiſtentiam & realitatem ſuam. Quia perſpicue intelligimus, id quod per ſe non eſt, ut tamen ſit, debere in alio eſſe, quod tandem eſt per ſe, atque adeo in ſubſtantia quacunque alia, quando in

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

in una non eſt. Et quo pacto demum id quod ita in ſubjecto aliquo non eſt, nihilominus de eo affirmetur, etiam ſatis difficile intellectu eſt, ac facile errorem parit: quatenus ſubjectum externæ denominationis, ita videri poteſt ſubjectum inhæſionis eſſe.

Has difficultates ut ſuperemus, & quantum præſens inſtitutum permittit, in clara luce ponamus ſubſtantiæ notionem, quatenus dicitur *accidentibus ſubſtare:* imprimis notari velim, nomine accidentium, quæ vere in ſubſtantia ſunt, ut ſubjecto inhæſionis, tantum poſſe duo intelligi, primo unum & ſimplex *eſſentiale attributum*, quod ſubſtantiam conſtituit, deinde *Modos*, quibus aliter atque aliter habet ſe. Et notandum præterea, omnia alia accidentia, etiam ad duo poſſe genera revocari: quatenus quæ in ſubjecto non ſunt, & de eo tamen dicuntur ſive affirmantur, ut aliqua ratio dictionis & affirmationis ſit, ſic ſaltem *ſecundum ſpeciem in ſenſu*, vel *modum conſiderandi in intellectu* ſunt, ut videantur in rebus ipſis eſſe. Atque ita *accidentia* primi generis poſſumus *vera & realia* appellare, quatenus vere in ſubſtantia ſunt, de qua dicuntur. Quod ſic dici nequit de accidentibus ſecundi generis, quæ idcirco ratione ſubjecti, de quo dicuntur, vera & realia non ſunt.

Quibus ita animadverſis, perſpicuum fit, propriam formam ſive realitatem accidentis, poſſe à parte rei eandem cum forma & realitate ſubſtantiæ eſſe, cui ineſſe cogitatur, quando nimirum *Attributum eſſentiale* eſt: & poſſe quoque propriam formam accidentis à ſubſtantia aliquo modo diverſam eſſe, quando eſt Modus. Ideoque ſicut forma ſubſtantiæ, ut vidimus, ex generalibus verbis illis, *per ſe ſubſiſtere, non eſſe in alio* &c. intelligi non poteſt: ita neque forma veri accidentis intelligitur, ex eo quod dicatur *ineſſe*, vel ut eſſentiale attributum, vel ut modus. Verum hæc

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

omnia & ſingula intelligenda ſunt ex intuitu particularium. Proinde ut notionem accidentis formemus, in quantum eſt primum & *eſſentiale attributum ſubſtantiæ*, cui ante omnia ſubſtare ſubſtantia intelligitur, & ſine quo neque ipſa, neque ullum accidens intelligi poteſt: repetenda tantum eſt notio quantitatis ſive extenſionis, ut eſt eſſentiale attributum corporeæ ſubſtantiæ, quam communiter materiam vocamus. Et perſpicue intelligimus, eam non aliter ineſſe materiæ ac de ea affirmari, quam quia per omnia idem cum ſubjecto eſt, de quo affirmatur. Juxta illud Ariſt. 1. Poſter. Anal. cap. 22. ***Quæ ſignificant* οὐσίαν, *ſignificant id cui attribuuntur nihil aliud eſſe quam illud ipſum quod attribuitur, aut partem ejus.*** Ubi notari tantum velim Ariſtotelem per οὐσίαν quamlibet eſſentiam intelligere, quæ ſubſtantia latè ſumpta eſt, de qua initio §. 4. diximus. Quatenus ut eorum omnium quæ ſunt, non conſiderando an per ſe, an in alio ſint, ſua qualiscumque eſſentia, ita eſſentiale aliquod attributum eſt, quod de iis affirmari poteſt, quia conſtituens eſſentiam, idem cum ſubjecto eſt. Sicut ἀνομία & peccatum, linea & longitudo, ſuperficies & latitudo, idem ſunt, & ſecundum identitatem hanc, unum alteri ineſſe ac de eo prædicari intelligitur, dicendo peccatum ἀνομία, linea longitudo, ſuperficies latitudo eſt. Neque aliter in corpore ſimul longitudo, latitudo & craſſities eſt, quæ vulgo quantitas trinæ dimenſionis dicitur, quam idcirco diximus ipſammet corporis eſſentiam eſſe, quam non poſſumus diſtinguere â ſubſtantia quæ res per ſe ſubſiſtens eſt. Cum longitudo & latitudo ſeorſim, eſſentiæ quidem, non autem ſubſtantiæ ſtricte dictæ ſint. Atque hæc *ſimplicia* ſunt, quæ ſingula per ſe, quatenus uno nomine & conceptu comprehenduntur, ***ſignificant id cui attribuuntur nihil aliud eſſe, quam illud ipſum cui attribuuntur.*** Addit vero Ariſt. ***aut***

partem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

partem ejus, propter compoſita, quæ tali pacto uno nomine & conceptu non comprehendimus, ſed pluribus: ſive reipſa ſint plura, ut *extenſio & cogitatio*, omniaque in homine amimæ & corporis accidentia; ſive ut plura ſpectentur, ſicut in corpore communiter ſubſtantiam & quantitatem, in linea quantitatem & longitudinem ſpectamus. Atque in his id cui attribuuntur talia, non unum vel alterum ſeorſim, ſed plura cogitatur conjunctim eſſe, quando totam volumus eſſentiam ſive ſubſtantiam ſignificare, quæ *nihil aliud ſit*. Et unum vel alterum eſſentiale attributum ſeorſim, quando nihilominus tribuitur iis, ut ſi corpus dicam ſubſtantiam, lineam quantitatem, hominem intelligentem eſſe, ut pars tribuitur, quam toti ineſſe, atque ideo de illo affirmari cogitamus. Quæ affirmatio hoc pacto, partim in unione & compoſitione, partim in identitate fundata eſt. Atque tum verum non eſt, quod ſubjectum *nihil aliud* ſit &c. Eſt enim certe adhuc aliud, vel reipſa, quando realis diſtinctio eſt, vel ſaltem cogitatione, hoc eſt nomine & conceptu, quando realis diſtinctio non eſt. Sed de his, quæ certe magni momenti in logicis ſunt, quanquam neglecta hactenus, plura dicendi locus alibi erit.

Hactenus *accidentia* quibus ſubſtantia ſubſtare dicitur, quæque adeo inſunt ſubſtantiæ, *eſſentialia attributa* fuerunt. Quorum ineſſe, & ſubſtare à parte ſubſtantiæ idcirco in identitate conſiſtit. Quod ex particularium intuitu manifeſtum fecimus. Similiter *quid ſint Modi*, & quo pacto *ſubſtantiæ ineſſe*, & ſubſtantia iis *ſubſtare* dicatur, ut *ſubjectum inhæſionis*, etiam non tam ex generali deſcriptione, qua modus dici poſſet aliquid ſubſtantiæ, vel illius proprie dictum accidens eſſe, cujus eſſe inhærere eſt &c. quam ex particularibus debet intelligi. Atque ea particularia jam porro poſſumus in notione corporis invenire, quatenus ita

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

extenſum ſecundum ſubſtantiam eſt, ut hoc vel illo modo formatum & figuratum ſit, puta quadratum, rotundum: atque hæ formæ & figuræ proprie dicta accidentia ſunt. In quo nihil obſcurum vel ignotum eſt, ſive ſubjectæ extenſionis, quæ figurarum & formarum omnium in corpore communis eſt, ſive propriam cujusque figuræ & formæ notionem atque inhærentiam ſpectes; quam clare intelligimus hic quoque poſitam in aliqua identitate eſſe; quatenus figuræ & formæ omnes corporeæ tali pacto in quantitate ſive extenſione ſunt, ut viciſſim quantitas ſive extenſio in ipſis ſit. Hoc ſolum intereſt, quo poſſumus modos ut accidentia, ab eſſentiali & inſeparabili attributo ſubſtantiæ diſtinguere: quod non ſic in omni quantitate hæc vel illa figura & forma ſit, ſicut in figura & forma quantitas eſt. Atque ideo de corpore univerſaliter & reciproce quantitas ſive extenſio affirmatur, dicendo, omne corpus extenſum ſive quantum, & omne extenſum corpus eſt. Suntque iſta per omnia idem. Cum omne quadratum vel rotundum corpus atque ideo extenſum quidem, non contra neceſſe ſit corpus extenſum omne, quadratum vel rotundum eſſe. Quia per omnia idem non ſunt, ſed ex parte ſaltem, quatenus hæ figuræ includunt & ſupponunt ſubſtantiam corpoream, quæ poſita in extenſione eſt, & non poteſt abeſſe ab iis; non contra hæc ſubſtantia ponit vel ſupponit figuras iſtas, quæ poſſunt abeſſe. Et ſic demum perſpicue intelligimus, primum qua ratione accidens, ut modus eſt, ſecundum propriam formam, qua abeſt & adeſt, non quidem ipſa ſubſtantia ſit, ſicut attributum eſſentiale, & tamen dici poſſit *aliquid ſubſtantiæ* eſſe, & *inhærentia actualis* in ſubſtantia hic quoque de eſſentia accidentis ſit.

Conſequens eſt, ut jam porro de cæteris accidentibus dicamus quæ ita vere in ſubjecto non ſunt id quod dicuntur

& co-

& cogitantur eſſe. Et imprimis manifeſtum eſt, ea debere idcirco in ſubjecto alio & in alia ſubſtantia eſſe. Quæ alia ſubſtantia, quando non eſt corporea ſeu materialis, neceſſario debet eſſe incorporea ſive intellectualis: ut in nobis anima eſt. Et ut aliquanto diſtinctius intelligamus, quo pacto infinita hoc pacto *dicantur de ſubjecto, quæ in ſubjecto non ſunt:* ſeorſim explicandum eſt, quomodo id primum quidem ratione ſenſus, ac deinde etiam ratione intellectus contingat. Et perſpicue videbimus, accidentia multa aliud nihil quam modos ſentiendi vel intelligendi in nobis eſſe, quos per errorem objectis tribuimus; quatenus una cum veris formis eorum in cogitatione ſunt. Quia ea eſt natura ſenſus & intellectus, ut rem nullam, qualis ipſa eſt in ſe, nude percipiat, ſecundum propriam formam ejus, quin de ſuo admiſceat aliquid. Atque id putat in rebus eſſe, quando hæc non diſtinguit ſatis, ut communiter non tam diſtingui, quam paſſim confundi ſolent. Quæ confuſio parum quidem (quod notandum) in uſu vitæ & communi ſermone, at multum in Philoſophia nocet.

Senſum quod attinet, eo videmur vel noſtri corporis, vel corporum aliorum qualitates percipere, quando revera eas non percipimus. Quatenus non ea tantum quæ verè ſunt id quod videntur vel dicuntur eſſe, verum etiam ea quæ ita vere non ſunt, afficiunt nos, & ab his quoque rebus nomina imponimus. Ex. gr. tam noſtrum corpus, quam aliud quodcunque vere extenſum, figuratum & motum eſt: ideoque extenſio, figura & motus vera accidentia ſunt, quæ dici poſſunt in noſtro & quocunque corpore alio eſſe, & quando in iis ſunt, pertinere ad ſubſtantiam eorum. At non ſic in noſtro corpore dolor vel calor, non in corpore ullo alio eſt. Neque alia ratio eſt luminis & colorum, item ſoni, odoris, ſaporis, & ſic porro omnium aliorum: quate-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

nus in iis ſenſus, ab eo quod videmur ſentire, diverſus non eſt, nec dicere poſſumus quid rei ſit, quod ſentimus, quia revera non ſentimus, nec ſenſu percipimus quicquam, præter ſenſum, quem experimur in nobis; quod manifeſtum in dolore eſt. Quæ ſi ita ſint, vera affirmatio non eſt, pes dolet, vel ignis calet, aut ſol lucet, quando de ſubjecto inhæſionis intelligitur. Sicut vera de iis affirmatio magnitudinis, figuræ aut motus eſt. Verum de ſubjecto inhæſionis loquendo, logico ſenſu, quo ineſſe eſt pertinere ad ſubſtantiam rei: dolor, calor, lumen, & ſic porro alia quæ ſentimus, ad animam pertinent. Quia corpus ratione ſubſtantiæ ſuæ non magis ſentiens, quam intelligens, vel vivens & animatum eſt. Quanquam propter præſentiam & unionem animæ, ut vivens & animatum, ita quoque ſentiens dicatur, videamurque adeo in eo & per illud habere hos ſenſus. Eo fere modo, quo civitas à civibus, hoſpitium ab hoſpite dicitur, & quæ civium ac hoſpitis propria ſunt, civitati & hoſpitio tribuimus. Quæ manifeſta denominatio externa eſt. Notandum ſolummodo, ſicut corpora alia animæ reſpectu, magis externa & à nobis aliena ſunt, quam noſtrum, cui intime anima unita eſt; ita denominationem magis extrinſecam eſſe, quando à ſenſu in nobis, puta luminis & colorum, qualitatem corporibus tribuimus, quæ ſunt extra nos, quam quando eam tribuimus noſtro corpori, ut in doloris & quandoque etiam caloris aut frigoris ſenſu. Ut ergo corpus noſtrum dolere vel calere, ideo tantum cum veritate affirmamus, quia ſaltem in illo ita animus afficitur: ita ignem calidum & ſolem lucidum eſſe, verum eſt, quatenus ſaltem ab illo afficimur ita, non in illo. Sique adeo in noſtro corpore, quatenus ab anima diverſum eſt, calor ut in ſenſu eſt, revera non ſit, ſicut in eo dolor non eſt, multo minus calor in igne erit, in quo etiam dolor non eſt,

quan-

quanquam tam nos doloris quam caloris ſenſu afficit. Et quando per errorem tamen ita videtur eſſe ignis calidus, ac ſi caloris, ut in ſenſu eſt, ſubjectum foret; perſpicue ſequitur, inhærentiam hanc non poſſe ſecundum identitatem vel incluſionem eſſentiæ intelligi, verum adferre realem diſtinctionem. Sicut accidens unius ſubjecti, in quo vere exiſtens aliquid ſubſtantiæ eſt, non poteſt aliter à ſubjecto alio diſtingui, ubi aliquid ſubſtantiæ non eſt. Quia ſuam poſt ſe trahens ſubſtantiam, quatenus ſine ea ut vidimus eſſe non poteſt, illius virtute cenſetur realiter diſtingui. Atque hæc illa adeo decantata in ſcholis prima & præcipua notio *Accidentis realis* atque etiam formæ ſubſtantialis eſt. Quâ poſita, neque ſubſtantiæ, neque accidentis ullam poſſumus veram notionem habere, neque adeo intelligere, quid per ſe ſubſiſtere, quid ſubſtare accidentibus ſit, vel ulla ratione explicare, in quo poſita ſit inhærentia accidentis.

Modos conſiderandi quod attinet, quos alterum diximus genus accidentium facere, quæ vere in ſubjecto non ſint de quo dicuntur: ex iis quæ de ſenſu diximus, manifeſtum fit, quo pacto etiam debeant ut qualitates animæ ſpectari, quando de ſubjecto inhæſionis quæſtio eſt. Et ut hoc etiam aliquanto diſtinctius, quantum præſens inſtitutum permittit, ob oculos ponamus; ſciendum eſt præter ideas rerum exiſtentium de quibus cogitamus, in nobis modos quoſdam cogitandi alios eſſe, qui ſecundum propriam formam ſuam rerum exiſtentium ideæ non ſunt, verum eas comitantur tantum, atque ideo per errorem ſæpe tanquam in rebus ſpectantur, ac de iis affirmantur, quia ab his quoque, rebus, nomina imponimus. Prorſus ut nomina rebus impoſita ſunt à modis ſentiendi, atque hos etiam de objectis affirmamus, quia veras eorum ideas co-

mitantur. Quod non poteſt aliter verum eſſe quam ſecundum externam, ut vidimus, denominationem, quatenus imponimus nomina rebus, quia ſic afficimur ab iis, quamquam affectio in ipſis non ſit, ſed in nobis tantum. Et hoc pacto denominatio externa etiam poteſt deſumpta à modo conſiderandi ſecundum intellectum eſſe. Hoc ſolum intereſt, quod modi conſiderandi ita à natura determinati non ſint, ut quidem modi ſentiendi: quia à voluntate pendent, quæ indeterminata & aliquo modo infinita eſt, ſicut appetitus communiter infinitus dicitur. Atque ideo videri poteſt major difficultas in modis conſiderandi in intellectu, quam ſenſu & modis ſentiendi eſſe. Quia ſenſus facile advertimus, vel internos, vel externos, & hos tantum quinque eſſe, atque ideo tot diverſis modis animæ accidentia, vel noſtro corpori, vel corporibus aliis tribui. Qui unus & ſimplex error eſt. At in iis qui à voluntate pendent modis conſiderandi, tanta diverſitas eſt, ut non videantur poſſe, nec debere ad ullum certum numerum revocari. Neque id mea opinione expedit etiam.

Ideoque jam ſummatim indicamus tantum, ne nihil prorſus dicamus, ubi dici omnia non poſſunt, imprimis huc ſpectare omnes *notiones logicas & metaphyſicas*, quatenus ut ſumma genera, & affectiones rerum ſpectantur. Cum revera aliud nihil quam valde generales modi conſiderandi ſint, quantum fieri poteſt, abſtracti à rebus & particulari intellectu rerum. Nam hinc ſolum rebus omnibus applicari poſſunt, ac de omni rerum genere affirmari. Quia revera in ſubjecto non ſunt, de quo dicuntur, atque ideo de natura unius præ alio non participant: ſicut vera & realia accidentia ſunt in certo ſubjecto tantum, atque ita participant de natura illius, ut non poſſint in alio eſſe, neque cum veritate de alio affirmari. Hæc una claſſis mo-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

dorum conſiderandi eſto in generalibus, quæ infinita ſunt. Claſſis altera conſtitui *in particularibus* poteſt. Quæ non ſic in Metaphyſica & Logica, verum in omnibus aliis ſcientiis tractantur. Ut ſi dicam, corpus, in quantum res per ſe ſubſiſtens ſua mole ſive quantitate eſt, diviſibile, mobile, impenetrabile, ingenerabile atque incorruptibile eſſe. Quæ juxta cum rebus infinita quidem, attamen magis determinata ſunt, quatenus natura rerum, in qua fundamentum habent, determinata eſt. Atque ideo cum ipſiſmet rerum exiſtentium ideis ſic ſæpe cohærent in intellectu noſtro, ut videantur eſſe proprietates vel accidentia rerum extra intellectum. Claſſis tertia conſtitui poteſt ad certa quædam genera revocando omnes in nobis cogitandi modos, quatenus ab iis nomina imponimus rebus quæ ſunt extra nos. Atque ita ſpectanda imprimis eſt *Compoſitio vel Diviſio* in intellectu. Quatenus vel plura ut unum conjunctim, vel unum ut plura ſeorſim concipimus. Et vel ab hac unitate iis quæ multa ſunt, nomen unum, vel à multitudine, iis, quæ unum ſunt, nomina multa imponimus. Sicut *cubus*, *globus*, *triangulum*, *circulus*, *punctum*, *linea*, *ſuperficies*, *corpus*, multa nomina ſunt, ſecundum diviſionem factam in intellectu, quanquam quantitas continua, in qua hæc omnia ſunt, ut objectum geometriæ eſt, res una ſit. Et contra, quamquam corporum omnium, ut objectum phyſicæ ſunt, una & continua quantitas à parte rei non ſit, ita tamen conſiderari poteſt, & ab hac conſideratione *nomen ſpatium* accipit. Modus alius conſiderandi in intellectu, dici poteſt poſitus eſſe in *comparatione*, ſive unius rei ad aliam relatione. Quæ non ſine manifeſto errore videtur aliquid intrinſecum in rebus, vel quicquam à parte rei in ſubjecto eſſe. Quia relatio nihil aliud quam reſpectus, & reſpectus reſpicientis, non earum rerum eſt, quas reſpicit, & con-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

cipit cum reſpectu. Poſt intellectum, quo res vel abſolute, vel comparate ita apprehendimus tantum, certo quodam modo qui in rebus non eſt, *Affirmatio & Negatio* ſequitur, quatenus in aſſenſu poſita, plus quam apprehenſio eſt; & huc etiam referri debet *Dubitatio*, ut aliud nihil quam ſuſpenſio aſſenſus eſt. Ac denique ut breves ſimus, pertinent huc omnes *Voluntatis actus*, quibus circa bonum & malum verſamur, proſequendo, fugiendo, &c. quod experimur, nos facere cum vel ſine affectu, qui etiam multiplex eſt. A quibus omnibus, ut infinitas formas habent, ita infinita rebus nomina imponimus, ut *certum*, *incertum*, *verum*, *falſum*, *probabile*, *neceſſarium*, *contingens*, *malum*, *bonum*, *gratum*, *ingratum*, *noxium*, *utile*, *perfectum*, *imperfectum*, *habitus*, *privatio* &c. Quæ omnia ut priora quæ recenſuimus, quando ſignificare videntur formas & qualitates rerum atque de iis affirmantur, ut ſubjecto inhæſionis, manifeſtum fit, tot diverſis modis animæ accidentia poſſe corporibus tribui. Et par ratio formarum eſt. Quæ idcirco altera poteſt notio accidentis realis & formæ ſubſtantialis eſſe, ad intellectum referenda, ut prior petita à ſenſu erat. Qua poſita non intelligimus, quid per ſe ſubſiſtere vel ſubſtare accidentibus ſit, & in quo poſita ſit inhærentia accidentis. Et nihil horum idcirco, quantum ſcimus, in Logica vulgari intellectum vel unquam recte explicatum in tota Philoſophia eſt, quam ſuperſtruunt logicæ, verum error ubique confirmatus tantum.

§. 6. *Spiritus & corpus*, quæ hic primo loco pro exemplis allegantur, dici poſſunt duo nomina propriè dictæ & puræ ſubſtantiæ eſſe. Quatenus duos tantum per ſe ſubſiſtendi modos, atque adeo duas ſubſtantias intelligimus: unam quæ ſecundum extenſionem res per ſe ſubſiſtens eſt, & *Corpus* vocatur, altera quæ ſecundum cogitationem, & di-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

& dicitur *Spiritus*, vulgo, *mens*, *animus*, *ratio*, *intellectus*, *intelligentia*. Et ſic quoque dici poſſunt duæ formæ verè ſubſtantiales eſſe, in natura rerum per ſe ſubſiſtentes, atque adeo permanentes; quod non faciunt formæ quæ accidentia ſunt, quibus permanens ſubſtantia variabilis eſt. Et dico hanc ſignificationem tribui *poſſe* his nominibus, quia ex ſe ipſis, ſi uſum tantum ſermonis ſpectes, non quidem habent, & tamen præ aliis apta ſunt, ut accipiant eam. Nam alia omnia nomina, ut quæ ſequuntur, *cœlum*, *ignis*, *aqua*, *lapis*, *arbor*, *equus*, eſſe formarum & accidentium nomina manifeſtum eſt. Aut ſi mavis, ſunt hæc nomina ſubſtantiæ una cum formis & accidentibus, ſine quibus eam quoque nude & ſimpliciter poſſumus ſub generali notione corporis ſpectare. In qua notione ſubſtantiæ invenienda, quamquam ea quæ exiſtunt particularia corpora, *cœlum*, *ignis*, *aqua &c.* puræ ſubſtantiæ non ſint, tanta difficultas non eſt, quanta videtur communiter: ſi modo vera & realia accidentia ab iis quæ vera & realia non ſunt, diſtinguamus, & unumquodque referamus ad proprium ſubjectum ſuum. Ita enim perſpicue intelligemus verum accidens ratione ſubjecti ſui, ſemper aliquam notionem ſubſtantiæ involvere, quia vel eſſentiale attributum, vel modus ſubſtantiæ eſt. Quo poſito quiſquis vel unum tale accidens novit, ut novimus de omnibus & ſingulis corporibus, ſi modo de magnitudine aut figura cogitemus, aut univerſim de quantitate ſive extenſione: noviſſe ſubſtantiam debet. Neque adeo in hac cognitione vitrum lambimus cum vulpe & pultem non attingimus, ut communis non ſine errore querela eſt. Niſi accidens & ſubſtantiam, inſtar vitri & pultis, ſupponamus res diverſas & ſeparabiles eſſe, quarum una cognoſci per alteram non poteſt, cum debeat res una per alteram cognoſci, quando res diverſæ & ſeparabiles non ſunt. Et

ſic demum communiter recte dicimus & intelligimus quoque ſubſtantias per accidentia cognoſci. Atque nomina à formis & accidentibus impoſita, ſi modo vera accidentia & veræ rerum formæ ſint, etiam recte dicuntur nomina ſubſtantiæ eſſe, ut quæ ab auctore allegata nomina particularium corporum ſunt, *cælum*, *ignis*, *aqua*, *lapis*, *arbor*. Sed male concluditur inde, tam in his corporibus formam quam materiam rem ſubſiſtentem eſſe, tam accidens quam ſubſtantiam, ſuam per ſe realitatem habere, ut ſuum per ſe nomen habet. Quo in errore opinionem de accidentibus realibus & formis ſubſtantialibus habere fundamentum ſuum, ſic ſatis puto manifeſtum eſſe. Notari tantum velim, quam hic magnus abuſus Logicæ ſit, non aliunde quam ex malo notionum logicarum intellectu ortus. Ut neceſſario eſt malus intellectus omnium notionum logicarum & generalis abuſus totius Logicæ, quando ſecundum eas abſolutam & intrinſecam, ut in rebus eſt, veritatem ſpectamus, & harum rerum putamus ſumma genera in Categoriis exhiberi. Qui error non tam veterum, quam recentiorum, non omnium ſed plurimorum Logicorum fuit.

Quæſtio II. Quid eſt per ſe ſubſiſtere? Non eſſe in alio ut in ſubjecto. Hac enim ratione diſtinguitur ſubſtantia ab accidentibus, utpote quæ ſemper alicui ſubjecto inhærent, quorum adeo eſſe nihil aliud eſt quam ineſſe.

§. 1. Vix occurrit quicquam in hac quæſtione de quo dictum non ſit in commentario ad definitionem ſubſtantiæ. Ubi oſtendimus *ſubjectum* aliud inhæſionis, aliud externæ denominationis eſſe. Et loquendo de *ſubjecto inhæſionis* accidens dici *ineſſe & inhærere* ſubſtantiæ, quatenus à parte rei vel conſtituit, vel includit eam: quia vel ipſum eſſentiale attributum, vel modus ſubſtantiæ eſt. Atque id quia non aliter poteſt quam ex particularibus intelligi, exemplo quan-

quantitatis & figuræ in ſubſtantia corporea manifeſtum fecimus: quæ idcirco vera & quantum poſſunt realia diximus accidentia eſſe. Ita porro manifeſtum fit, quo pacto horum accidentium *eſſe nihil aliud ſit quam ineſſe.* Quia nempe ſic à parte rei aliquid ſubſtantiæ & vere in ſubſtantia ſunt, ut conceptu & nomine, quod adjectivum eſt, referantur ad ſubſtantiam, dicendo corpus extenſum, motum & figuratum eſt. Sicut ſine ea relatione, nomine & conceptu ſubſtantivo, ea ipſa quoque non ut accidentia in alio & ad aliud, verum ut eſſentiæ per ſe ſpectantur. Quam vidimus notionem ſubſtantiæ late ſumptæ eſſe, quæ idem quod eſſentia eſt; ſive ſimplex, ut ſi in abſtracto dicam extenſio, figura, motus, quæ nomina formæ ſunt per ſe ſpectatæ; ſive compoſita, ut globus, cubus, aqua, ignis, quæ nomina materiæ ſic formatæ ſunt.

Loquendo autem de *ſubjecto denominationis*, accidens ſic dici non poteſt *ineſſe & inhærere*, ut à parte rei conſtituat vel includat ſubſtantiam. Verum ea inhærentia à parte rei nulla cum ſit, tota intelligenda ſecundum cogitationem eſt, quatenus ad notionem ſubjecti, ut notio rei exiſtentis eſt (ſicut vidimus notionem corporis ratione quantitatis eſſe) ſpecies in ſenſu & modi conſiderandi in intellectu accedunt: quæ ut tantum ſunt cogitatum quid, ita ſecundum cogitationem in ſubjecto ſunt & dicuntur de ſubjecto, quod una cum iis in cogitatione eſt, ut calor de igne, dulcedo de melle &c. Atque id adeo verum eſt, ut vix alium ineſſendi & de ſubjecto aliquid dicendi modum communiter ſpectemus, & vix alius in communi ſermone poſſit ſpectari: quia hinc ſolum nomina rebus impoſita ſunt. Atque ideo ſubjectum veræ inhæſionis, vel denominationis tantum, communiter quoque ita non diſtinguunt Logici. Neque advertunt omne accidens de ſubjecto dici, quate-

nus

nus notio accidentis ad notionem ſubjecti in cogitatione accedit; atque ideo ineſſendi modum poſſe duplicem eſſe, quatenus quædam accidentia tam à parte rei quam ſecundum cogitationem, alia ſecundum cogitationem tantum in ſubjecto ſunt, & ab his ſolum denominatur, ab illis vere informatur ſubjectum. Verum hos duos adeo diverſos ineſſendi modos confundunt, univerſim & ſine diſtinctione affirmantes, *accidens in ſubjecto eſſe*. Cum ſi ullibi, hic imprimis debeat locum habere regula communis, *Multa dici de ſubjecto quæ non ſunt in ſubjecto*, eo ipſo ſcilicet de quo dicuntur ſecundum nomina & conceptus noſtros, quanquam à parte rei forte in ſubjecto alio ſint, quod ignotum eſt

Quæſtio III. Quid eſt eſſe in ſubjecto? Eſſe in ſubjecto dicitur, quod cum [1] in alio ſit, non ut [2] pars, non poteſt tamen exiſtere [3] ſeparatum ab eo in quo eſt.

§. 1. *In alio* ἔν τινι *in aliquo*, inquit Ariſt. ſignificans ſubjectum abſolute & per ſe nomine ſubſtantivo, accidens relate ad illud nomine adjectivo ſignificari. Et ſic ſaltem nomine & conceptu ἄλλο ϗ ἄλλο aliud atque aliud ſunt. Qua ratione autem ſint revera aliud, vel non ſint, logicæ conſiderationis non eſt. Nos oſtendimus imprimis accidens modo idem per omnia cum ſubjecto eſſe, quando eſſentiale attributum eſt, modo idem ex parte, quando eſt modus includens eſſentiam. Atque hoc eſt eſſe ſubjectum inhæſionis, quod proinde non poteſt eſſe *aliud* tota ſubſtantia ſua ab eo quod ineſt: quia ineſſe hoc pacto eſt pertinere ad ſubſtantiam rei, atque in ea eſſe aliquid ſubſtantiæ. Communi errore vero accidens & ſubſtantia ſive ſubjectum videntur per omnia aliud atque aliud, & ut loquuntur toto genere diverſa eſſe. Quia non tam intrinſeca & vera accidentia relate ad ſubjectum inhæſionis, quam extrinſeca & non vera ſpectamus, relate ad ſubjectum deno-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

nominationis. De quo errore plura diximus §. 5. ad definitionem ſubſtantiæ.

§. 2. *Non ut pars:* hæc ſecunda conditio non requiritur in notione accidentis, ut ſubſtantiæ, verum ut eſſentiæ opponitur. Et vel hinc manifeſtum eſt, Ariſtotelem notionem ſubſtantiæ ita late accipere, ut idem quod eſſentia ſit. Huic paſſim oppoſuit accidentis notionem. Quid vero ſit eſſentia vel non ſit, ſecundum Ariſtotelem & communem ſenſum etiam à nomine & conceptu ſive modo conſiderandi pendet. Et par ratio accidentis eſt. Nimirum, quando id quod in aliquo eſt, ſpectatur ut pars aut forte totum quod eſt illud aliquid, in eo eſſentia eſt, quæ abeſſe nequit, quia conſtituit rem, ut rotunditas in globo, muſica in muſico. Quo ultimo exemplo Ariſtoteles utitur ad formandam notionem compoſiti ex materia & forma ſubſtantiali κατὰ τὴν ȣσίαν ut loquitur 1. Phyſ. cap. 7. Et tamen ibi quoque *materiam ſubjectum* vocat, & non alia aſſumit formæ exempla quam quæ accidentia ſunt, ut domus, ſtatuæ. Sed quando id quod in aliquo eſt ita non ſpectatur ut pars aut totum quod eſt illud aliquid, in eo non ut eſſentia, verum ut accidens eſt, quod abeſſe poteſt, ut rotunditas relate ad lignum quod rotundum, muſica relate ad hominem qui muſicus dicitur. Cumque adeò uterque hic modus ineſſendi, eſſentialis & accidentalis, non à parte rei determinatus ſit, verum à nomine & conceptu pendeat: tam de non veris, quam veris poteſt accidentibus intelligi. Hoc eſt tam ea quæ ſecundum externam denominationem, hoc eſt nomine & conceptu tantum dicuntur de ſubjecto, quam quæ verè ſunt in ſubjecto, tali pacto accidentia ſunt, ut poſſint quoque ad eſſentiam pertinere, & contra quæ ſic pertinent ad eſſentiam, iterum poſſunt pro accidentibus haberi. Prout nempe modus

conſiderandi diverſus eſt, & hinc diverſa nomina ſunt, ut eſt conceptus diverſus. Quatenus, vel primo ad ſubjectum, ut ſtans per ſe, nomine & conceptu ſubſtantivo, deinde ad accidens, nomine & conceptu adjectivo, ut ſi dicam *homo muſicus*; vel pariter ad utrumque uno nomine & conceptu ſubſtantivo attendimus, ut cum dico *muſicus* ſenſu ſubſtantivo, quo quid ut compoſitum ſpectatur, ut ex Ariſtotele notavimus. Atque hic ſenſus & conceptus ſubſtantivus in nominibus quæ tantum ſubſtantiva ſunt, ut *ſtatua*, *domus*, *globus*, *cubus*, manifeſtior eſt, quam in iis quæ modo ſubſtantiva modo adjectiva ſunt, ut *muſicus*, ubi ſenſus ambiguus eſt, ſicut ſenſus adjectivus è contra magis manifeſtus in iis eſt, quæ tantum adjectiva ſunt. Uſque adeo ut quandoque ſubſtantiva videantur ſenſum non poſſe habere adjectivum, ac ſi meræ ſubſtantiæ ſint, & adjectiva ſenſum non poſſe habere ſubſtantivum, ac ſi propria forma ſua ſemper & neceſſario accidentia ſint. Et prius in naturæ, poſterius in artis potiſſimum operibus contingit. Ob hoc unum fere quod in arte factis nota, in naturalibus ignota ratio formarum & accidentium ſit: quia in arte factis viſibilis & externa, in naturalibus inviſibilis ac potiſſimum interna eſt. Hinc enim ſubſtantivum in arte factis ſic facile reſolvimus in adjectivum, dicendo *globus corpus rotundum eſt*, ut videatur tantum eſſe adjectivum. Uti ex adverſo in naturalibus ita facile non reſolvimus ſubſtantivum in adjectivum, quia formæ quæ accedunt ad materiam, ita notæ non ſunt. Atque ideo in naturalibus ſubſtantialis, in artificialibus accidentalis videtur ex materia & forma compoſitio eſſe; cum utrobique eadem ratione & conſideratione dici poſſit ac debeat ſubſtantialis vel accidentalis, quatenus ratio diſtinctionis hujus, ſi uſum loquendi ſpectes, quem ſequutus

tus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

tus Ariſtoteles eſt, tota à nomine & conceptu pendet ſubſtantivo & adjectivo.

§. 3. *Separatum ab eo in quo eſt exiſtere non poſſe* dicitur quod in ſubjecto eſt, quia vel eſſentiale attributum eſt quod conſtituit, vel modus, qui includit eſſentiam: quod exemplo quantitatis & figuræ in corpore oſtendimus. Ita recte dicunt philoſophi *Accidens non poſſe exiſtere ſine ſubjecto.* Quod intelligendum eſt de ſubjecto inhæſionis, in quo accidens ita eſt, ut vere aliquid eſſentiæ ſive ſubſtantiæ ſit. Omnis difficultas vero atque omnis diſputatio inter philoſophos ex eo orta eſt, quod ſine diſtinctione de ſubjecto & accidentibus & inhærentia loquantur, ac ſi una & eadem eorum notio eſſet, quam oſtendimus longe diverſam eſſe. Quatenus multa dicuntur de ſubjecto ſecundum denominationem, quæ non ſunt in ſubjecto de quo dicuntur ſecundum inhærentiam, verum referri debent ad aliud ſubjectum. Ut oſtendimus dolorem, calorem, omnemque in nobis ſenſum ac intellectum ad animam pertinere ut ſubjectum inhæſionis, non ad ullas alias res quæ ſubjectum denominationis ſunt; quanquam per errorem ad eas videri poſſint pertinere, quatenus inde accipiunt nomina quædam. Quo fit, ut talia, quia ſecundum confuſam notionem hanc, participare de duplicis ſubjecti eſſentia videntur, reſpectu unius, in quo vere non ſunt, videantur poſſe ſeparatim exiſtere: ſicut revera exiſtunt ſeparatim in & cum ſubjecto inhæſionis, quod aliud quam ſubjectum denominationis eſt. Et quiſquis non advertit hoc ſubjectum inhæſionis animam eſſe, accidentia poſſe ſine ſubjeſto exiſtere, facile perſuadet ſibi: quia nempe ſine ſubjecto poſſunt denominationis eſſe, & ſubjectum inhæſionis ignotum eſt. Cumque ex adverſo ratio dictet accidens non poſſe tamen ſine omni ſubjecto eſſe, quia hæc notio ſubſtantiæ eſt,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

ea contradictio & notionum multiplex confuſio diſputationem parit, quæ non ſine errore eſt.

Ex eo quod accidens ut in ſubjecto eſt, non poſſit per ſe & ſeorſim exiſtere, philoſophi adhuc duas alias deducunt conditiones ejus: Una eſt, *Non poſſe migrare in aliud ſubjectum*, altera, *Non poſſe inhærere alteri accidenti.* Quorum veritas etiam manifeſta eſt, ſi modo recte diſtinguamus inter ſubjectum inhæſionis & denominationis, ac deinde id quod eſt in ſubjecto inhæſionis advertamus vel eſſentiale attributum, vel modum ſubjectæ eſſentiæ eſſe. Ita enim perſpicue intelligimus, imprimis accidens quod *eſſentiale attributum* eſt, ut longitudo in linea, latitudo in ſuperficie, craſſities in corpore, non poſſe relinquere ſubjectum ſuum, quia cum eo idem eſt, ut ubicumque accidens eſt, ibi ſubjectum ſit, nec proinde *migrare in ſubjectum aliud*, quia cum eo idem non eſt, neque fieri ulla ratione poteſt, ut unum cum duobus idem ſit, ut eſſet unum idem cum duobus, ſi eſſentiale attributum modo in uno, modo in alio ſubjecto eſſet. Similiter *accidens ut Modus* eſt, etiam relinquere non poteſt ſubjectum ſuum atque *in ſubjectum aliud migrare.* Quia hoc pacto ſuam per ſe realitatem haberet, quæ ſeparabilis à ſubjecto ſit, neque amplius eſſet modus. Et ſi ſuam per ſe realitatem non habeat, ſequitur perſpicue, non poſſe tale accidens in uno & altero ſubjecto eſſe, neque adeo migrare ex uno in alterum. Quia tam in uno quam in altero deberet aliquid ſubſtantiæ eſſe. Quod non minus abſurdum eſt, quam unam ſubſtantiam alteram eſſe. Atque hinc petenda ratio eſt, cur non poſſit figura vel motus è corpore in animam, vel ſenſus aut intellectus ex anima in corpus migrare. Quia nempe figura & motus aliquid corporeæ, ſenſus & intellectus aliquid incorporeæ ſubſtantiæ ſunt: & has ſub-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

ſtantias quæ diverſi generis ſunt, inter ſe permutari, atque unam alteram fieri neceſſe eſſet, ſi ſic permutari accidentia poſſent. Non etiam poteſt figura vel motus è corpore in corpus, vel ſenſus aut intellectus ex anima in animam tranſire, quanquam ſubjecta diverſi generis non ſint. Quia unumquodque tale accidens ita cum propria unius & ſingularis ſubjecti eſſentia cohæret atque ita pertinet ad eam, ut ſi ſubjectum aliud in eodem genere ſit, non unum atque idem, verum aliud debeat accidens eſſe. Hoc eſt motus alius & figura alia, quando eſt ſingulare corpus aliud: & ſic quoque alius ſenſus & intellectus, quando alia ſingularis anima eſt. Ut non poſſit unus homo magis habere ſenſum aut intellectum alterius, animo, quam figuram, vel motum alterius, corpore. Et ſic de cæteris accidentibus, ut modi ſunt.

Inhærentiam unius accidentis in alio quod attinet, de qua tantum diſputant philoſophi, ea ſecundum hanc doctrinam noſtram etiam manifeſtam abſurditatem involvit. Primum enim *accidens* quod forte *eſſentiale attributum* eſt, non poteſt *unum alteri ineſſe*, quia unum non eſt alterum, verum unumquodque per ſe & propria forma ſua ab alio diverſum eſt. Notandum ſolummodo, quædam attributa eſſentialia à parte rei per ſe eſſe & habere per omnia propriam formam ſuam, quatenus ſubjecto differunt, atque unum ab altero diverſum tota ſubſtantia eſt, ut ſi unum attributum ſpectemus quod in corpore, alterum quod in anima eſt, puta figuram & intellectum. Hæc non poſſe ulla ratione una aliis ineſſe, ex antedictis manifeſtum eſt, quia deberet quoque una ſubſtantia in alia eſſe, quæ ab iis inſeparabilis eſt. Alia attributa eſſentialia ſic à parte rei per ſe non ſunt, ut unum relate ad alterum dici poſſit per omnia propriam formam habere, quia conjuncta in uno ſubjecto

 ſunt,

ſunt, ut ſenſus & intellectus, quando ambo in anima ſpectantur, ut in ea ſunt revera, figura & motus in corpore. Atque hic aliquando videtur unum in alio eſſe, ut ſi rotundum vel quadratum moveri, longum vel latum dicam curvum vel rectum eſſe, aut ſi mavis lineam aut ſuperficiem curvam aut rectam. At revera non ſunt una in aliis; Primum quia unum ea conſideratione ſemper mutat conditionem ſuam & ſubjectum fit, & alterum quod illi ineſſe cogitatur, aliquando non amplius eſſentiale attributum ſed modus eſt. Ut ſi linea vel longitudo dicatur curva vel recta eſſe, linea & longitudo, quæ ſubjectum fit, atque adeo etiam longum nomine & conceptu ſubſtantivo, amplius accidens vel attibutum non eſt, & rectum atque curvum etiam non ut attributa eſſentialia, verum ut modi & accidentia ſpectantur, quia abeſſe poſſunt, cogitando lineam ſive longitudinem unam & eandem, modo rectam, modo curvam eſſe. Et quanquam forte alia conſideratione ille modus etiam ſpectari ut attributum eſſentiale poſſit, ut curvum in curva, rectum in recta linea, ne tum quidem attributum eſſentiale unum in altero erit: quia ut dictum eſt, alterum ſaltem ſubjectum fit. Deinde, quando ſepoſita conſideratione, qua ſic mutamus nomina & conceptus rerum, volumus res ipſas ſpectare ut ſunt, puta *curvum, rectum, quadratum, rotundum*, quatenus in natura rerum ſunt: perſpicuum fit ea omnia ad unum & commune debere ſubjectum referri, quod corpus eſt, ſic ſolum vere ſubſiſtens per ſe, ut in eo à parte rei & per illud omnia alia ſint, quæ per ſe ſpectantur & nominantur tantum. Quæ ſi recte perpendamus, porrò manifeſtum fit, *accidens ut modus eſt*, etiam ſimili alteri accidenti non ineſſe, & ne eſſentiali attributo quidem. Primum enim tam modus quam eſſentiale attributum mutat conditionem ſuam, & logica no-

tione

tione non amplius accidens eſt, quando ſubjectum fit. Deinde res ipſas ſi ſpectemus, tum ſaltem non poteſt modus ut accidens eſt, in alio modo ceu accidente eſſe, quando ad diverſas ſubſtantias pertinent. Quia unumquodque tale accidens ſeorſim exiſtit in & cum ſubſtantia ſua. Ideoque tam deberet ſubſtantia una in alia eſſe, quam accidens in accidente, ut amplius ſeorſim non ſubſiſterent. Puta tam corpus in anima, ut anima corporea ſit, & anima in corpore, ut corpus ſit animatum ſive animale, quam intellectus in figura, vel figura in intellectu: ac ſi figuratum, puta quadratum vel rotundum, pariter intelligens, & intelligens pariter poſſit figuratum eſſe. Quantum ad modos ut plura accidentia unius ſuſtantiæ ſunt, hi quatenus ſubjecto conveniunt, videri poſſunt inter ſe convenire atque una in aliis eſſe. Dicimus enim figuram rotundam & quadratam eſſe, moveri, quieſcere &c. lineam & longitudinem rectam, curvam &c. Sed ne ſic quidem accidens in accidente eſſe, res ipſas ſi ſpectemus, etiam manifeſtum eſt: tum quia accidens in accidente non eſt propria forma ſua, quæ alia in figura & motu, alia in ſenſu & intellectu eſt: tum quia, quando videtur nihilominus accidens in accidente eſſe forma ſua, ut curvum vel rectum, in linea, longitudine & longo, quadratum, rotundum &c. in figura; iſta ſimul & conjunctim in una & communi ſubſtantia à parte rei ſunt. Atque hæc ſubſtantia ſola per ſe tam curva, recta, quadrata, rotunda, quam figurata & longa eſt: quatenus eſſe quadratum vel rotundum cum figura, eſſe curvum vel rectum, cum longitudine à parte rei unum ſunt.

Quare ut in ſummam omnia contrahamus, & cauſam erroris ac perpetuæ diſputationis de iis quæ adeo manifeſta ſunt, breviter ob oculos ponamus: errant logici & philoſophi, primum quando non advertunt omne verum &

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

reale accidens, quod à parte rei in ſubſtantia ut ſubjecto eſt, vel eſſentiale attributum, vel modum ſubſtantiæ eſſe. Deinde prorſus non intelligunt præter hæc vera & realia accidentia, quæ pauca & valde ſimplicia ſunt, innumera alia eſſe, quæ ut à parte rei in ſubjecto non ſunt, ita non pertinent ad ſubſtantiam rei. Quæ idcirco non-vera & non-realia vocamus, non quod prorſus non & nuſquam ſint, ſed quod in ſubjecto de quo dicuntur non ſint. Denique error omnium maximus eſt, qui infinitos alios poſt ſe trahit, atque omnibus aliis admiſcet ſe, quod putent *ſubſtantiam*, *eſſentiam*, *ſubjectum*, *accidens*, *attributum*, *modum* & talia, ſingula per ſe habere determinatam & immobilem naturam ſuam. Neque adeò advertunt, ea ſic poſſe permutari inter ſe, ut unum aliud & oppoſitum fiat, puta accidens ſubjectum, & contra, quando mutato nomine & conceptu, alia & oppoſita comparatio ſive conſideratio eſt, qua ſola hæ logicæ notiones accipiunt nomen & formam ſuam.

Queſtio IV. Quotuplex [1] *eſt ſubſtantia? Duplex, Prima* [2] *& Secunda.*

§. 1. Omittitur hic diviſio ſubſtantiæ omnium præcipua & paſſim tradita ab Ariſtotele, in *Simplicem* & *Compoſitam*, quæ etiam male intellecta ab Ariſtotelicis eſt. Nimirum Ariſtoteles ſimplicem & compoſitam ſubſtantiam, non à parte rei, uti homo ex anima & corpore eſt compoſitus, ſed in nomine & conceptu ſpectat; ut ſimplicitas vel compoſitio non tam realis, quam notionalis ſit. Ita *ſubſtantia ſimplex*, ſignificatum nominis ſubſtantivi eſt, quando vel ſolam per ſe formam, vel ſine forma materiam ſignificat; *compoſita* ſignificatum nominis ſubſtantivi, utramque ſimul comprehendens, ut à parte rei unum ſunt. Sicut marmor ſtatuæ reſpectu ſubſtantia ſimplex eſt, & figura quoque per ſe ſpectata; ſtatua autem compoſita ex his,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

his, quatenus hoc nomen unius ſic formati corporis eſt. Item homo & muſica ſeorſim in muſico ſubſtantiæ ſimplices ſunt, muſicus compoſitus ex his. Neque aliter Ariſt. hominem non-muſicum ex homine & ἀμȣσίᾳ componit, eſſentiali ſive ſubſtantiali compoſitione, καθ᾽ αὑτὸ, κατ᾽ ȣσίαν, ut loquitur. Adeo ut partes componentes & compoſitio ex iis, λόγοι rationes ſive conſiderationes tantum ſint. Quatenus notio compoſiti reſolvitur in materiæ & formæ notionem quæ magis ſimplex eſt: atque ipſum compoſitum à parte rei ſic non poteſt reſolvi. Διαλύσεις γὰρ τȣ̀ς λόγȣς εἰς τȣ̀ς λόγȣς τȣ̀ς ἐκείνων, *Rationes enim in illorum rationes diſſolves*, inquit Ariſt. I. Phyſ. cap. VII. atque id exemplo muſici declarat, in quo alia hominis, ut ſubjectum eſt ſive materia, alia muſicæ, ut eſt accidens ſive forma; alia denique muſici ratio eſt, ut hominem ſignificat qui eſt muſicus, nomine & conceptu ſubſtantivo compoſito. Et quod ibi τὸν λόγον, alibi τὸ εἶναι, ȣσίαν, τὸ τί ἐςι *eſſe, eſſentiam & quidditatem* vocat. Quia quid ſit res, atque adeo eſſe & eſſentiam, non in rebus ut ſunt, ſed in noſtra de iis cogitatione ſive ratione ſpectamus, & hinc ſolum imponimus nomina rebus. Atque ideo rerum formæ ſæpius ſpecies in ſenſu, vel modi conſiderandi in intellectu tantum, quam vera & realia accidentia & eſſentialia in rebus attributa ſunt. Ut jam de materia non dicam, quæ etiam aliter non ſpectatur. Uſque adeo, ut ſi forte formæ ſint res veræ, ut quantitas in corpore, figura in ſtatua, motus in igne & calore; non tam ſecundum eam veritatem, quam ſecundum ſpeciem & noſtram de iis cogitationem atque opinionem habeantur pro formis. Atque ideo Ariſtoteli forma & ſpecies unum ſunt; & compoſitum quoque ſpeciem vocat, quia ſecundum ſpeciem & formam præcipue ſpectatur, & ab ea denominatur, ipſaque in eo ſpecies & forma includit materiam, cum qua unum eſt.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

§. 2. Diviſio ſubſtantiæ in ***primam***, quæ ſingularis, & ***ſecundam***, quæ univerſalis ſit, dici poteſt neceſſaria non eſſe: quia thema ſimplex jam ante diviſum eſt in ſingulare & univerſale. Ubi oſtendimus ſingulare proprio, univerſale appellativo nomine notari, & nomen proprium primo uni ſingulari ſeorſim, ac poſtea commune nomen appellativum pluribus impoſitum eſſe, quando plures res viſæ ſunt ſimiles inter ſe. Hinc petenda eſt ratio, cur ſubſtantia ſingularis prima dicatur, univerſalis ſecunda; & perſpicuum ſit, totam diſtinctionem hanc non tam rerum quam nominum & conceptuum eſſe. Quatenus prima cogitatio de ſingularibus, ideoque prima eorum nominatio eſt. Ut quando quæritur *Quotuplex eſt ſubſtantia?* fere idem ſit ac ſi quæreretur, quotuplex nomen ſubſtantivum eſt, & conceptus ſubſtantivus, quo quid per ſe & non in alio ſpectatur. Cui reſponderi poteſt, Nomen ſubſtantivum vel unius & ſingularis rei proprium eſſe, quod natura ſua primum eſt, uti proprius & ſingularis unius rei conceptus eſt primus; vel plurium commune ſive appellativum, quod ſecundum eſt, uti communis atque univerſalis plurium conceptus eſt ſecundus. Atque ideo, rem ipſam ſi velimus extra nomina & conceptus ſpectare, ſenſus hujus diviſionis eſt, quod ſubſtantiam vocamus, & vere ſubſiſtit per ſe, id omne eſſe aut ſingulare aliquod, aut multitudinem ſingularium.

Quæſt. V. Quid eſt ſubſtantia prima? Subſtantia ſingularis, ut Alexander [1] *Bucephalus.*

Quæſt. VI. Quid ſecunda? Subſtantia [2] *univerſalis, ut homo, equus.*

§. 1. Ut nomen primum hominis, ita alterum equi unius olim proprium fuit. Sic vero etiam poſſunt propria eſſe nomina aliorum hominum & equorum, item montium, regionum, urbium, fluminum, ſylvarum, aliarumque rerum

rum inanimatarum. Quanquam neque omnes animatæ, neque omnes inanimatæ res poſſint proprium nomen habere, neque id neceſſe ſit: tum quia nimis multæ, tum quia ſingulæ proprio nomine dignæ non ſunt. At homo unusquisque habet proprium nomen ſuum, quo vocari & compellari, atque unus ab alio diſtingui poſſit: quod ſic locum non habet in aliis rebus. Atque ideo plerasque alias res, quæ ſingulares ſunt, partim nomine communi ſive appellativo, partim pronomine deſignamus, quorum ſive nominum ſive pronominum ſignificatio intelligitur ſingularis ſive propria eſſe, quando ſingularibus applicantur, ut cum dico *hæc arbor*, *hoc animal*, *hæc res*, vel ſimpliciter, *hoc*, *illud*. Ita vero etiam dicimus, *hic color*, *hoc lumen*, *hoc vitium*, *hæc virtus*, *hæc linea*, *ſuperficies*, &c. Ut ſunt res per ſe ſpectatæ ſaltem, quæ raro vel nunquam aliud proprium nomen habent.

§. 2. *Subſtantia univerſalis, ut homo, equus*, Quando hæc nomina in ſingulari numero, pro toto ſupponuntur genere, puto hominum, equorum, ut idem ſit homo, equus quod homines atque equi univerſi; loquutio eſt figurata, quæ vulgo ſynecdoche vocatur, latine comprehenſio, item intellectio, quia plura vel omnia uno comprehendimus, & intelligimus plura vel omnia ab uno. Citra hanc figuram, quando volumus proprie loqui, *homo*, *equus*, idem ſunt quod *unus vel quidam homo*, *equus*; quæ ſingularia ſunt, ut numerus eſt ſingularis. Et ſic quoque animal, vivens, corpus, ſubſtantia in ſingulari, idem ſunt quod unum ſive aliquod animal, unum vivens, unum corpus, una ſubſtantia. Ut Romanus vel Batavus proprie unus talis homo eſt; ſed in hoc Liviano, *Romanus prælio victor*, ſenſus eſt, Romani prælio victores. Et in illo communi dicto, *homo bulla*, *homo mortalis*, proprie unum,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

figurate plures atque omnes intelligo. Ut ſenſus ſit, omnem hominem, ſive omnes homines, inſtar bullæ & mortales eſſe. Nam *omnis* in ſingulari quoque ſenſum videtur pluralem facere, atque ideo non male dicitur nota univerſalitatis; quæ nota ſi non adeſt, homo & equus in ſingulari, non niſi unum de toto genere hominem & equum ſignificant.

Quæſt. VII. Quomodo diſcernis [1] *primam ſubſtantiam à ſecunda? Prima ſubſtantia non dicitur* [2] *de ſubjecto, cum ipſa omnibus ſubjiciatur. Alexander enim de nullo dicitur, niſi de ſe ipſo. At ſecunda ſubſtantia, quamvis in ſubjecto non ſit, dicitur tamen de ſubjecto, nempe de primis ſubſtantiis ſibi ſubjectis. Homo enim dicitur de Alexandro, Socrate, Platone &c. equus de Bucephalo, Cyllaro, &c.*

§. 1. *Quomodo diſcerni prima ſubſtantia à ſecunda* poſſit, fruſtra quæritur, atque adeo operoſe explicatur, ſiquidem primæ & ſecundæ ſubſtantiæ in rerum natura non ſunt, ſed prima & ſecunda nomina tantum, quæ grammatici *propria & communia ſive appellativa* vocant. Eo fere modo quo fruſtra quæritur atque adeo operoſe explicatur in Logica, quid *per ſe ſubſiſtere*, quid *eſſe in ſubjecto*, quodque adeo diſcrimen inter ſubſtantiam & accidens ſit. Siquidem hæc omnia debent atque poſſunt intelligi ex diſtinctione nominis ſubſtantivi & adjectivi. Ut enim ſecundum hanc nominis diviſionem, quæ prima in grammatica eſt, facta fuit à logicis prima rerum diviſio in ſubſtantiam & accidens: ita, ſicut grammatici porro dividunt nomen ſubſtantivum in proprium, quod primum, & commune ſive appellativum, quod natura ſua ſecundum eſt; logici putaverunt pariter ſubſtantiam, partim propriam ſive ſingularem & primam, partim communem ſive univerſalem & ſecundam eſſe. Et ſicut hæc nomina poſſumus in oratione diſtinguere, quatenus unum ſuppoſitum ſive ſubjectum

ctum, alterum appoſitum ſive dictum de ſubjecto eſt, ſic illi putant debere ſubſtantias diſtingui.

§. 2. Ex eo quod nomen ſubſtantivum, ut unius & ſingularis ſubſtantiæ proprium eſt, *primum*, commune autem ſive appellativum *ſecundum* ſit, eorum omnium, quæ hic dicuntur, ratio reddi, & verus poteſt intellectus inveniri: quando nomen proprium & commune, ſive primum & ſecundum, non amplius extra, ſed intra orationem ſive dictionem ſpectamus. Sequitur enim, nomen proprium, ut *Alexander* vel aliud quodcunque, primo ſupponi, ceu primum ſubjectum ſive ſuppoſitum in oratione, de quo dici quicquam poſſit; nomen commune, ut *Homo*, apponi, ſive dici *de ſubjecto*. Ac tota ratio hujus ſive appoſitionis, ſive dictionis, in eo conſiſtit, quod nomen commune, ut eſt appoſitum, ſub ſe comprehendat nomen proprium ſuppoſitum, puta homo Alexandrum, cum dico *Alexander eſt homo*. Hinc porro ſequitur, nomen commune, quod appoſitum eſt, poſſe quidem ſuppoſitum fieri, quando refertur ad aliud nomen magis commune, quo comprehendi poſſit, ut homo ad animal, animal ad vivens; ſuppoſitum vero quod omnium primum & ſingulare eſt, non poſſe unquam appoſitum fieri, quia non comprehendit aliud. Atque ideo ſemper in oratione ſuppoſitum manens, *omnibus ſubjicitur* quidem, quæ modo dici de toto genere poſſunt, ipſum vero *non dicitur de ullo*. Sicut de Alexandro, ut ſubjecto dicuntur quidem homo, animal, vivens; & ſic porro alia omnia, quæ dici de his poſſunt, ut rationale, ſentiens, mortale, pariter de Alexandro dicuntur. At ſubjectum Alexander de nullo dicitur, quod pariter habeat nomen ſuum, quo ſupponi in oratione poſſit. Quia hoc nomen primum & proprium ac ſingulare eſt. Dico *de nullo* quod nomen habeat:

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

quia in dictione ſeu oratione, ſive ſubjectum, ſive dictum de ſubjecto ſpectes, tam unum quam alterum debet nominatum eſſe; & à diverſa poſitione nominis ambo accipiunt qualitatem & propriam conditionem ſuam. Eaque poſitio non quæcunque, non prorſus arbitraria eſt, ſed ea tantum, qua nomen, quod apponitur ac dicitur de ſubjecto, comprehendere ſubjectum ſive ſuppoſitum intelligitur; idque ita, ut ſicut in una dictione unum, ita in alia hoc nomen videatur poſſe aliud comprehendere: quemadmodum homo, tam Philippum quam Alexandrum comprehendit, ſi modo applicetur. Nam ſecundum aliam, quæ ſic cogitatur poſſe eſſe, comprehenſionem ſive ſignificationem tantum, putamus appoſitum & dictum aliud quam ſubjectum eſſe, neque adeo idem de ſe ipſo dici, nec ſignificari idem. Quamquam res ipſas ſi ſpectemus extra dictionem, puta Alexandrum & hominem, qui eſt Alexander, non res duæ ſed una ſint. At *idem*, quoad fieri poteſt, *dicitur de ſeipſo*, atque unum cogitamus poſſe ſignificari tantum, quando uni ſeorſim rei, quæ ſingularis eſt, proprium ſuum nomen tribuimus, ut ſi dicamus *Hic, ille Alexander eſt*. Ubi nomen proprium Alexander & pronomen Hic, Ille, per omnia unius & ſingularis hominis ſunt, neque adeo aliud appoſitum quam ſuppoſitum ſignificat, vel cogitatur poſſe ſignificare. Quia non alius hic, ille, quam Alexander, neque alius Alexander quam hic, ille eſt, & alius non cogitatur poſſe eſſe. At certe cogitamus poſſe eſſe hominem alium, quando dicimus Alexander eſt homo. Quia nomen homo ut plurium commune, ita de pluribus dici aptum eſt natura ſua. Sicut nomen Alexander, quia prima & nativa ſignificatione hominis unius & ſingularis eſt, non eſt aptum à natura de pluribus dici, quia non comprehendit plures, &

revera

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

revera *de nullo dicitur*, quia nullum aliud nomen eſt, quod poſſit ſuppoſitum ſive ſubjectum eſſe, ut quidem poſtulat natura dictionis.

Quæſt. VIII. Quot ſunt notæ [1] *ſubſtantiarum? Sex.*

Quæſt. IX. Quæ eſt prima nota? Non eſſe [2] *in ſubjecto. Nimirum quia per ſe ſubſiſtit.*

§. 1. Ipſa notio ſubſtantiæ, ſi modo recte formetur ſe ipſam manifeſtam facit. Ut non opus ſit aliis eam indiciis ſive notis dignoſci. Si recte non formetur, nihil juvant notæ quæ aliundè petitæ ſunt. Notari tantum velim, quam hæ omnes notæ obſcuræ & ambiguæ ſint, propter obſcuritatem & ambiguitatem, quam oſtendimus eſſe tum in vulgari notione, tum in nomine ſubſtantiæ, quod ad eam notionem accommodatum eſt.

§. 2. *Non eſſe in ſubjecto*, hic aliud nihil ſignificat, quam non eſſe adjectivum relate ad ſubſtantivum. Ut *per ſe ſubſiſtere* ſignificat eſſe ſubſtantivum, ad quod referri adjectivum poteſt. Quæ notio late dictæ ſubſtantiæ eſt, tota, ut vidimus, à nomine & conceptu pendens. Nota ſive notio ſubſtantiæ ſtricte dictæ quæ ſit, haud ita facile dici, neque tam paucis verbis commode explicari poteſt. Quia ad eam inveniendam ſatis non eſt nomine & conceptu ſubſtantivo comprehendi rem, verum ſcire oportet eam vere ſubſiſtere per ſe, & non eſſe rei ſubſiſtentis qualitatem tantum. Ea vero ſcientia ſatis difficilis eſt, quia in communi ſermone, à quo haud facile opinionem ſeparamus, omnia nomina, etiam ſubſtantiva, vel qualitates & accidentia aliquo modo diſtincte, vel ſubſtantias iis affectas confuſe ſignificant. Et pariter in communi ſenſu & intellectu, à quo adhuc difficilius opinio ſeparatur, non eſt ulla notio alia, quam quæ reſpondet nominibus iſtis. Ut ſi velimus notam ſive notionem propriè ac ſtrictè dictæ ſubſtantiæ invenire,

non

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

non tam ex iis quæ novimus atque nominamus communiter, aſſumenda, quam noviter formanda ſit. Ita vero oſtendimus nos poſſe formare veram notionem ſubſtantiæ: non quidem generalibus illis, *ſubſtantia*, *accidens*, quæ à particularibus male abſtracta ſunt, inhærendo, verum ante omnia cogitando de meliore particularium intellectu; quo ſolo poſſumus ac debemus in unoquoque rerum genere, corporalium ſcilicet & incorporalium, veram ſubſtantiæ & accidentis formam ſive notionem diſtinguere. Et diſtinctio illa, de qua fuſe ſuperius dictum fuit, ſummatim huc redit: Veram à parte rei ſubſtantiam cognoſci, & hanc eſſe notam ejus, ita per ſe & ſeorſim intelligi, ut in intellectu non ſuperſit quicquam quo referri poſſit, ſive in quo tanquam ſubjecto ſit; quia ſe ſola intelligitur rei ſubſiſtentis plenam formam habere. Ac proinde verum accidens cognoſci & illius notam eſſe, non ita per ſe & ſeorſim verum in alio & relate ad aliud, de quo diximus, ſubjectum intelligi.

Diſputatio Philoſophica de Conſtitutione Logicæ, aliarumque Artium & Diſciplinarum.

Primum habita Lugd. Batavorum 1668. 27. Octobris. Repepita vero & aucta Amſtelodami 1684. 111. Maji.

1. *Logica una vulgaris, altera Philoſophica, quæ diſtinguenda eſt.*

DE iis quæ communiter in Philoſophia tractamus, duplex haberi cognitio poteſt, una vulgaris ſive communis, quæ ad communem ſenſum acommodata, altera veræ Philoſophiæ propria, quæ ſupra communem ſenſum eſt. Prior ad uſum vitæ præcipuè, ubi omnia relatè ad nos conſideramus;

ramus; poſterior ad rerum in ſe ipſis ſpectatarum veritatem refertur, ad quam veritatem ita non attendimus communiter. Sic verò etiam duplex poteſt ac debet Logica eſſe, una (cujus magis proprium nomen dialectica eſt) vulgaris ſive communis quæ abuſu ſuo non-veram Philoſophiam parit; altera propria veræ Philoſophiæ, quæ ſine ſuâ vera Logica conſiſtere non poteſt. Hæc etiam duplex Logica ſic toto genere diverſa eſt una ab altera, ut neque poſſint commode neque debeant miſceri inter ſe vel unà tradi, ac ſi una ars vel ſcientia eſſent: quod ídcirco infeliciter tentatum fuit, primum ab iis qui veterem Scholaſticam Ariſtotelicam, deinde ab iis qui novam Carteſianam imprimis Philoſophiam profitentur. Hi ut in multis aliis, ita hac in parte deſerunt Carteſium, qui, ut imprimis cognitionem vulgarem & imperfectam à cognitione veritatis per primas cauſas, ita ſcholarum Dialecticam vulgarem diſtinguit à Logica, quæ iſtam veritatem inveſtigare docet.

II. *Logica Philoſophica emendat Rationem & Orationem.*

Logicam Philoſophicam voco, quæ ſic ratione uti docet, ut occulta ejus vitia emendet, præcipitantiam atque anticipationem in judiciis, obſcuritatem & confuſionem in conceptibus noſtris. Quod idcirco pariter quantum poteſt, circa orationem facit, quatenus verbis alligamus omnia judicia omneſque conceptus noſtros, primum obſcuros & confuſos, deinde claros & diſtinctos.

III. *Quod ſic non facit Logica vulgaris, quatenus ars diſſerendi eſt, quæ circa Rationem in Oratione verſatur.*

Gentiles à quibus Logicam ſcholarum accepimus, non advertebant, quanta humanæ Rationis corruptio ſit & imperfectio, ubi inveſtiganda veritas eſt rerum in ſe ipſis ſpecta-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

ſtatarum, quam nos debet Philoſophia docere. Ideoque Logicam invenere, quæ ea tantum ratione uti docet quam habemus, prout *ex multa fide, & multo etiam caſu, nec non ex puerilibus, quas primò hauſimus, notionibus, farrago quædam eſt & congeries:* Verulamius Novi Organi §. 97. Huic Rationi ſaltem in diſſerendo Logica communiter accommodata eſt, hanc nos docet Oratione exprimere. Putamusque in Scholis, ubi Philoſophia non docetur, rectè Grammaticam primùm ſeparatim doceri, tum Logicam & Rhetoricam conjunctim, atque has tres Artes pariter circa Orationem verſari, quatenus ſaltem ad vulgarem popularemque ſenſum accommodata eſt, ut Cicero lib. I. de Oratore loquitur. Atque Idem Cicero lib. II. de Finibus, *Zenonis eſt inquam hoc Stoici, omnem vim loquendi, ut jam ante Ariſtoteles, in duas tributam eſſe partes. Rhetoricam palmæ, Dialecticam pugno ſimilem eſſe dicebat, quod latius loquerentur Rhetores, Dialectici autem compreſſius.*

IV. *Logica Philoſophica quatuor regulis comprehenſa ex Diſſertatione de Methodo Renati des Cartes.*

Logica Philoſophiæ propria, quam etiam Philoſophicam vocamus, imprimis quatuor poteſt regulis comprehendi. Quæ quò breviores & pauciores, eò magis ad rectum, quem Philoſophia quærit, rationis uſum accommodatæ ſunt. Et præter regulas has, quarum exercitatio *artem* parit, adhuc Logicam *ſcientiam* requirimus. Regulas quod attinet, eas ipſiſmet Authoris verbis tradimus, ex *Diſſertatione de Methodo rectè utendi ratione & veritatem inveſtigandi in ſcientiis.* 1. Ut nihil unquam veluti verum admitterem niſi quod certò & evidenter verum eſſe cognoſcerem; hoc eſt, ut omnem præcipitantiam atque anticipationem in judicando diligentiſſimè vitarem; nihilque

que amplius concluſione complecterer, quàm quod tam clare & diſtinctè rationi meæ pateret, ut nullo modo in dubium poſſem revocare. 2. Ut difficultates quas eſſem examinaturus, in tot partes dividerem, quot expediret ad illas commodius reſolvendas. 3. Ut cogitationes omnes quas veritati quærendæ impenderem, certo ſemper ordine promoverem: incipiendo ſcilicet à rebus ſimpliciſſimis & cognitu facillimis, ut paulatim & quaſi per gradus ad difficiliorum & magis compoſitarum cognitionem adſcenderem; in aliquem etiam ordinem illas mente diſponendo, quæ ſe mutuò ex natura ſua non præcedunt. 4. Ut tum in quærendis mediis, tum in difficultatum partibus percurrendis, tam perfectè ſingula enumerarem & ad omnia circumſpicerem, ut nihil à me omitti eſſem certus.

V. *Harum Regularum Uſus, tum generalis, tum ſpecialis in Mathematicis diſciplinis.*

Et primum quidem harum regularum prima claram & circumſpectam, ſecunda diſtinctam, tertia bene ordinatam, quarta ſufficientem, & quantum fieri poteſt adæquatam cognitionem parit, recto uſu ſuo. Quæ totidem veræ ac perfectiſſimæ ſcientiæ conditiones ſunt. Deinde hæ adeo breves atque tam paucæ regulæ imprimis inſignem ac facilem uſum habent in Mathematicis diſciplinis; quatenus circa res ſimpliciſſimas & cognitu facillimas verſantur, atque veræ ac propriè dictæ ſcientiæ ſunt, quarum finis in contemplatione veritatis conſiſtit. Neque alia Logica, rectum rationis uſum quod attinet, in Mathematicis ſcientiis opus eſt: & in ipſis quoque primus & maxime facilis harum regularum uſus eſt, quo ingenium veritati agnoſcendæ, ac falſis rationibus fugiendis aſſueſcit.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

VI. *Rarus ac difficilis harum regularum uſus in Medicina, Juriſprudentia, Theologiâ: & qua de cauſâ.*

In Medicinâ, Jurisprudentia ac Theologiâ adeò inſignis & facilis uſus Logicæ his quatuor regulis comprehenſæ non eſt: verum rarus ac difficilis, ut vix dici poſſit in iis locum habere. Et rectè Ariſt. advertit, τὸ ἀκριβὲς Mathematicum non eſſe pariter in omnibus ſpectandum. Quod maxime verum eſt de regulis iſtis, quatenus unice comprehendunt omnem ἀκρίβειαν quæ locum poteſt in uſu rationis habere. Primum enim hæ tres diſciplinæ, non ut Mathematicæ ſcientiæ, circa ſimplicia & cognitu facilia verſantur, verum circa valde compoſita & magis difficilia. Quæ non ita poſſumus clare, diſtinctè ac ſingula ſeorſim, certo ſemper ordine cognoſcere, ut nihil omitti certi ſimus: verum ſæpe plura ſimul confuſè ac ſine ordine ſpectanda ſunt, & multa omittenda quoque. Sic verò debere cognoſci ea quæ in Medicina, Juriſprudentia ac Theologia tractantur, porro manifeſtum fit, ſi cogitemus, quod ſcientiæ contemplativæ non ſint, verum artes & practicæ diſciplinæ ad vitæ uſum comparatæ. Ubi non tam veritas accurata, uti ex præſcripto iſtarum regularum, quam conſuetudo, exemplum & autoritas ſpectatur, & in pleriſque experientia loco rationis, opinio vel anticipatio loco firmi judicii eſt. Contra quam præſcribit prima regula Logicæ hujus. Ut jam de ſecundâ, tertia & quartâ non dicam, quæ non poſſunt locum habere, ubi locum prima non habet, quæ cæterarum fundamentum eſt.

VII. *Harum regularum uſus & applicatio etiam difficilis in Philoſophiâ, Phyſica præcipue, & quæ cauſa difficultatis ſit.*

Denique Philoſophiam quod attinet, & Phyſicam imprimis quæ præcipua Philoſophiæ pars eſt, in ea hæ regulæ etiam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

etiam majorem difficultatem habent, quam in Mathematicis ſcientiis; quia circa ea verſatur Phyſica ac tota Philoſophia, quæ inſtar eorum quæ Mathematici tractant, ſimplicia & cognitu facilia non ſunt, ſed compoſita & difficilia. Quorum notitia idcirco, non videtur poſſe certitudinem & evidentiam habere, quæ in Mathematicis demonſtrationibus eſt. Ut jam de ordine cæterisque veræ Logicæ hujus præceptis non dicam.

VIII. *Præter regulas Logicas, Logicam ſcientiam requiri, & elogia ejus.*

Hæc difficultas ut ſuperetur, quantum poteſt ſuperari, præter regulas Logicas, *Logicam ſcientiam* requirimus de principiis cognitionis humanæ, quæ prima ſcientia, in Philoſophia ſumme neceſſaria ſit. Ac de ea intelligi poſſunt pleræque difinitiones Logicæ, ac elogia ejus: ut quod Ars rectè utendi ratione, dirigens intellectum in cognitione rerum, Modus ſciendi & vera ac perfectiſſima ſcientia ſit, quæ omnibus aliis imperans ac præſcribens objectum ſuum, ſuo modo domina & architectonica eſt, quantum poteſt eſſe.

IX. *Logica ſcientia diverſa non eſt à vera Metaphyſica ſive prima Philoſophiâ, quæ veterum Sapientia & Theologia fuit.*

Qua ratione Logica veræ Philoſophiæ propria, quam idcirco Philoſophicam vocamus, una poteſt ſcientia cum vera *Methaphyſica* eſſe. Quæ olim etiam prima Philoſophia, κατ᾽ ἐξοχὴν *Sapientia*, quin *Theologia* vocabatur. Etenim de iis tractat, quæ quod ad nos & confuſam cognitionem, petitam à communi ſenſu & intellectu, qui communiter cum ſenſu junctus eſt, videntur ſpectari debere poſt alia, μετὰ τὰ φυσικὰ, ut Ariſt. loquitur [ſupponens nihil eſſe in intellectu, quod prius in ſenſu non fuerit] & ta-

men in ſe & natura ſua, ſequendo diſtinctam cognitionem, qua quid prius in intellectu, quam in ſenſu eſt, poſſunt ac debent ante alia ſpectari. Ut verè prima eorum ſcientia, atque adeo prima Philoſophia ſit, ſi ordinem naturæ & diſtinctæ cognitionis ſpectes. Tales verò res omnes divinæ ſunt; Deus nempe, atque ipſa in nobis opera Dei: quarum rerum quia non alia cauſa eſt, hæ ipſæ, poſt Deum, poſſunt ac debent pro primis & altiſſimis cauſis ſive principiis haberi: quas cauſas primas, quæ principia noviſſe Sapientia & naturalis quædam Theologia eſt. *Quocirca Anaxagoram, Thaletem, cæteroſque tales viros, ſapientes quidem eſſe dicunt, prudentes nequaquam, cum videant eos, quæ ſibi utilia ſunt, ignorare, atque eos fatentur recondita atque eximia & difficilia & divina tenere, ſed inutilia, quia humana bona non quærunt. Ariſt. VI. Eth. cap. 7.*

x. *Dialectica Platonis, quæ hac ipſa prima & perfectiſſima Logicæ ſcientia ſit: & ratio nominis iſtius.*

Atque ea jam olim videtur fuiſſe Platonis ſententia de Logica, quæ Philoſophiæ propria eſt. Quam putans primam & perfectiſſimam ſcientiam eſſe viro Principe dignam, *Dialecticam* vocat, Lib. VII. de Republ. ubi tractat de ea. Quatenus, inquit, ea inſtructi, *ad interrogandum & reſpondendum, ut ſcientiam decet, aptiſſimi ſumus; eſtque velut apex & culmen in ſummo faſtigio poſita, nec ulla diſciplina hac eſt ſuperior, ſed ea omnium diſciplinarum finem* (ac proinde etiam principium) *in ſe omnino habet.* Nec multo aliter eam Cicero deſcribit, quando lib. I. de Leg. poſtquam de Morum & Naturæ ſcientia eſt locutus, appoſitè ad hanc Platonis doctrinam, *Atque hæc omnia*, inquit, *quaſi ſepimento vallabit diſſerendi ratione, ſcien-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

tia & arte quadam intelligendi, quid quamque rem ſequatur, & quid ſit cuique contrarium. Quæ certè major laus eſt quam vulgari poſſit Logicæ ac Dialecticæ convenire, quatenus non tam intelligendi quam diſſerendi ars eſt, occupata, non in primis ipſarum rerum, ſed in ſecundis nominum & conceptuum notionibus.

XI. *Qua ratione Platonis opinione hæc ſcientia purus veri intellectus ſit, non Imaginatio ex ſenſibilibus, nec Ratiocinatio ex ſuppoſitis, nec Fides ex creditis.*

Hæc Logica ſcientia, aut ſi mavis Dialectica, quæ ſic veræ Philoſophiæ propria ac prima ejus pars eſt, ut jam porro Platonem ſequamur, imprimis *ſine oculorum & aliorum ſenſuum miniſterio ad ipſum quod verè eſt & rationem eſſentiæ cujuſque cum veritate tranſcendit*, & ut antea dixerat, *conatur ordine certo circa unumquodque quid ipſum ſit invenire.* Qua ratione prima & perfectiſſima hæc ſcientia, ſive veritatem rerum quas tractat, ſive ordinem ſpectes, Platonis opinione in intellectu eſt. Atque ea eſt, quæ Ariſtoteli *Intelligentia* & *Sapientia* dicitur. Cui idcirco Imaginationem opponit, quæ ſecundum ſenſum fit, in quo non tam ipſum per ſe verum, purum atque ſincerum, quam verum miſtum cum falſo & veri ſpecies ceu umbra & imago eſt: non docens nos quid res ipſæ ſecundum ſe ſint & quo ordine exiſtant, ſed quid & quo ordine videantur eſſe. Deinde ut iterum cum Platone loquamur, *Dialecticæ ſola, ſublatis ſuppoſitionibus omnibus, ad ipſum principium, ut compertum habeat pergit, ac revera animi oculum cæno barbarico obrutum paulatim ſurſum trahit ac ducit.* Ubi præter notionem perfectiſſimæ ſcientiæ, quam imaginationi ſecundum ſenſum opponit (quo ceu cæno barbarico intellectus obruitur, quo minus verum videat apud ſe, quod poſſet videre) etiam ea occurrit,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

cui διάνοιαν ***cogitationem***, aut ſi mavis Ratiocinationem opponit, qua non tam apud ſe videt intellectus ipſum per ſe verum, ut neceſſariò eſt, quam ex eo quod ſupponit eſſe, colligit ac deducit. Denique ſecundum Platonem, hæc Dialectica & Logica Scientia, etiam *Fidem* non admittit, quâ non intelligimus, ſed credimus tantum: quatenus non ipſa per ſe veritas & evidentia rerum, ſed aliena auctoritas movet nos. Quo nihil magis adverſum veræ ſcientiæ eſt, maximè ubi de prima & perfectiſſima quæritur: ut hoc loco facimus.

XII. *Summatim concluditur Doctrina Platonis de prima & perfectiſſima ſcientia, quam Dialecticæ tribuit, atque ab omni alia humana cognitione diſtinguit.*

Ita ſecundum hanc Platonis ſententiam univerſim tria ſunt, ex quibus petenda non ſit prima & perfectiſſima ſcientia, quam Logica profitetur, quæ Philoſophiæ propria eſt, Imaginatio ex ſenſibilibus, Ratiocinatio ex ſuppoſitionibus, Fides ex creditis. At longe alia ratio omnis alterius humanæ cognitionis eſt, quam vel in communi vita, vel in reliqua Philoſophia & Phyſica imprimis, vel in diſciplinis cæteris profitemur, ſive artes, ſive ſcientiæ ſint.

XIII. *Hanc ſcientiam in communi vita non poſſe locum habere.*

Primum enim communem vitam quod attinet, in ea res ſenſibiles tantum ſecundum phænomena ſpectamus, per quæ primum in ſenſu & hinc in imaginatione ſunt. Secundum phænomena quoque vitæ actiones inſtituimus ac formamus judicia noſtra, non curando veritatem, quæ in rebus ipſis ſit, oppoſite ad ea quæ apparent & videntur tantum. De inſenſibilibus vel non cogitamus, vel imaginamur, ſupponimus, credimus atque etiam ratiocinando unum ex alio deducendo, concludimus aliquid.

XIV. *Nec*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

XIV. *Nec proinde in Artibus & Diſciplinis ad uſum vitæ comparatis.*

Artes & Diſciplinas quod attinet, quæ ad uſum vitæ comparatæ ſunt, ut imprimis Theologia, Juriſprudentia & Medicina, deinde Chymia, Anatomia, aliæque, ut jam de illiberalibus & mechanicis non dicam, quæ innumeræ ſunt: non aliter de iis quam de communi vita eſt ſentiendum, quatenus referuntur eò. Ac proinde prima & perfectiſſima ſcientia primaque iſta Philoſophia, quæ ad uſum vitæ neceſſaria non eſt, in iis locum non habet, ſed opinio, fides, imaginatio, & ex eo quod ſupponimus ratiocinatio. Quas idcirco omnes pariter putamus à Philoſophia ſeparandas eſſe, niſi cœlum, ut ajunt, terræ miſcere, atque omnes artes quæ hactenus ſua habuerunt diſtincta nomina, confuſe velis uno Philoſophiæ nomine comprehendere.

XV. *In Mathematicis majorem quidem, non tamen primam & perfectiſſimam ſcientiam eſſe, Platonis opinione.*

Contra Mathematicæ diſciplinæ, quatenus in veritatis contemplatione verſantur, fidem, opinionem & imaginationem ſecundum ſenſum non admittunt; ſuppoſitione & ratiocinatione ſecundum intellectum contentæ, & vel hinc ſolum Plato inquit, *has propter conſuetudinem quidem ſcientias nominari, indigere autem alio nomine, clariore quidem quam ſit opinio, obſcuriore verò quam ſcientia:* quia nempe prima & perfectiſſima ſcientia non ſunt, quam dialecticæ primæque philoſophiæ tribuit.

XVI. *Qua ratione etiam Phyſica ſcientia ſit vel non ſit.*

Denique Phyſicam putamus proxime debere ad Mathematicam accedere, quatenus non Naturæ hiſtoria tantum, ſed vera ſcientia eſt. Etenim naturæ Hiſtoriam quod attinet, ea partim à propria obſervatione & experientia, quam imaginatio ſecundum ſenſum facit, partim ab aliena fide

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

pendet. Et eatenus non alia ferè Phyſicæ, quam Medicinæ, Chymiæ & aliarum artium ratio eſt; hoc ſolum cum diſcrimine quod Phyſica non ſic in opere verſetur. At ſcientia naturæ, neque in nuda obſervatione & experientia conſiſtit. neque ab aliena fide pendet. Cumque etiam prima & perfectiſſima ſcientia non ſit, reliquum eſt, ut inſtar Mathematicæ ſubſiſtat per ſuppoſitionem & ratiocinationem, quæ ſecundum intellectum eſt.

XVII. *In quo differat Phyſica à Mathematica. & quæ ſit ratio veræ ſcientiæ in Phyſica.*

Hoc ſolum intereſt, quod intellectum hunc non ſic à natura in Phyſicis, ut quidem in Mathematicis habeamus: propter præjudicia & perverſas notiones, quæ in quam plurimis à veri cognitione avertunt nos; ſive principia ſecundum ſuppoſitionem, ſive concluſiones ſecundum ratiocinationem ſpectes. Id quod pariter dici de Mathematicis non poteſt. Atque inde perſpicuè ſequitur, quod Phyſica inſtar Mathematicæ ſeorſim ſumpta, vera ſcientia non ſit, ſed experientia & opinio tantum. Ut autem ſit vera ſcientia, quantum eſſe poteſt, non ſufficere *regulas logicas* diximus, ſed logicam *ſcientiam* requiri primam perfectiſſimamque. Atque eam oſtendimus Platonis dialecticam fuiſſe, quatenus ſepoſito ſenſu, ſublata ſuppoſitione, & omiſſa fide, ad primas ſimpliciſſimaſque in intellectu veritates adſcendit. Hæ demum veræ ſuppoſitiones in Phyſica ſunt, ſecundum quas facienda ratiocinatio eſt, ut vera ſcientia ſit, quantum poteſt eſſe. Uti hoc ipſum putamus perſpicue demonſtratum *fuiſſe à Renato Deſcartes in Meditationibus* & *Principiis philoſophiæ.*

Diſpu-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

Diſputatio de Conſtitutione Phyſicæ, primum habita Lugduni Batavorum 1668. 31. *Octobris,*

Deinde vero Repetita Amſtelodami & aucta 1684. x. Maji.

I. *Objectum Phyſicæ Mundus aſpectabilis potius quam corpus naturale; & quis error in vulgari definitione lateat.*

COmmuniter Phyſica definitur *Scientia Corporis naturalis, quatenus naturale eſt.* At quia quid Natura & Naturale ſignificet obſcurum eſt, aliquanto clarior definitio erit, ſi dicatur *Scientia Mundi adſpectabilis* eſſe. Quatenus non aliud Phyſicæ officium eſt, quam phænomena in Mundo, quæ ſenſibilia ſunt, per intelligibiles cauſas explicare. Qua ratione non ſine errore putamus, unum poſt aliud corpus, atque ſine alio, ut videtur ſeorſim exiſtere, Phyſicæ objectum conſtitui: ſed corpora ſpectanda ſunt in ea unione & unitate, qua Mundum conſtituunt, & ſunt partes mundi. Error alius eſt ſi putemus, Phyſicæ contemplationis eſſe Mundum ſublunarem tantum, prout ex elementis, miſtis, inanimatis atque animatis corporibus compoſitus eſt. Quaſi cœleſtia, ut ſunt ſupra nos, ita non pertineant ad nos, atque ea quæ in terris ſunt, abſque iis intelligi poſſint. Ita vero partim nimis anguſtum ſupponitur, partim non eo quo oportet modo conſideratur, Phyſicæ objectum. Poteſt verò etiam nimis amplum ſupponi objectum Phyſicæ, ſi putemus, Univerſum quod eſt, corporeum in Natura, quod certe majus & amplius Mundo adſpectabili eſt, Phyſicæ conſiderationis eſſe.

II. *Verborum illorum, Naturale quatenus naturale; brevis interpretatio.*

Dicitur vero in communi definitione, quæ nos ducit in

 erro-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

errores hos, aut eos non excludit ſaltem, ſubjectum Phyſicæ *Corpus naturale*, hoc eſt, quod in eſſe, fieri & operari à Natura pendet. Additurque ***quatenus naturale***, ne ſub alia conſideratione, quam ut hoc pacto effectum & opus Naturæ eſt, videatur ad Phyſicam ſpectare.

III. *Natura imprimis Deo, Naturale Divino opponitur, ut Phyſica à Metaphyſica & Theologia diſtinguatur.*

Sic ***Natura*** imprimis Deo opponitur, ut cauſa prima eſt, & Naturale Divino, ut eſt proximus atque immediatus effectus Dei. Atque ea ratione Metaphyſica & Theologia de Deo ceu cauſa prima, Phyſica de Natura & cauſis ſecundis tractat. Et effectus quod attinet, qui pariter poſſunt ad Deum ac Naturam referri, quatenus Deus univerſalis & prima, Natura particularis & ſecunda cauſa eſt, eorum etiam alia conſideratio debet in Phyſica eſſe, quam in Theologia & Metaphyſica. Nam Phyſicus, niſi velit ſcientiæ ſuæ fines tranſcendere, ſubſiſtit in Natura, prout eam invenit in rebus atque ex ſecundis cauſis deducit, cum Theologia & Metaphyſica debeant ad Deum adſcendere, qui cauſa prima eſt, atque eo referre omnia.

IV. *Natura & Naturale arti opponitur & operibus artis, ut Phyſica ab artibus diſtinguatur.*

Deinde Natura & Naturale etiam iis opponuntur, quæ arte facta ſunt, vel aliter in humana poteſtate poſita. Quatenus homo animo poſitus ſupra ſuum corpus atque alia corpora, multa facit intra & extra ſe, quæ uti corpora ex ſe ipſis non faciunt, ita naturæ corporeæ opera atque adeo naturalia non ſunt. Sic vero non piſtoriam ſolum & culinariam, ut & pharmaceuticam, ſed ipſam Medicinam, chymiam atque anatomiam, ratione objecti putamus debere à Phyſica diſtingui, quatenus partim alias res tractant, partim alius

alius conſiderandi modus eſt. Et par ratio aliarum artium eſt, quæ circa ſenſibilem materiam verſantur, ut ſutoria, fabrilis aliæque quas mechanicas vocant.

v. *Diſtingui Phyſicam à Geometria, Aſtronomia, aliiſque Mathematicis diſciplinis.*

Denique cum corpus naturale quatenus naturale, dicimus Phyſicæ objectum eſſe, Phyſicam quoque à Matheſi diſtinguimus. Quod imprimis de Geometria manifeſtum eſt, quippe quæ figuras, magnitudines & diſtantias contemplatur, per intellectus abſtractionem, non ut ſunt, in Natura & per Naturam, ſed ut concipiuntur, ſupponuntur ac poſſunt eſſe. Cum Phyſica debeat res exiſtentes contemplari, ut in natura, & à natura ſunt. Sic vero etiam Aſtronomia aliter quam Phyſica cœlos ac ſydera ſpectat, partim magnitudines, ſitus ac diſtantias obſervando ac menſurando, ut Geometria in terris facit, partim circulos ac motus ſupponendo, qui in natura non ſunt. Et in Muſica ſonos, in Optica luminis radios ac viſibiles ſpecies, etiam aliter quam in Phyſica ſpectamus. Neque adeo ulla Mathematica ſcientia eſt, quæ non poſſit ac debeat à Phyſica diſtingui: quanquam inſerviat Phyſicæ. Prorſus ut debemus arithmeticam à mercatura diſtinguere, quanquam ad eam applicari, atque in ea poſſit uſum habere.

vi. *Qua ratione Phyſica Scientia dicatur.*

Porro Phyſica *Scientia* dicitur, quatenus certa & evidens per naturæ lumen notitia eſt; ſive per cauſam & demonſtrationem, ſive alio quocunque modo comparata. Ut non unus modus ſciendi, atque intelligendi eſt. Ita duas in ſcientia Phyſica conditiones requirimus; Evidentiam & Certitudinem, ea lege, ut poſterior in priore debeat habere fundamentum ſuum, & ab ea formam acci-

 pere.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

pere. Quod vero evidens & certum eſt, pariter debet verum eſſe: quatenus non aliud habemus criterium veritatis.

VII. *Propria Scientia Phyſicæ Fidem excludit.*

Proinde Phyſica, quatenus vera ſcientia eſt, imprimis *Fidem* excludit, qua non res ipſas, ſed quod dicitur de rebus ac dicentis autoritatem ſpectamus. Nec refert an divina, an humana fides & autoritas ſit, an fallere poſſit an non; Quia ambæ pariter evidentia carent, quæ propria veræ ſcientiæ eſt. Etſi ambæ pariter non careant veritate ac certitudine, quæ propria veræ ſcientiæ non eſt. Quatenus, tam ea quæ credimus, quam quæ ſcimus & intelligimus, poſſunt vera & certa eſſe. Quanquam in eo quod credimus ſi forte verum & certum eſt, non ſic perſpecta ſit ratio veritatis & certitudinis, ut debet perſpecta in ſcientia eſſe.

VIII. *Etiam diſtingui debet ab Opinione.*

Deinde ſcientiam Phyſicam quantum poſſumus etiam debemus ab *Opinione* diſtinguere, ſive probabilis conjectura tantum, ſive firma perſuaſio ſit. Quia neutro modo opinio formam habet ſcientiæ quæ certa & evidens eſt.

IX. *Phyſica ſcientia in intellectu plus quam experientia in ſenſu eſt.*

Denique Phyſica ſcientia etiam plus quam *Experientia* eſt. Quatenus experientia in ſenſu eſt, cum ſcientia debeat ad intellectum referri. Et certitudo ac veritas, quæ ſecundum ſenſum videtur in experientia eſſe, non tam de rebus ipſis, ut vere ſunt, quam de ſpeciebus & phænomenis eſt, ut videntur eſſe. Sique adeo res ipſas ſpectemus, in ſenſu etiam evidentia non eſt, quæ ratio & forma veræ certitudinis in ſcientiis eſſe debet.

X. *In ſcientia Phyſica imprimis unus & ſimplex Intellectus eſt, quem à ſimplici debemus ſenſu diſtinguere.*

Scientia quam ſic in Phyſica requirimus, imprimis poteſt

teſt unus ac ſimplex intuitus eſſe, ſive rei unius & ſimplicis, ſive veritatis, quæ per ſe nota eſt. Ut quando intelligimus, quid *materia*, quid *motus* ſit, quod *ex nihilo nihil fiat in natura* &c. Quæ Ariſtoteli *Intelligentia* dicitur, & eſt notitia principiorum, ut definitiones & axiomata ſunt. Ab hoc ſimplici intuitu intellectus, debet nudus & ſimplex ſenſus diſtingui. Neque adeo definitio, vel axioma ullum cenſeri debet ſenſu cognoſci. Quia ſenſus, ut vidimus, circa ſpecies & phænomena verſatur, in quibus ea veritas & evidentia non eſt, quæ poteſt in ſcientia ſecundum intellectum eſſe.

XI. *Scientia Phyſica plerumque intellectus compoſitus eſt, quo unum per aliud demonſtratur, puta effectus per cauſam.*

Plerumque verò ſcientia Phyſica haud ita unus & ſimplex, ſed compoſitus & multiplex intellectus eſt. Quatenus per notionum variam compoſitionem & connexionem unum ex alio deducimus & ratiocinando concludimus. Atque ita imprimis poſſumus effectum per ſuam *cauſam* cognoſcere, quæ communiter demonſtratio vocatur, τοῦ διότι ſive à priori.

XII. *Demonſtratio per Formam ſive eſſentiam, ut eſt cauſa interna conſtituens rem.*

Ut cauſa imprimis poteſt ipſa rei forma ſive eſſentia ſpectari, quatenus per formam res eſt id quod eſt, ut non male ab Ariſt. λόγος τῆς οὐσίας ratio eſſentiæ dicatur. Ut ſiquis dicat ſpatium ſubſiſtens corpus eſſe quia longum latum ac profundum eſt. Hæc vero non tam proprie dicta demonſtratio & cognitio rei per cauſam eſt, quam unius & ſimplicis notionis applicatio, ad rem quæ ſecundum ſe una & ſimplex intelligitur, & nomine tantum duplex videtur.

XIII. *De-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

XIII. *Demonſtratio per Formam, ut cauſa emanativa proprietatis eſt.*

Poſt cauſam internam, quæ ipſa rei forma eſt conſtituens rem, ea occurrit quam emanativam vocant, qua proprietas de ſubjecto demonſtratur. Hæc vero etiam non alia quam ipſa rei forma eſt, ſed relata ad proprietates, quæ in ea habent fundamentum ſuum. Ut ſi dicam corpus omne diviſibile eſſe, quia extenſum eſt, calorem congregare vel diſgregare, quia motus eſt.

XIV. *Demonſtratio per cauſam efficientem activam.*

Succedit conſideratio cauſæ, quæ non amplius conſtituens, vel emanativa, ſed vere *activa & efficiens* cauſa eſt, quam externam vocant. Atque ita clare intelligimus & recte demonſtramus, corpus unum in aliud impingendo poſſe cauſam motus eſſe, quatenus impenetrabili mole ſua protrudit illud. Sic vero etiam in calore & igne vim ſcimus movendi eſſe, quatenus eorum natura conſiſtit in motu, & motum motu produci per ſe manifeſtum eſt.

XV. *De Forma quæ conſtituit rem debere præcognoſci quid & quod ſit.*

De his omnibus, quatenus ut cauſæ in demonſtratione ſpectantur, quæ ſcientiam parit, præcognoſci debet Quid & Quod ſint. Atque id imprimis verum eſt de *formâ quæ conſtituit rem.* Ita qui dicit, quod Calor qualitas ſit, congregans homogenea, ſegregans heterogenea, & ſic putat ſe explicare, vel demonſtrare naturam caloris per cauſam formalem, quæ ratio eſſentiæ ſit, revera nihil explicat, vel demonſtrat, ſed verba dat, quorum ſenſus manifeſtus non eſt. Quod ſic dici nequit, quando Calorem dicimus varium minutiſſimarum particularum motum eſſe.

XVI. *Similiter præcognoſci debet quod & quid ſit Forma, ut per eam proprietas demonſtretur.*

Deinde *proprietates* etiam recte *per eſſentiam* non demon-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

monſtrantur, ceu cauſam internam emanativam, ſi non fuerit notum, quid ſit, & quod ſit eſſentia id quod ſupponitur eſſe. Atque ita omnes demonſtrationes, quæ à Natura, Naturali potentia, Forma ſubſtantiali, Qualitate occulta, aliiſque rebus ignotis in Phyſica petuntur, ineptæ ſunt. Et hic error Phyſicæ vulgaris eſt, quatenus ad vulgarem popularemque ſenſum & hinc ad Logicam vulgarem, unde hæ notiones petitæ ſunt, tota accommodat ſe.

XVII. *Quæ ſint præcognoſcenda de cauſa externa activa.*

Denique *cauſas externas* ſive activas quod attinet, de his non ſolum præcognoſcendum eſt, quid ſint & quod in rerum natura exiſtant revera, verum etiam quod habeant revera vim, quam debent habere in effectu producendo. Ita qui dicunt, aquam in antliis adſcendere â ſuctore atractam, vel adſcenſum hunc ad vacuum referunt, aut fugam vacui, imprimis probare deberent, vacuum aut fugam ejus, & in rerum natura eſſe, & habere vim iſtam. Et quanquam aqua dum adſcendit in antliis, ſuctorem ſequatur, an trahitur idcirco virtute ſuctoris, ut ſupponi ſolet?

XVIII. *Demonſtratio per cauſam Finalem in Phyſica locum non invenit.*

Præter cauſas, de quibus dictum eſt, non recte putamus in Phyſica *Finem* adhiberi. Non enim agit Natura Corporea propter finem, ſed homo tantum, quatenus animus in eo incorporeus eſt. Et fines quod attinet, quos ſibi Deus dici poſſit propoſuiſſe in opere ſuo, hominis non eſt inquirere in eos, quamdiu occulti ſunt. Et ſi forte facti ſint manifeſti revelatione, non Phyſicæ, ſed Theologicæ conſiderationis ſunt: hoc ipſo, quod non Naturæ, non Naturalis, ſed Dei ac divinæ operationis fines ſunt.

XIX. *Naturæ Leges ſecundum quas omnia fiunt in mundo, Naturam corpoream quod attinet.*

Loco Finium, qui ſic in Natura nulli ſunt & nullam vim

 habent,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

habent, poſſumus *Naturæ Leges* ſpectare, ſecundum quas omnia fiunt in mundo, quatenus Naturam Corpoream comprehendit, Mente deſtitutam. Sic verò Natura Corporea, etſi finem non intendat, non aliter certa ratione agit, ac ſi cognoſceret ac intenderet finem. Ut nihil caſu, & fortuito in Mundo ſit, verum omnia neceſſario ſint, ea lege qua debent eſſe. Qua ratione perſpicue intelligimus, ſagittam quæ in aëre volat, poſſe ſcopum attingere, quanquam neque ipſa apud ſe, neque arcus intendat hoc: Ob hoc unum, quod motu qui natura ſua rectus eſt, ſagitta tendat ad ſcopum. Ita Natura quæ *Indocta*, hoc eſt ſui & aliorum neſcia eſt, *Docta* dici poteſt ſano ſenſu, quatenus non ſuæ quam non habet, verum divinæ rationis ductum ſequitur neceſſitate infallibili.

XX. *Triplex conſideratio Effectuum in Phyſica.*

Sic ſe habet demonſtratio ex cauſis, quæ ſola ſcientiam parit. *Effectus* quod attinet, eos poſſumus triplici ratione ſpectare. Primo eos tantum obſervando, ſecundum phænomena per quæ in ſenſu ſunt. Et patet ex dictis, eam non tam ſcientiam rerum naturalium, quam de iis experientiam & Naturæ Hiſtoriam eſſe. Hac hiſtoria ſæpe debemus contenti eſſe, potiſſimum in particularibus, ubi cauſarum cognitio valde difficilis eſt. Secundo rerum cauſas ex effectu deducendo. Tertio cauſas, quæ poſſunt notæ eſſe ante effectus, ex iis confirmando. Prima vero atque ultima conſideratio potiſſima & legitima eſt. Secunda facile errorem parit, vel opinionem & conjecturam tantum.

XXI. *Rerum Naturalium cognitio per Similia.*

Poſt Cauſas & Effectus, ad comparandam rerum naturalium cognitionem & qualemcunque ſcientiam, multum denique *Similia* valent. Sed pauci advertunt, quis verus eorum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

eorum uſus ſit, & quopacto cum ratione ipſis uti poſſimus. Ut ſimilium conſideratio utilis ad ſcientiam & ſine errore ſit, ſimile unum, quo alterum cognoſci putamus, ante omnia debet ipſum cognoſci: ſive per ſe notum, ſive ante demonſtratum ſit. Ac præterea debet aliqua ratio ſimilitudinis eſſe. Tum vero ſimilia non quidem probant, ſed illuſtrant & confirmant veritatem, faciuntque ut non debeamus putare, rem aliter in uno quam alio ſe habere. Niſi in contrarium ratio diſparitatis ſit, quæ adferenda ab iis eſt qui ſupponunt eſſe diſparitatem.

XXII. *Quæ in particularibus ſit plena perfectiſſimaque rerum naturalium ſcientia, illuſtri exempló oſtenditur.*

Qua ratione putamus plenam perfectiſſimamque Phyſicam ſcientiam eſſe, quando hoc triplex genus cognitionis conjunctum eſt in uno ſubjecto. Quod rarò quidem in particularibus accidit, attamen in aliquibus putamus poſſe locum habere; Atque tum vis & propria forma demonſtrationis à cognitione cauſarum pendet, & ab eâ initium capit, effectus non tam demonſtrant quam confirmant, ſimilia illuſtrant. Quanquam hic ordo etiam inverti poſſit. Hujus vero ſic in unum coactæ ſive conjunctæ cognitionis, illuſtre exemplum occurrit in quæſtione de conſtructione ſive ſyſtemate Mundi. Siquidem Solem ſtare, per ſimilia ſtellarum fixarum exempla, quatenus ſimiliter corpora Lucida ſunt, quæ loco non moventur; atque ex adverſo. Terram moveri, exemplo probatur planetarum, qui non minus quam Terra, corpora Opaca ſunt. Etiam cauſa nota eſt, motus cœlorum ſcilicet circularis, cujus vi ſol in centro ſtare, & terra duplici debeat motu moveri, annuo & diurno. Iſtumque Terræ duplicem motum revera eſſe in Mundo, ſole ſtante in medio, per effectus, quos videmus in Planetis, confirmatur. Ex adverſo, ſi terram cogi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

tes quieſcere in medio Planetarum, ſolem vero & Planetas moveri circa Terram, neque iſtius quietis neque hujus motus cauſa intelligitur, neque effectus reſpondent, neque de ſimilibus ſimilia, verum diverſa & oppoſita affirmantur.

XXIII. *Adeo perfectam rerum naturalium ſcientiam in Medicina aliisque artibus non inveniri, quæ idcirco à Philoſophia ſeparandæ ſunt.*

Coronidis loco obſervamus, ſcientiam adeo perfectam, per cauſas, effectus & ſimilia, non ſeparatim ſed conjunctim, nullam omnino in artibus inveniri, quæ communi conſenſione à Philoſophia diſtinguuntur atque ſeparantur. Primum quia propria artis forma, quatenus habitus effectivus eſt, non tam in accurata cognitione & vera ſcientia conſiſtit quæ in animo reſidet, quam in operatione & exercitatione, quæ corpore peragitur & præcipue pertinet ad corpus. Atque id ſaltem in artibus mechanicis, quas illiberales vocant, manifeſtum eſt. Quæ idcirco non poſſunt unquam ut Philoſophiæ partes ſpectari, ſaltem ea conſideratione, qua in opere verſantur. Deinde ea cognitio rerum naturalium, quæ forte conjuncta eſt cum exercitatione, etiam vera in artibus ſcientia non eſt, quam Phyſica profitetur, verum Experientia, quæ prima atque propria artium genitrix eſt. Per Experientiam multa cognoſcimus ut phænomena tantum. Et quando ſingula ſeorſim phænomena obſervamus, non cogitamus de connexione quam notio cauſæ & effectus & ſimilium ſupponit, neque adeo ulla in hac nuda & ſimplici obſervatione ſcientia eſt. Sæpe vero non ita ſeorſim ſingula ſed plura conjunctim phænomena obſervamus; atque iſta conjuncta ſive compoſita obſervatio præcipue in artibus neceſſaria eſt, hæc ſimilium, effectuum & cauſarum notionem parit in communi ſermone atque accommodate ad communem ſenſum,

quem debemus in omni arte ſpectare. Qua ratione, quæ forte in artibus invenitur cauſarum cognitio & effectuum per cauſas [ut jam non dicam de ſignis] nititur obſervatione connexionis ſive conſecutionis, quæ ab una parte cauſæ, ab alia effectus notionem atque nominationem parit. *Id quo tangente fit quo ſeparato ceſſat effectus, rei cauſam nominamus*, in Medicina inquit Galenus. Hæc ſolum notio cauſæ ad communem ſenſum accommodata in omni arte ſupponitur. Ut neceſſe non ſit, artis exercitationem & propriam cognitionem quod attinet, diſtinctè & clare intelligere, qua virtute agat cauſa & effectum producat, ſicut in Scientia Phyſica id diximus neceſſarium eſſe: verum ſatis eſt primum ſimplex deinde conjuncta phænomenωn obſervatio facta per ſenſum, quæ obſervatio in artibus partim propria partim aliena eſt, Autopſia vel Hiſtoria. Anxia & ſollicita ſecundum intellectum inquiſitio, qua vi, qua virtute id quod communiter cauſam vocamus, effectum producat, magis nocet quam prodeſt, ſi propriam cujuſque artis exercitationem & cognitionem ſpectes. Quamquam illa cognitio multum poſſit in vera ſcientia prodeſſe quæ cognitio intellectualis per cauſam eſt, in omnibus valde diverſa ab eâ cognitione quam à ſenſu habemus, in multis, ut videtur, etiam contraria. Ex quo perſpicue ſequitur, Artes omnes (quarum genitrix debet eſſe partim noſtra propria, partim aliorum experientia) *Medicinam*, *agriculturam*, *fabrilem* &c. ſeparatas eſſe à Philoſophica ſcientia, *natura ſua* ſive ſecundum naturam cognitionis humanæ (quod notandum) ut non poſſint unquam *ex natura ſua pars quædam Phyſicæ ſive Philoſophicæ naturalis ſcientiæ* eſſe. Putamuſque, non magis ſperandum vel cogitandum (id quod plurimi hoc ſecuſo ſperant & cogitant) de Medicina Artibuſque mechanicis, eas unquam poſſe ex Philoſophia huc

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

uſque promota deduci, quam de Juriſprudentia & Theologia. Quia pariter cognitio toto genere diverſa ſive heterogenea eſt, omnino diverſus conſiderandi modus, quo debent artes & ſcientiæ diſtingui, quemadmodum tot jam ſeculis diſtinctæ ſunt. Hac etiam de cauſa Dubitatio, quæ poſtulatum primæ philoſophiæ ſive Metaphyſicæ eſt unice neceſſarium ut aliquid firmum & ſtabile in tota philoſophia ſit, ad nullam aliam artem vel diſciplinam ſe extendit. Diciturque hâc de cauſa *Dubitatio Metaphyſica, hyperbolica, ad uſum vitæ non tranferenda*, ab ipſo Auctore Renato Deſcartes. Similiter, id quod clare & diſtincte percipio verum, & hanc unicam normam veritatis eſſe, proprium ejuſdem Metaphyſicæ ſive primæ philoſophiæ præceptum eſt, non ſic in ulla alia arte & diſciplina, inculcandum.

Diſputatio Philoſophica explicans Quid nomina Materia, Corpus & Spatium ſignificent.

Habita Amſtelædami 1686. XXI. Decembris.

I. *Materiæ, quatenus relate ad aliud & cum alterius formæ negatione intelligitur, definitio tradita ab Ariſtotele, quæ ſaltem in Cogitatis vera eſt.*

DUo nomina, *Corpus & Materia*, à parte rei ſive in extantibus rem unam poſſunt & eandem ſignificare, puta lapidem, lignum, æs, quæ tam Corporis quam Materiæ nomina ſunt. Modus conſiderandi diverſus hanc in nominibus diverſitatem parit & qualẽmcunque diverſam ſignificationem. Ex quo non ſequitur, Materiam & Corpus res omnino diverſas eſſe.

II. Et primum quidem nomen Materia de genere eorum eſt

eſt quæ Ariſt. τὰ πρός τι *ad aliquid* vocat, quia ſignificatio cum relatione ad aliud intelligitur; quod ſic dici non poteſt de nomine Corpus. Cum dico *Materia*, id quod ex ea fit vel conſtat reſpicio, puta ſtatuam quæ fit & conſtat ex ære, carnem quæ non quidem conſtat attamen fit ex gramine quo veſcitur bos: atque prior compoſitionis, poſterior generationis Materia vocatur. Cum dico *Corpus*, ſine hoc reſpectu nominis ſignificationem intelligo; atque ita æs & gramen, non quidem Materia, attamen Corpus ſunt, quando per ſe ſpectantur.

III. Deinde nomen Materia negationem aut ſi mavis privationem formæ ſupponit, rei unius aut plurium, quas ex Materia fieri vel conſtare cogitamus. Neque adeò intelligi poteſt, ſtatuam ex ære, carnem ex gramine fieri vel factam eſſe, ſi ipſum per ſe æs ſtatuæ, gramen carnis formâ deſtitutum non ſit. Hac ſolum conſideratione æs & gramen, informis Materiæ, at ſine conſideratione iſta, formati Corporis nomina ſunt, quorum ſignificatio, uti non relate ad aliud, ita ſine alterius formæ negatione intelligitur.

IV. Sic relate ad aliud πρός τι Ariſtoteles definit Materiam II. Phyſ. cap. 2. *Ex quo inexiſtente aliquid fit*: & I Phyſ. cap. 9. *ſubjectum primum ex quo inexiſtente aliquid fit & in quod ultimo reſolvitur*. Altera definitio per negationem expreſſa extat VII. Metaph. cap. 3. *Dico Materiam quæ per ſe ipſam neque quid, neque quantum, neque aliud quippiam dicitur eorum quibus ens determinatur*. Atque tam illa reſpectiva, quam hæc negativa definitio dici poteſt vera definitio eſſe, quia vere exprimit eam quam communiter formamus notionem Materiæ, quatenus materia & corpus nomina diverſæ ſignificationis ſunt, diverſo in cogitatis conſiderandi modo, qui hanc in nomine & conceptu diſtinctionem facit.

V. Si-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

V. Similiter diſtinctio Materiæ in Primam & Secundam vera & rationi quam maxime conſentanea eſt. Quatenus formarum omnium negatio ſive præciſio in cogitatis, Materiæ primæ, formarum aliquarum cum ſuppoſitione formæ alicujus, Materiæ ſecundæ notionem parit. Ut ſit *Materia prima* ſimpliciter ſive omnino informis, *Materia ſecunda*, quæ formatum corpus eſt, informis ſecundum quid. Diciturque corpus formatum unum reſpectu alterius *Materia Compoſitionis*, quando in compoſito formam retinet â qua habet nomen ſuum, ut æs retinet æris formam quando ſtatua fit; *Materia generationis*, quando eam à qua nomen habet formam deponit, ut certè gramen deponit graminis formam in carne & pinguedine bovis.

VI. Denique rectè tribuitur Materiæ *Potentia* ſive aptitudo ad formam recipiendam ab agente & actione quam à ſe non habet: qua de cauſa vocatur Potentia paſſiva. *Non enim ipſum ſubjectum ſeſe mutari facit, non lignum lectum, non æs ſtatuam facit, ſed aliud quippiam mutationis cauſa eſt.* Ariſt. 1. Metaph. cap. 3. Scilicet negatio ſive præciſio omnium formarum notionem parit *Potentiæ univerſalis* ad omnes formas, quæ *pura* ſine actu [ut non male loquuntur] *potentia* eſt, quam tribuunt materiæ primæ, quatenus omni forma deſtituta pariter ad omnem formam apta intelligitur. Negatio alicujus formæ, ſicut æs, ut nomen materiæ eſt, negat formam ſtatuæ, notionem parit *Potentiæ particularis*, quæ tribuitur materiæ ſecundæ, quatenus hoc nomen formatum corpus ſignificat, ad unam præ alia formam, porro aptum.

VII. *Inveſtigatur Materiæ notio ſive definitio abſolutam & poſitivam eſſentiam comprehendens, via negationis.*

Sic fuit notio ſive definitio materiæ, quæ ſaltem in cogitatis vera eſt, quatenus nomen Materia, ut communiter fit, relate

relate ad aliud atque cum formæ alterius negatione intelligitur, iſtaque relatio & negatio non ſic in extantibus ad naturam materiæ, ut quidem in cogitatis ad materiæ notionem pertinet, quæ diverſa à notione corporis eſt. Conſequens eſt ut de ea dicamus notione ſive definitione quæ tam in extantibus quam in cogitatis vera intelligitur, quia ipſammet ſimplicem, poſitivam & abſolutam materiæ eſſentiam comprehendit, ex qua inxiſtente facta corpora ſunt, quæque ipſa ſic per ſe ſpectata eſt corpus.

VIII. Et primum quidem manifeſtum eſt, reſpectivum de quo diximus, & negativum, non eſſe hoc ipſum quod abſolutam & poſitivam in materia eſſentiam facit. Quia reſpectus & negatio ſaltem modus conſiderandi eſt ex quo inexiſtente facta corpora non ſunt. Atque hac de cauſa nemo dixerit *Materia eſt reſpectus, negatio* &c. Neque verba illa *ex quo* &c. quatenus in definitione materiæ propriè & præciſe ſignificant reſpectivum & negativum, dici poſſunt pariter hoc ipſum de quo loquimur abſolutum & poſitivum ſignificare, ſine quo neque eſſe neque intelligi materia poteſt. Et dico *præciſè*, quia reſpectivum cum abſoluto, negativum cùm poſitivo, quando de Materia loquimur, ita confuſe junctum eſt, ut in unum coacta notione & fere ſine diſtinctione intelligantur. Et tamen clare intelligimus hæc eſſe diſtincta, quatenus abſolutum ſine reſpectivo, poſitivum ſine negativo, primum in cogitatis intelligi, & tum quoque eſſe in extantibus poteſt, non contra reſpectivum ſine eo quod abſolutum, non negativum ſine eo quod expreſſe vel tacite affirmatum ſupponitur. Audemusque univerſim affirmare: *Omne reſpectivum in abſoluto, omne negativum in poſitivo fundari.*

IX. Hac de cauſa notio qualiſcunque abſoluti & poſitivi antecedit in definitione materiæ, tanquam ſuppoſitum

ſubſtantivum (quod in omni ſermone natura prius eſt, ſi non expreſſe ſaltem tacite) reſpectivum & negativum ſequitur, tanquam appoſitum adjectivum. Dico Materiam, inquit Ariſt. *quæ ſive id quod*, neque quid &c. *ſubjectum* primum, ex quo inexiſtente &c. Quibus certe verbis adeo generalibus, *quæ, id quod, ſubjectum*, non quidem expreſſe & diſtincte, attamen tacite & confuſe, corpus vel aliquid corporis intelligitur, quando loquimur de Materia. Quod adeo verum eſt ut videatur Ariſtoteles hoc totum tanquam per ſe notum ſuppoſuiſſe, ut certe per ſe notum atque conſuetudine ſermonis confirmatum eſt, corpus fieri ex corpore tanquam materia quæ in ſe habet ſubſtantiam corporis, quod ex materia inexiſtente (ut ſtatua ex ære) factum intelligitur. *Si hæc non eſt ſubſtantia, quæ alia eſſet, fugeret nos: demptis enim cæteris nihil aliud remanere videtur*. Ariſt. VII. Metaph. cap. 3.

X. Manifeſtum præterea eſt, naturam ſive eſſentiam Materiæ ipſamque adeo ſubſtantiam, quæ non alia quam corporis ſubſtantia eſt, etiam in pondere, duritie, colore, aliave ſenſibili qualitate non conſiſtere, non in eo quod cerni vel tangi poſſit, ut communiter putamus. Quia hæc accidentia ſunt in apparentibus, ſicut reſpectivum & negativum, de quo diximus, accidentia in cogitatis ſunt, quæ abeſſe poſſunt ſalva ſubſtantia corporis & materiæ.

XI. Manifeſtum porro eſt non in determinata figura vel magnitudine, neque ulla alia particulari forma, quæcunque demum ſit, puta æris, marmoris, ſalis, aquæ, ignis &c. Materiæ ſive corporis univerſim ſpectati abſolutam & poſitivam eſſentiam conſiſtere. Quia Materia ipſaque ſubſtantia corporis omnium communis & ſemper eadem, forma propria corporis unius eſt, non ſemper eadem. Siquidem forma, quæcunque demum ſit, mutari & deponi poteſt, cum

mate-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

materia ut ſubjectum primum, non mutet non deponat ſubſtantiam, nec deſinat materia vel corpus eſſe, quando vel in extantibus una forma mutata, vel in cogitatis forma omnis ſepoſita eſt. Qua ratione recte Ariſtoteles, *Dico Materiam quæ per ſe ipſam neque quid neque quantum, neque aliquid eorum per quod ens determinatur.*

XII. Non denique ut multi putant, in diviſibilitate vel impenetrabilitate conſiſtit eſſentia materiæ, ipſumque corpus non eſt non intelligitur eſſe corpus per hoc unum præciſe quod diviſibile vel impenetrabile ſit. Primum enim hæc duo ita præciſe non intelliguntur ut abſolutum & poſitivum quid, quia ſunt aliquid reſpectivum & negativum. Deinde tam unum quam alterum in *prædicabilibus*, ut cum logicis loquamur, materiæ ſive corporis univerſim ſpectati ſaltem *proprium* eſt non declarans quid res ſit, quod abeſſe poteſt ſive non cogitari, quando de materia ſive corpore cogitamus; quod ſic dici non poteſt de eo quod abſolutam & poſitivam eſſentiam, ſive *differentiam eſſentialem* facit.

XIII. *Abſoluta & poſitiva eſſentia Materiæ, quæ pariter quoque eſſentia corporis eſt, in extenſione ſive quantitate trinæ dimenſionis interminata conſiſtit.*

Sic tandem remotis omnibus quæ intelligimus poſſe removeri, ſola per ſe extenſio ſive quantitas trinæ dimenſionis remanet, de qua audemus affirmare quod abſoluta & poſitiva, quam quærimus, eſſentia ſit. Propter hanc ſolum quantitatem Ariſtoteles de Materia dicit, *ſi hæc ſubſtantia non eſt quæ alia eſſet fugeret nos.* Propter hanc Materia dicitur *ſubjectum cujuſque primum ex quo inexiſtente fit & in quod ultimo reſolvitur.* An poteſt ex non quanto inexiſtente quantum, ex non corpore corpus fieri? an corpus ultimo reſolvi in id quod omnino non eſt corpus, uti omnibus ſepoſitis, Materia prima non eſt hoc vel illud cor-

 pus,

pus, non lignum, non lapis &c. Et ſic putamus veteres Peripateticos recte dixiſſe atque omnino accommodatè ad mentem Ariſtotelis, quod quantitas trinæ dimenſionis quam Materiæ tribuunt, una & communis omnium corporum eſſentia & verè ſubſtantialis forma ſit, quam *formam corporeitatis* vocant, quæ, non ſic abeſſe poteſt, ut quæcunque alia forma, qua unum corpus ab alio diſtinguimus.

XIV. Ita omne extenſum in mundo ſecundum continuitatem, omne corpus, hoc extenſum ſecundum diviſionem, hoc corpus, puta cœlum, terra, lignum, lapis eſt: primum indefinitum ſive interminatum, alterum definitum ſive circumſcriptum termino. Quanquam, quando de Materia loquimur, ut ſaltem corpus eſt una & communi forma corporeitatis, quæ non alia quam trinæ dimenſionis quantitas intelligitur, non cogitemus de finibus & terminis, quibus unum corpus ab alio diſtinguitur: eo prorſus modo quo de propria iſtorum corporum forma non cogitamus.

XV. Qua de cauſa recte dicunt Ariſtotelici, *interminata quantitas eſt de eſſentia materiæ.* Quia ipſa per ſe notio materiæ non ſic ponit terminos quanti ſive extenſi, non modum extenſionis, puta bicubitum, tricubitum [quo ipſo Ariſtoteles exemplo declarat quid nomine *quantum* intelligat] ut quidem ſimpliciter ſine modo & menſura quantum ſive extenſum ponit. Hos ſolum terminos, hanc menſuram & modum Ariſt. à notione materiæ removet, quando dicit *non quantum*, ſicut determinata in particularibus corporum forma removetur, non ſimpliciter forma corporeitatis, quando dicit *non quid.* Neque aliud nomine *quantum* in categoriis intelligit, ubi accidens à ſubſtantia diſtinguit, atque de eâ ſolum quantitate loquitur, quæ tam primæ & informis materiæ, quam formati corporis accidens

eſt,

eſt, ſpectaturque ut accidens communi conſuetudine ſermonis, ad quem ut in aliis, ita in his quoque Ariſtoteles ſe accommodat.

XVI. *Corporis atque materiæ unius eandem ſemper quantitatem eſſe, quæ neque per rarefactionem aucta, neque per condenſationem diminuta intelligitur, ſola per ſe.*

Hinc ſequitur primò non poſſe ullum corpus factum eſſe majus vel minus mole ſive quantitate atque extenſione, ſi facta acceſſio vel deceſſio in ſubſtantia non ſit. Quanquam communiter de acceſſione atque deceſſione iſta non cogitemus, quatenus rarefactio, qua corpus mole majus fit, ſine introitu, condenſatio, qua fit mole minus, ſine exitu videtur alienæ materiæ fieri. Atque hinc putant multi corporis magni ſubſtantiam omnem ſub parva, & contra corporis parvi ſubſtantiam ſub magna poſſe quantitate ſubſiſtere; diſputantque qui ſic ſentiunt, de termino quantitatis, ut loquuntur in minimo & maximo, an & quis ſit terminus, cum quo ſalva poſſit ſubſtantia corporis eſſe.

XVII. Sed vero notionem iſtam rarefactionis & condenſationis, quatenus hunc errorem parit, falſam eſſe, perſpicuum fit, ſi modo ſepoſito ſenſu, ſequamur intellectum, qui docet nos, non poſſe ullum additamentum quantitatis ſive extenſionis ſine additamento ſubſtantiæ eſſe, & contra niſi ſubſtantia decedat, non poſſe quantitatem ſive extenſionem decedere. Quatenus in uno corpore tantum præciſe ſubſtantiæ quantum extenſionis intelligitur, & contra tantum extenſionis quantum ſubſtantiæ.

XVIII. Et hoc pacto rarefactionem acceſſu, condenſationem receſſu alienæ materiæ fieri, ſine ulla difficultate intelligimus, ſi modo advertamus cœlorum materiam, quæ valde fluida & ſubtilis eſt, atque ideo facile accedit & recedit, omnia in terris corpora pervadere atque replere in-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

tervalla eorum. Ut corpora communiter rara ſint atque mole ſive modo extenſionis aucta, quæ multum, denſa atque mole ſive modo extenſionis diminuta, quæ parum in ſe cœleſtis materiæ habent, ut infiniti nos effectus docent æſtate & hyeme, quin omni tempore, quando calor rara, frigus denſa corpora facit.

XIX. *Quantitatem quæ corporis ſubſtantiam conſtituit, non diſtingui à corpore, & quo pacto per errorem diſtinguatur.*

Sequitur ſecundo quantitatem & extenſionem etiam non debere diſtingui à ſubſtantia corporis, quæ per ſe ipſam quanta ſive extenſa intelligitur. Ut ſi ſupponatur quantitas continua decem pedum, pariter debeat decem pedum ſubſtantia ſupponi, & contra ſi hæc ſubſtantia ſupponatur, iſta debeat quantitas ſupponi.

XX. Quanquam communiter in hoc etiam erremus, quando non tam rem ipſam quam nomina & conceptus ſpectamus, atque modum extenſionis, qui in uno corpore atque una quantitate poteſt diverſus eſſe ut ſunt figuræ diverſæ, confundimus cum extenſione abſolute & in ſe ſpectata quæ eadem in uno corpore intelligitur, quamvis modus extenſionis diverſus atque multiplex & diverſa poſſit figura eſſe.

XXI. Qua ratione poſſumus generalem conceptum cujuscunque quantitatis habere, non ſolum in longitudine, ut *ulna*, vel latitudine ut *jugerum*, verum etiam craſſitie, ut ſi dicam ***bicubitum***, ***tricubitum***, ***pes***, ***digitus***, intelligendo ſolidum ut geometræ loquuntur. Quæ nomina, quatenus modum & menſuram extenſionis ſignificant conſuetudine ſermonis ad quem ſe Ariſtotelici accommodant, videntur quid diverſum à ſubſtantia corporea ſignificare, ut certe iſte præciſe modus & menſura iſta, quam propria & abſtracta ſignificatio comprehendit, eſt quid diverſum.

XXII.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

XXII. Atque ſimiliter fere generalis conceptus & proprium nomen cujusque numeri eſt, puta *duo*, *tria*, *denarius*, *ternarius*, quæ neque rerum quas numeramus, neque ſubſtantiæ in rebus nomina ſunt. Atque ideo philoſophi numerum etiam à rebus diſtinguunt quas numeramus, ſtatuuntque eam quantitatem quæ ut accidens in categoriis ſpectatur, primum continuam eſſe, *lineam*, *ſuperficiem*, *corpus*, deinde diſcretam, *numerum* ſcilicet, qui ita abſtractus, numerus numerans vocatur, quia eo utimur in ſermone & cogitatione ad numerandum diſcreta, ſicut linea, ſuperficie, & corpore utimur ad menſurandum continua.

XXIII. Attamen hoc ipſum numeri exemplum inſignem in his errorem detegit. Quia facile intelligimus numerum in extantibus non poſſe extra res numeratas, neque adeo res illas absque ſuo numero eſſe. Quanquam aliud rerum, aliud numeri nomen ſit; quia alius conceptus, alia in cogitatis noſtris conſideratio eſt. Pariter ergo quantitas continua decem pedum, non poteſt eſſe extra corpus ea quantitate præditum & ſubſtantiam corporis. Atque attendenti manifeſtum ſit, cum corpore aliquo ſaltem & cum ſubſtantia alicujus corporis, hanc quantitatem per omnia idem eſſe, neque adeo poſſe hoc ipſum corpus ſine hac ſuâ quantitate, non hanc quantitatem ſine hoc ſuo corpore eſſe: ſi modo res ipſa ſpectetur, de qua quæſtio eſt quando quærimus, in quo poſita natura corporis ſive materiæ ſit.

XXIV. Atque hoc adeo verum eſt, ut illi qui videri volunt aliud ſentire, confirment nos: quia cum ſubſtantiam corporis & materiæ â ſua quantitate diſtinguunt, partim nihil intelligunt per nomen ſubſtantiæ, quando dicunt materiam eſſe *non ens & puram potentiam*, partim confuſam ſubſtantiæ incorporeæ ideam habent, materiæ eſſentiam ſi-

ve

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

ve ſubſtantiam, atque corpori *ſubſtantialem*, ut loquuntur, *formam* tribuentes, quæ ipſa per ſe non quanta faciat ut unumquodque corpus nihilominus quantum ſit, per hoc reale accidens, ut fingunt.

XXV. *Nomina loci & ſpatii non ſignificare aliquid diverſum à corpore, & quis error lateat in communi opinione, quod locus & ſpatium tam poſſint ſine corpore quam cum corpore eſſe.*

Sequitur tertio, Poſita ſola per ſe quantitate ſive extenſione, corpus poni ſive omnem ſubſtantiam corporis, qua res per ſe ſubſiſtens eſt. Quanquam plurimi etiam hanc veritatem non admittant: quia ubi nihil aliud eſſe intelligimus quàm extenſionem in longum, latum & profundum, non ſolemus dicere, ibi eſſe corpus ſed tantummodo ſpatium, quod inane & multorum opinione nihil eſt.

XXVI. Hic vero iterum nomina & conceptus imponunt nobis, quando ex iis judicium de rebus ipſis formamus. Quandoquidem res ipſa ſi ſpectetur, ut in hac quæſtione oportet, extenſio in longum, latum & profundum quæ ſpatium conſtituit, eadem plane eſt cum extenſione quæ corpori tribuitur: quia eadem utriuſque notio ſive definitio eſt, ſi modo ut in ſpatio nuda & per ſe ſpectatur, ita eam in corpore ſpectemus, ſepoſitis formis, modis & accidentibus, quibus unum extenſum ſive corpus ab alio diſtinguitur. Ut ſi in cubo ligneo, ſepoſitâ ligni forma & accidentibus ſepoſitis, ſola per ſe cubica extenſio ſpectetur, attendenti manifeſtum ſit, hanc ab æquali ſpatio diverſam non intelligi. Quo argumento Ariſtoteles concludit, ſpatia non dari in quibus penetrando per ea corpora ſint mole ſive extenſione diverſa à ſpatiis, quæ aliorum philoſophorum ſententia erat. *Quonam* inquit *cubi moles* τὸ τοῦ κύβου σῶμα ὁ ὄγκος τοῦ ξυλίνου κύβου *ab æquali ſpatio differet? & ſi duæ fuerint, cur quotcunque volueris in eodem non erunt?*

Quia

Quia (quod paulo ante dixerat) *cubum æquale vacui ſpatium occupare, videtur perinde ac ſi aqua ligneo cubo non cederet, neque aer, ſed omnia penetraret.* IV. Phyſ. cap. 8.

XXVII. Qua ratione perſpicuè intelligimus univerſum quod eſt ſpatium, univerſam quæ eſt extenſionem comprehendere; quam vidimus univerſæ naturæ corporeæ ſubſtantiam eſſe. Et hæc notio ſpatii indefiniti eſt, quod vocant infinitum qui ſpatia à corporibus diſtinguunt. Intelligimus præterea, ſpatium hoc vel illud univerſæ extenſionis portionem eſſe, quatenus illi ſecundum cogitationem noſtram, magnitudinem, figuram certumque inter ea quæ circumſtant ſitum aſſignamus. Hæc vero à magnitudine, figura & ſitu corporum à parte rei diverſa non ſunt: quanquam non cogitando de formis corporum, quando ita de ſpatio cogitamus, videantur diverſa eſſe.

XXVIII. Quibus ita animadverſis, extenſio ſpatii atque adeo ipſum ſpatium eo fere modo ſe habet ad corpus & ſubſtantiam corpoream, quo quantitas Geometrica quæ etiam poſita in extenſione eſt. Nam & geometræ quantitatem primum univerſim & ſine termino, poſtea ſecundum partes & terminos ſpectant, atque his magnitudinem, figuram & ſitum ſive poſitionem inter alia aſſignant, quando loquuntur de triangulo, circulo, globo, cubo &c. quæ tam alicujus ſpatii definiti, quam definitæ quantitatis nomina ſunt. Horum omnium intellectus pariter fundatus in rebus exiſtentibus eſt quæ corpora ſunt, à quibus tam ſpatii definiti, quam definitæ quantitatis notio abſtracta eſt. Ut ſi corpora non eſſent, ne eſſet quidem ullus horum intellectus in nobis, neque adeo veritas vel exiſtentia ulla extra nos, non triangulus, non circulus, non globus, non cubus, non ullum tale ſpatium, non talis locus ullus.

XXIX. Differunt tamen nomina Loci & ſpatii, quate-

nus locus magis expereſſe deſignat ſitum ſive poſitionem unius corporis inter alia, quam magnitudinem & figuram; & contra magis ad magnitudinem & figuram attendimus, quando loquimur de ſpatio: Quod multis poſſet exemplis confirmari ex communi conſuetudine ſermonis.

XXX. Differentia alia & præcipua, quæ novam notionem parit de qua hactenus dictum non eſt, in eo conſiſtit, quod ſpatium quidem ſemper pro extenſione in longum, latum & profundum, locus etiam ſæpe pro ſuperficie ſumatur quæ proxime ambit locatum. Et hinc orta eſt diſtinctio loci in internum & externum.

XXXI. Secundum hanc alteram notionem locus ab Ariſt. definitur IV. Phyſ. cap. 4. τὸ τοῦ περιέχοντος πέρας ἀκίνητον, *proximus & immobilis ambientis terminus*. Quem terminum ambientis Ariſt. pulchre dicit concipi debere *ut vas immobile*, ſicut vas quaſi locus mobilis eſt. Neque ulla in hac definitione difficultas eſt, ſi modo advertamus, *immobilem* dici ambientis terminum ſecundum cogitationem ſive abſtractionem intellectus, prorſus ut ſpatium ſimiliter ut immobile ſpectatur. Quâtenus nos eam extenſionem ſive hoc extenſum quod in mundo eſt, quanquam moveatur revera in extantibus, ſine motu ſpectamus in cogitatis, & hoc pacto immobiles in eo terminos ſupponimus, & corpora alia quæ reſpicimus, ſine motu.

XXXII. Sive locus hoc pacto pro termino amqientis, ſive pro eo quod includitur ſpatio accipiatur, planum jam eſt, vacuum ſive inane non dari, in quo nulla plane ſit res, non corpus, non ſubſtantia corporea ulla. Siquidem in loco ut eſt terminus ambientis, ſpatium eſt quod includit, circumſcriptive ut loquuntur, atque eſt in ſpatio extenſio, quam continet, repletive. Adeoque ſpatium quod ab extenſione diverſum non intelligitur, dici poteſt ſe ipſo & corporea ſua ſubſtantia plenum.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

XXXIII. *Error in opinione de Vacuo & ſpatiis realibus vel imaginariis.*

Et recte dicitur tamen communi conſuetudine ſermonis, vacuum dari ſive inane, non quidem ſimpliciter & omnino vacuum, ſed ſecundum quid: eo quod ſæpe locus ſit in quo nulla ex iis rebus eſt quas in eo eſſe debere cogitamus, verbi cauſa aqua, vinum, oleum, in vaſe. Unde non ſequitur, fieri unquam poſſe ut omnino ſine corpore talis locus ſit, omnino ſine vera & reali quantitate ſive extenſione, quæ ſic propria corporis eſt ſive in extantibus ſive in cogitatis ſupponatur, ut non poſſit eſſe diverſa à corpore. Neque hic juvat quicquam, ſi *ſpatia* quæ à corporibus diſtinguimus, dicantur *imaginaria*. Quia hoc pacto unum errorem alio tegimus ne perpluat, ut communiter in tegendo atque excuſando mendacio contingit. Qui enim *ſpatia* ponunt *realia* cum vel ſine corpore quod ab iis diverſum ſit in extantibus, juxta illud Lucretii, *Natura duabus Conſiſtit rebus, quæ corpora ſunt & inane*, hi unam atque alteram contradictionem & abſurditatem admittunt, quibus tertia accedit, quando excipiunt hoc ſpatium tantum imaginarium eſſe.

XXXIV. Eſt inquam una & prima contradictio in notione *ſpatii realis* ſine corpore, quod vacuum ſive inane vocant: quia primum ponit, poſtea tollit corporis notionem, cogitando extenſum per ſe ſubſiſtens non eſſe corpus, ſed *locum ſeparatum* à corpore, τὸν τόπον κεχωρισμένον ut Ariſtoteles loquitur, quando contra hunc errorem diſputat. IV. Phyſ.

XXXV. Altera nova & ſecunda contradictio in notione *ſpatii realis* eſt, quando cogitatur ac dicitur in eo eſſe corpus, quod ab hoc ſpatio diverſum ſit. Quia hoc pacto unum extenſum in alio ſupponitur, atque ubi intelligitur

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

unum tantum, quod certe eſt extenſum corpus, alterum ab eo diverſum fingitur, ac ſi duo extenſa in uno ſint. Quem errorem hoc uno vidimus argumento refutatum ab *Ariſtotele* fuiſſe, quod nulla ratio ſit, ſi unum extenſum in altero eſt, extenſum corpus in ſpatio extenſo, cur quotcunque volueris non ſint.

XXXVI. His jam accedit tertia contradictio in notione *ſpatii imaginarii*, qua duæ priores tolli videntur, ac ſi in ea remedium erroris ſit. Tertia inquam contradictio eſt, imaginarium vocare illud ipſum de quo loquimur reale ſpatium extenſum, figuratum, & vacuum, vel plenum corpore, intra vel extra mundum, ubi ſine corpore ſupponitur intervalla & diſtantiam facere. Quæ ſingula, quando, ut fit, non aliter à parte rei quam in cogitatione ſupponuntur, ſine nova contradictione ſic dici non poſſunt imaginaria hæc ſpatia, ut ſimul realia non ſint. Eo prorſus modo quo domus quidem imaginaria eſt quæ ſupponitur & conſideratur præciſe tantum in cogitatis, idea domus nempe ſicut idea ſpatii; quæ ſola præciſe idea, proprie domus imaginaria, ſpatium imaginarium eſt: Hinc vero non ſequitur, domum, quæ extra hanc ideam ſupponitur (atque idem puta de ſpatio) imaginariam eſſe: quia modus eſſendi toto genere diverſus atque omnino oppoſitus eſt.

Diſputatio Philoſophica; Specimen exhibens Modeſtiæ & Prudentiæ in Philoſophando;

Ex Renati Deſcartes Diſſertatione de Methodo recte utendi ratione & veritatem in ſcientiis inveſtigandi, pauciſque aliis locis parallelis, habita Amſtelædami 1687. XIV. *Junii.*

I. MOdeſtia Renati Deſcartes major fuerit an ſcientia incertum, aliæque illius Laudes ex Epitaphio, quod

quod Vir illuſtris Petrus Chanut in perpetuam ut loquitur memoriam amici chariſſimi Renati Deſcartes poni curavit.

Noverint poſteri qualis vixerit Renatus Deſcartes, ut cujus doctrinam olim ſuſpicient, mores imitentur. Poſt inſtauratam à fundamentis Philoſophiam, apertam ad penetralia Naturæ mortalibus viam, novam, certam, ſolidam, hoc unum reliquit incertum, major in eo Modeſtia eſſet an Scientia. Quæ vera ſcivit verecunde affirmavit, falſa, non contentionibus, ſed vero admoto refutavit. Nullius antiquorum obtrectator. Nemini viventium gravis. Invidorum criminationes purgavit innocentia morum. Injuriarum negligens. Amicitiæ tenax. Quod ſummum tandem eſt, ita per Creaturarum Gradus ad Creatorem eſt conatus, ut opportunus Chriſto Gratiæ auctori in avita religione quieſceret.

II. Tarda & Moderata ingenia pluris facit Carteſius, & plus proficere putat, quam nimis prompta & calida. Poteſtque hoc totum quod de virtute & vitio notat, pariter de Intellectuali & Morali virtute ac vitio accipi: Quandoquidem utroque modo excelſiores animas plus nocere vitiis poſſe quæ virtutem comitantur ſive in intellectu ſive in voluntate, quam junctis cum vitio virtutibus prodeſſe, experientia docet. Diſſertatione de Methodo ſect. 1. §. 1.

Ingenio pollere haud ſufficit, ſed eodem recte uti palmarium eſt. Excelſiores animæ, ut majorum virtutum, ita & vitiorum capaces ſunt. Et plus promovent qui rectam perpetuo viam inſiſtentes lentiſſimo tantum gradu incedunt, quam qui ſæpe aberrantes celerius gradiuntur.

III. Quia non multum fidit ingenio ſuo, Meth. ſect. 2. §. 2. Planas tantum & faciles vias eſt ſequutus, atque per ipſas modeſte putat plus ſe profeciſſe quam alii majori ingenio præditi per ſalebroſas & impenetrabiles. Appendice Medit. pag. 151. verſus finem.

Ego ſane nunquam exiſtimavi plus eſſe in me ingenii quam in quolibet è vulgo; quinimo etiam non raro, vel cogitandi celeritate, vel diſtincte imaginandi facilitate, vel memoriæ capacitate atque uſu quosdam alios æquare exoptavi: nec ullas alias ab his dotes eſſe novi quibus ingenium

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

nium præſtantius reddatur. —— *Ego vero contra reſpondeo me quidem mihi nihil arrogare, nec profiteri me plus videre quam ceteros* [*viros* ut objecerat *ingenioſiſſimos, qui opiniones receptas in ſcholis ſequuti ſunt*] *ſed hoc forte mihi profuiſſe, quod cum proprio ingenio non multum fidam, planas tantum & faciles vias ſim ſequutus: Nam ſi quis per ipſas magis promoveat, quam alii multo majori ingenio præditi per ſalebroſas & impenetrabiles illas quas ſequuntur, non eſt mirandum.*

IV. Modeſte loquitur de fructu, & voluptate quam percepit ex progreſſu, quem ſe feciſſe arbitratur in veritatis indagatione. Atque ſuam hanc occupationem in ſtudio veritatis, inter occupationes numerat eorum qui Meri Homines ſunt. Sic tacite ſupponens ſive concedens, poſſe in homine aliquid plus quam humanum ſive divinum eſſe, cujus acceſſio occupationem parit, quæ fructum in ſe majorem & voluptatem magis ſolidam habet. Meth. Sect. 1. §. 3.

Jam enim ex ea [Methodo recte utendi ratione, ea rectitudine, quæ Philoſophum facit] *tales fructus percepi, ut quamvis de me ipſo ſatis demiſſe ſentire conſueverim, & dum varias hominum curas oculo Philoſophico intueor* [ita paſſim oculum ſive intellectum Philoſophicum ab intellectu communi diſtinguit, ſi non expreſſe ſaltem tacite] *vix ullæ unquam occurrant quæ non vanæ & inutiles videantur, non poſſim quin dicam, me ex progreſſu quem in veritatis indagatione jam feciſſe arbitror ſumma voluptate perfundi, talemque de iis quæ mihi quærenda reſtant Spem concepiſſe, ut ſi inter occupationes eorum qui Meri Homines ſunt* [*purement hommes* Gall.] *quædam ſolide bona & ſeria* [*ſolidement bonne & importante* Gall.] *detur, credere auſim, illam eandem eſſe quam elegi.*

V. Methodi hujus fructum & ſuavitatem ad hanc vitam reſtringit quæ ſupponitur vita Meri Hominis eſſe; atque etiam data occaſione mentionem facit *Vitæ* alterius, quæ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

quæ niſi ſupponatur, quando ita expreſſe vitæ alterius mentionem non facit, pronomen *Hæc* cum nomine *Vita* junctum, ita commodum ſenſum non haberet. Meth. Sect. III. §. 5. Partis III. Princip. Philoſ. §. 51. Et in fine Tertiæ Meditationis.

Diverſas occupationes quibus in Hac Vita homines vacant aliquandiu expendi, atque ex iis optimam [hoc eſt ſi non ſolide bonam ſaltem minus vanam & inutilem. Sect. I. §. 3.] eligere conatus ſum. Sed non opus eſt, ut quid de aliis mihi viſum ſit, hic referam: dicam tantum nihil me inveniſſe, quod pro me ipſo melius videretur quam ſi in eodem inſtituto in quo tunc eram perſeverarem, hoc eſt, quam ſi totum vitæ tempus in ratione mea excolenda atque in veritate juxta Methodum quam mihi præſcripſeram inveſtiganda conſumerem. Tales quippe fructus hujus Methodi jam deguſtaveram, ut nec ſuaviores ullos, nec magis innocuos in Hac Vita decerpi poſſe arbitrarer. —— Sed tertii cœli conſideratio non eſt hujus loci, quia nullo modo à nobis ſpectari poteſt in Hac Vita, & de mundo tantum adſpectabili tractamus. — Ut enim in hoc ſola divinæ majeſtatis contemplatione ſummam Alterius Vitæ felicitatem conſiſtere fide credimus, ita etiam jam ex eadem, licet multo minus perfectâ, maximam cujus in hac vita capaces ſimus, voluptatem percipi poſſe experimur.

Eâ ipſa Modeſtia, qua fuerat uſus in principio Diſſert. de Meth. Sect. I. §. 4 utitur quoque in fine Meditationum, atque etiam [ita ubique ſibi ſimilis eſt] in fine Princip. Philoſ. part. IV. §. ultimo.

Me vero fortaſſe fallit opinio, nec aliud eſt quam orichalcum & vitrum quod pro auro & gemmis hic vendito. Novi quam proclives ſimus in errorem, cum de nobis ipſis judicamus, & quam ſuſpecta nobis eſſe debeant amicorum teſtimonia cum nobis favent. Sed in hoc libello declarare inſtitui quales vias in quærenda veritate ſequutus ſim, & vitam omnem meam tanquam in tabella delineare, ut cuilibet ad reprehendendum pateat acceſſus, & ipſe poſt tabulam deliteſcens liberas hominum voces in mei ipſius emendationem exaudiam, atque hunc adhuc diſcendi modum cæteris quibus uti ſoleo adjungam. —— Sed quia rerum agendarum neceſſitas non ſemper tam accurati examinis moram concedit, fatendum

tendum eſt, humanam vitam circa res particulares ſæpe erroribus eſſe obnoxiam, & naturæ noſtræ infirmitas eſt agnoſcenda. —— At nihilominus memor meæ tenuitatis nihil affirmo. Sed hæc omnia tum Eccleſiæ Catholicæ auctoritati, tum prudentiorum judiciis ſubmitto, nihilque ab ullo credi velim niſi quod ipſi evidens & invicta ratio perſuadebit.

VII. Concluſionem adeò modeſtam Principiorum Philoſophiæ, modeſta diſtinctio antecedit certitudinis, quam non unam & ſimplicem omnino fallere neſciam, ac ſi hæc ſola digna Philoſopho ſit, ſed triplicem facit, 1 Poſſibilitatis 2 magnæ Veriſimilitudinis 3 abſolutæ Neceſſitatis. Quam triplicem certitudinem Philoſophi communiter Phyſicam, Moralem & Metaphyſicam vocant, quatenus hæ tres diſciplinæ ſic ſuo ſingulæ gradu certitudinis diſtinguuntur, quo videntur ſubſiſtere poſſe. Partis IV. Princ. Philoſ. §. 104. 105. 106.

At quamvis hoc pacto forte intelligatur quo modo res omnes naturales fieri potuerint, non tamen ideo concludi debet ipſas revera ſic factas eſſe. Nam quemadmodum ab eodem artifice duo horologia fieri poſſunt, quæ quamvis horas æque bene indicent & extrinſecus omnino ſimilia ſint, intus tamen ex valde diſſimili rotularum compage conſtant, ita non dubium eſt quin ſummus rerum opifex omnia quæ videmus pluribus diverſis modis potuerit efficere. Quod equidem verum eſſe libentiſſimè concedo, ſatiſque à me præſtitum putabo, ſi tantum ea quæ ſcripſi talia ſint ut omnibus naturæ phænomenis accurate reſpondeant —— Atque Ariſtoteles libro 5 Meteor. cap. 7. expreſſe teſtatur, de iis quæ ſenſui non ſunt manifeſta, ſe putare ſufficientes rationes & demonſtrationes afferre, ſi tantum oſtendat ea ita fieri poſſe, ut à ſe explicantur. Sed tamen ne qua veritati fraus fiat, Conſiderandum eſt, quædam eſſe, quæ habentur certa moraliter, quantum ſufficit ad uſum vitæ, quamvis ſi ad abſolutam Dei potentiam referantur, ſint incerta, Ut exempli gratia ſiquis legere velit epiſtolam —— Præterea quædam ſunt etiam in rebus naturalibus quæ abſolute ac plus quam moraliter certa exiſtimamus, hoc ſcilicet innixi Metaphyſico fundamento, quod Deus ſit ſumme bonus & minime fallax, atque ideo facultas quam nobis dedit ad verum à falſo

à falſo dijudicandum, quoties ea recte utimur & quid ejus ope diſtinctè percipimus, errare non poſſit. Tales ſunt Mathematicæ demonſtrationes; talis eſt cognitio quod res materiales exiſtant; & talia ſunt evidentia omnia ratiocinia quæ de ipſis fiunt. In quorum numerum fortaſſis etiam hæc noſtra recipientur ab iis qui conſiderabunt —— Vix aliter quam à me explicata ſunt intelligi poſſe videntur.

VIII. Expoſiturus quales vias in quærenda veritate fuerat ſequutus, primum ſalebroſas & impenetrabiles ſtudio literarum, deinde planas & faciles, ſtudio meditationis in ſe ipſo, quod cum ſtudio in vaſto mundi volumine junxit; prudenter monet & ſerio inculcat [metuens & præſagiens perverſam quæ nihilominus ſequuta fuit interpretationem] ſe nihil in his aliud quam Hiſtoriæ narrationem promittere, non præcepta dare, ſive Methodum tradere quam unusquiſque ſequi debeat, ut faciunt, qui vel univerſim de ratione ſtudii commentarios ſcribunt, vel ſpeciatim Logicam tractant, putantque unam tantum veram Logicam eſſe, quæ omnem in nobis uſum rationis comprehendat. Meth. Sect. 1. §. 5.

Ne quis igitur putet me hic traditurum aliquam Methodum quam unusquiſque ſequi debeat ad recte regendam rationem; illam enim tantum quam ipſemet ſequutus ſum [in philoſophando ſcilicet, quæ Philoſophi perſona cum perſona hominis confundenda non eſt] *exponere decrevi. Qui aliis præcepta dare audent, hoc ipſo oſtendunt ſe ſibi prudentiores iis quibus ea præſcribunt videri; ideoque ſi vel minima in re fallantur, magna reprehenſione digni ſunt. Cum autem hic nihil aliud promittam quam hiſtoriæ vel ſi malitis fabulæ narrationem, qua inter nonnullas res quas non inutile erit imitari, plures aliæ fortaſſe erunt quæ fugiendæ videbuntur; ſpero illam aliquibus ita eſſe profuturam, ut nemini interim nocere poſſit, & omnes aliquam ingenuitati meæ gratiam ſint habituri.*

IX. Certam & evidentem cognitionem eorum quæ ad vitam utilia ſunt, quam literarum ſtudio acquiri poſſe à præceptoribus audiverat, non inveniens, credit illam hactenus inventam non eſſe. Neque tamen ſcholarum ſtudia id-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

circo comtemnit, ac ſi omnino non ſit in iis ulla utilitas, non veritas ulla, quia ea quam ante omnia quærebat certa & evidens ſcientia, & vera in iis philoſophia non eſt. Idcirco ſuam cuique ſtudio tribuens & relinquens utilitatem, hanc tantam ſibi viſam non fuiſſe memorat, ut vel ad perſequendum ea quibus operam dederat, vel ad excolendum ea quibus hactenus non vacaverat, impellere ipſum potuerint. Diſſert. de Meth. Sect. 1. §. 7. & 8.

Ab ineunte ætate ad literarum ſtudia animum adjeci, & quoniam à præceptoribus audiebam illarum ope certam & evidentem cognitionem eorum omnium quæ ad vitam utilia ſunt acquiri poſſe, incredibili deſiderio diſcendi flagrabam. Sed ſimul ac illud ſtudiorum curriculum abſolvi — plane aliud cæpi cogitare. Tot enim me dubiis totque erroribus implicatum eſſe animadverti — Attamen tunc degebam in una ex celeberrimis totius Europæ ſcholis, in qua, ſicubi in univerſo terrarum orbe doctos viros eſſe cogitabam, — Quæ omnia mihi audaciam dabant de aliis ex me judicandi, & credendi nullam in mundo dari ſcientiam parem illi cujus ſpes facta mihi erat. Non tamen idcirco ſtudia omnia, quibus operam dederam in ſcholis, negligebam [non deſinebam æſtimare Gall.) Fatebar enim linguarum peritiam quæ ibi acquiritur ad veterum ſcripta intelligenda requiri. Artificioſas fabularum narrationes, — Caſus hiſtoriarum memorabiles. — Omnem denique bonorum librorum lectionem. – Eloquentiam. — Poeſin. — Mathematicas diſciplinas — ſcripta de moribus — Theologiam — Philoſophiam --- juriſprudentiam & ſcientiarum reliquas honores & divitias .-- Verum jam ſatis temporis linguarum ſtudio & lectioni .—.

X. Veritates à Deo revelatas, quas Theologia comprehendit, non audet examini ſubjicere imbecillæ rationis, quæ eſt ratio communis omnium hominum ſine auxilio ſpecialis gratiæ, qua quis plus quam merus homo eſt. Meth. Sect. 1. §. 12. Atque hac de cauſa ſe nunquam miſcuit ſtudiis Theologicis. Reſponſ. Sextarum §. 5. Et putat Theologiam cum philoſophia nimis arcte conjungendam non eſſe, vel philoſophiam, quatenus humana tantum ſcientia eſt, ex Scriptura eliciendam. Parte ſecunda Epiſt. 100.

Theo-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

Theologiam noſtram reverebar, nec minus quam quivis alius beatitudinis æternæ compos fieri exoptabam. Sed cum pro certo atque explorato accepiſſem, iter quod ad illam ducit, Doctis non magis patere quam indoctis, veritateſque à Deo revelatas humani ingenii captum excedere, verebar ne in temeritatis crimen inciderem, ſi illas imbecillæ rationis meæ examini ſubjicerem. Et quicunque iis recognoſcendis atque interpretandis vacare audent, peculiari ad hoc Dei gratia indigere & ſupra vulgarium hominum ſortem poſiti eſſe debere mihi videbantur (eſtre plus qu'hommes Gall.) --- Nunquam me ſtudiis Theologicis immiſcui, niſi quatenus ad privatam meam inſtitutionem conferebant, nec tantum in me divinæ gratiæ experior, ut ad illa ſacra vocatum putem.--- Duo ſunt in ejus propoſito quibus omnino adſtipulari nequeo. Unum eſt, quod Religionem & veritates Revelatas cum ſcientiis lumine naturali comparandis nimis arcte conjungere videatur; (conjungi poſſe admittimus, ſed Ne quid nimis) *alterum quod imaginetur ſcientiam quandam univerſalem quam poſſint adoleſcentes ante viceſimum quartum ætatis annum intelligere & addiſcere. Qua in re mihi non videtur animadvertere magnum eſſe diſcrimen inter veritates acquiſitas & revelatas.--- Denique quamvis teneamur cavere ne noſtra nobis ratiocinia quicquam perſuadeant quod adverſetur iis quæ Deus juſſit nos credere; ſi quis tamen ex Scriptura velit elicere rerum ad ſcientias tantum humanas pertinentium & ſalutem noſtram non ſpectantium cognitionem, puto illum adhibere Scripturam ad finem à Dei fine diverſum atque illâ proinde abuti.* Ita utrumque in his extremum vitare docet, unum quod Philoſophiæ, alterum, quod Scripturæ inſignem poſt ſe abuſum trahit.

XI. Ea quæ traduntur Quarta Meditatione de vero & falſo, atque univerſim de clara & diſtincta perceptione, ad quam, ceu normam, omnino certum atque indubitatum veri & falſi debeat judicium referri, prudenter reſtringit ad ſpeculativas & ſolius luminis naturalis ope cognitas veritates. Vide Meditationis quartæ Synopſin ſive argumentum, cujus hic verba allegamus.

In quarta probatur ea omnia quæ clare & diſtincte percipimus eſſe vera, ſimulque in quo ratio falſitatis conſiſtat explicatur: quæ neceſſario ſciri debent [in prima philoſophia non ita vero extra eam] *tam ad*

præcedentia firmanda, quam ad reliqua intelligenda. Sed ibi interim eſt advertendum, nullo modo agi de peccato vel errore qui committitur in perſequutione boni & mali, ſed de eo tantum qui contingit in dijudicatione veri & falſi: Nec ea ſpectari quæ ad Fidem pertinent [ſive divinam, ſive humanam] *vel ad vitam agendam, ſed tantum ſpeculativas & ſolius luminis naturalis ope cognitas veritates.*

XII In hac ipſa Quarta Med. determinata ad verum vel bonum propenſio Voluntatis duplex conſideratur, una quam naturalis cognitio, altera quam divina gratia parit, ſic Deo diſponente intima cogitationis ut propenſa voluntas ſit. Med. pag. 28.

Neque enim opus eſt me in utramque partem ferri poſſe ut ſim liber, ſed contra, quo magis in unam propendeo, ſive quia rationem veri & boni evidenter in ea intelligo, ſive quia Deus intima cogitationis meæ ita diſponit, [ut ſim propenſus] *tanto liberius illam eligo; nec ſane divina gratia, nec naturalis cognitio unquam imminuunt libertatem ſed potius augent & corroborant.* Determinationis autem quam in nobis Ratio facit ſive naturalis cognitio, illuſtre exemplum daturus, ſic poſtea pergit: *Exempli cauſa, cum examinarem hiſce diebus an aliquid in mundo exiſteret, atque adverterem ex hoc ipſo quod illud examinarem evidenter ſequi me exiſtere, non potui quidem non judicare illud quod tam clare intelligebam verum eſſe, non quod ab aliqua vi externa fuerim ad id coactus, ſed quia ex magna luce in intellectu magna conſequuta eſt propenſio in voluntate , atque ita tanto magis ſponte & libere illud credidi , quanto minus fui ad iſtud ipſum indifferens.*

XIII. Divina Gratia intima cogitationis diſponens ad volendum, ſupernaturalis vocatur, tribuiturque illi lumen internum ſupernaturale , omni naturæ lumine certius & ſæpe etiam evidentius. Reſp. Sec. Sect. 4.

Notandum eſt claritatem ſive perſpicuitatem à qua moveri poteſt noſtra voluntas ad aſſentiendum, duplicem eſſe , aliam ſcilicet à lumine naturali, aliam à gratia divina. Jam vero etſi fides vulgo dicatur eſſe de obſcuris, hoc tamen intelligitur tantum de re ſive de materia circa quam verſatur, non autem quod ratio formalis propter quam rebus fidei aſſen-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

aſſentimur ſit obſcura. Nam contra hæc ratio formalis conſiſtit in lumine quodam interno, quo à Deo ſupernaturaliter illuſtrati confidimus [non dicit clare & diſtinƈte intelligimus] *ea quæ credenda proponuntur ab ipſo revelata, & fieri plane non poſſe, ut ille mentiatur, quod omni naturæ lumine certius eſt, & ſæpe etiam propter lumen gratiæ evidentius. —— Nec etiam ii qui mea legent, putare poterunt me iſtud lumen ſupernaturale non agnoviſſe, cum valde expreſſis verbis in ipſa Quarta Med. in qua cauſam falſitatis inveſtigavi, dixerim, illud intima cogitationis noſtræ diſponere ad volendum, nec tamen minuere libertatem.*

XIV. Tantum haƈtenus non confidebat ingenio ſuo, ut aliquid in Philoſophia melius, ſive certius & evidentius, à ſe inveniri poſſe ſperaret quam inventum fuit à viris doƈtis præſtantiſſimiſque ingeniis. Meth. Seƈt. 1. §. 13.

De Philoſophia nihil dicam, niſi quod cum ſcirem illam à præſtantiſſimis omnium ſeculorum ingeniis fuiſſe excultam, & nihil tamen adhuc in ea reperiri de quo non in utramque partem diſputetur, hoc eſt, quod non ſit dubium & incertum, non tantum ingenio meo confidebam, ut aliquid in ea melius à me quam à cæteris inveniri poſſe ſperarem. Et cum attenderem quot diverſæ de eadem re opiniones ſæpe ſint, quarum ſingulæ à viris doƈtis defenduntur & ex quibus tamen nunquam plus unâ vera eſſe poteſt, quicquid ut probabile tantum affertur propemodum pro falſo habendum eſſe exiſtimabam.

XV. Reliƈto omni literarum ſtudio ſcientiam in vaſto mundi volumine quærit; atque quadruplicem inde ſe narrat fruƈtum percepiſſe, modeſte & prudenter. Primum cum hominibus diverſi ordinis magis quam antea fecerat converſando, atque ad ea quæ inter peregrinandum occurrebant attendendo, varia hinc inde experimenta collegit; deinde in ratiocinationibus quibus ſinguli homines ad ſua negotia utuntur, multo plus deprehendit veritatis, quam in literatorum ſive doƈtorum abſtraƈtis ratiociniis; Porro in ea quam deprehenderat morum diverſitate plus certi non inveniens, quam antea in opinionibus philoſopho-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

rum, didicit nihil nimis obſtinatè eſſe credendum quod ſolum exemplum vel conſuetudo perſuaſerit. Atque hoc pacto [qui fructus quartus & præcipuus fuit] multis ſe erroribus liberabat, & veritati agnoſcendæ mentem ſuam aptiorem reddebat. Meth. Sect. 1. §. 15. 16.

Quapropter ubi primum mihi licuit per ætatem è præceptorum cuſtodia exire, literarum ſtudia prorſus reliqui: captoque conſilio nullam in poſterum ſcientiam quærendi, niſi quam vel in me ipſo vel in vaſto mundi volumine poſſem reperire, inſequentes aliquot annos variis peregrinationibus impendi. Atque interea temporis exercitus, urbes, aulaſque exterorum principum inviſendo, cum hominibus diverſorum morum & ordinis converſando, varia hinc inde experimenta colligendo --- ſic ad omnia quæ in vita occurrebant attendebam, ut nihil ex quo eruditior fieri poſſem mihi viderer omittere. Quippe multo plus veritatis inveniri arbitrabar in ratiocinationibus quibus ſinguli homines ad ſua negotia utuntur --- quam in iis quas doctor aliquis otioſus (un homme de lettres Gall.) in muſæo ſedens excogitavit circa entia rationis. --- Ac ſemper ſcientiam verum à falſo diſtinguendi ſummo ſtudio quærebam. Fateor tamen me vix quicquam certi didiciſſe quandiu ſic tantum aliorum hominum mores conſideravi; tot enim in iis propemodum diverſitates animadvertebam quot antea in opinionibus Philoſophorum. Atque hunc tantum fere fructum ex iis percipiebam, quod cum notarem multa eſſe quæ licet moribus noſtris plane inſolentia & ridicula videantur, communi tamen aſſenſu apud alias gentes comprobantur, Diſcebam nihil nimis obſtinate eſſe credendum quod ſolum exemplum vel conſuetudo perſuaſerit. Et ita ſenſim multis me liberabam erroribus mentemque veris rationibus agnoſcendis aptiorem reddebam (in Gallico, erroribus qui naturæ lumen poſſunt obſcurare & nos minus aptos facere ut rationi attendamus, d'entendre raiſon Gall.

XVI. Veram quam quærebat ſcientiam non inveniens ſic ad ea quæ in vita occurrebant attendendo extra ſe, quod eſt in vaſto mundi volumine ſtudere; meditando ſive ad ea quæ mens intra ſe agit attendendo, ſtudere in ſe ipſo incipit: poſtquam ex ſtudio in vaſto mundi volumine eum de quo diximus fructum perceperat. Meth. Sect. 1. §. 16.

Sed

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

Sed poſtquam ſic aliquandiu quidnam in mundo ab aliis ageretur inſpexiſſem & nonnulla inde experimenta collegiſſem, ſemel etiam mihi propoſui me ipſum examinare (Gall. d'eſtudier en moy meſme) & omni ingenii vi, quidnam à me optimum fieri poſſet inquirere. Quod felicius, ut opinor, mihi ſucceſſit, quam ſi prius nec à patriâ nec à ſcolaſticis ſtudiis receſſiſſem.

XVII. Attenta meditatione incipiens in ſe ipſo ſtudere in ſolitudine, primam & præcipuam ſe narrat cauſam detexiſſe imperfectionis, tum in ſcientiis quæ libris continentur, quatenus ex variis diverſorum hominum ſententiis ſimul collectis conflatæ ſunt, exemplo ædificiorum & urbium antiquarum, quæ ſimiliter exſtructæ ſunt; tum in ea cognitione quam quiſque apud ſe invenit, partim ſuo qualicunque judicio formatam toto vitæ tempore, partim acceptam ab aliis, exemplo Populorum & Rerumpublicarum. Meth. Sect. II. §. 1. Hujus vero ſectionis argumentum his verbis expreſſum eſt, *Præcipuæ illius Methodi quam inveſtigavit Auctor, regulæ.* Has ſe regulas narrat meditando ſive ſtudendo in ſeipſo inveniſſe. Quod ita expreſſe monemus, quia hæc ipſi viſa eſt via plana & facilis ad ſcientiam quam quærebat ſublimiorem & certiorem, in quo, *qui operam collocarunt, Philoſophi ſpeciatim vocati ſunt.* Hujus philoſophicæ & ſublimioris ſcientiæ reſpectu, eam omnem, quam hactenus ex literarum ſtudio & ſtudio in vaſto mundi volumine acceperat cognitionem, *vulgarem & imperfectam avocat*, in Præfatione Principiorum Philoſophiæ.

Eram tunc in Germania quo me curioſitas videndi ejus belli quod nondum hodie finitum eſt invitarat. Et cum ab inauguratione Imperatoris verſus caſtra reverterer, hyemandum forte mihi fuit in quodam loco, ubi quia nullos habebam cum quibus libenter colloquerer & proſpero quodam fato omnibus curis liber eram, totos dies ſolus in hypocauſto morabar, ibique variis Meditationibus placidiſſime vacabam.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

bam. Et inter cætera primum fere quod mihi venit in mentem, fuit, ut notarem illa opera quibus diverſi artifices inter ſe non conſentientes manum adhibuere, raro tam perfecta eſſe quam illa quæ ab uno abſoluta ſunt. Ita videmus ædificia quæ ab eodem architecto incœpta & ad ſummum uſque perducta fuere, ut plurimum elegantiora eſſe & concinniora, quam illa quæ diverſi diverſis temporibus novos parietes veteribus adjungendo conſtruxerunt. Ita antiquæ illæ civitates --- Ita etiam putare licet illos populos, qui cum olim valde barbari & inculti fuiſſent, non niſi ſucceſſu temporis urbanitatem adſciverunt - non tam bene inſtituta Republica ſolere uti, quam illos qui à primo initio quo congregati ſunt prudentis alicujus Legiſlatoris conſtitutiones obſervarunt. Sic certè non dubium eſt quin ſtatus veræ Religionis, qui legibus à Deo ipſo ſancitis gubernatur --- Eodem modo mihi perſuaſi ſcientias quæ libris continentur --- Eodemque etiam modo putavi quoniam infantes omnes ante fuimus quam viri --- jam fieri vix poſſe ut judicia noſtra tam recta ſint & firma, quam ſi ratio in nobis æque matura atque nunc ab ineunte ætate extitiſſet, eique ſoli nos regendos tradidiſſemus.

XVIII. Inventa mali cauſa, de Remedio cogitat, atque ſic porro meditando invenit Remedium quod judicat optimum fore, privatam ſuarum opinionum emendationem ſive inſtaurationem quod attinet, quam putat à primis fundamentis faciendam eſſe, vetera omnia removendo atque ad maturæ ætatis examen omnia revocando. Qua ratione non minori modeſtia quam prudentia diſtinguit id quod publicum eſt in ſcientiis ſive longo uſu receptum in ſcholis, ordinem docendi quod attinet, ubi locum non habeat adeo generalis emendatio ſive inſtauratio ab ipſis fundamentis; ab eo quod eſt privatum, ubi inſtauratio ab ipſis fundamentis poſſit locum habere. Confirmatque hanc adeo neceſſariam diſtinctionem exemplo uno ab antiquis civitatibus & privatorum ædibus, altero à Republica & Populis petito.

Veruntamen inſolens foret omnia urbis alicujus ædificia diruere ad hoc ſolum ut, iiſdem poſteà meliore ordine & forma extructis ejus plateæ pul-

pulchriores evaderent. At certe non inſolens eſt dominum unius domus illam deſtrui curare ut ejus loco meliorem ædificet; imo ſæpe multi hoc facere coguntur, nempe cum ædes habent vetuſtate jam fatiſcentes vel quæ infirmis fundamentis ſuperſtructæ ruinam minantur. Eodemque modo mihi perſuaſi, non quidem rationi eſſe conſentaneum, ut privatus aliquis de publicis rebus reformandis [de reformer un Eſtat Gall.] cogitando eas prius à fundamentis velit evertere. Nec quidem ſcientias vulgatas [le cors des ſciences Gall.] ordinemve eas docendi in Scholis uſu receptum, ſic debere immutari unquam putavi. Sed quod ad eas opiniones attinet quas ego ipſe in eum usque diem fueram amplexus, nihil melius facere me poſſe arbitrabar, quam ſi omnes ſimul & ſemel è mente mea delerem, ut deinde vel alias meliores, vel certe eaſdem, ſed poſtquam maturæ rationis examen ſubiiſſent, admitterem: credebamque hoc pacto longe melius me ad vitam regendam poſſe informari, quam ſi veteris ædificii fundamenta retinerem, iisque tantum principiis inniterer, quibus olim juvenilis ætas mea, nullo unquam adhibito examine an veritati congruerent credulitatem ſuam addixerat.

XIX. Metuens inſtituti ſui perverſam interpretationem, de difficultate diſſerit in hoc mali Remedio adhibendo: Atque inprimis prudenter monet & urget, Difficultatem fore inſuperabilem, ſi quis hoc ſuo Remedio privato, in reformatione ſive emendatione velit publica uti, vetera omnia removendo, antequam novo examine meliora inventa ſint. Quin eos qui hoc agunt dicit genere quodam ***Stultitiæ*** laborare, vocatque tales in Publico Novatores ***leves atque inquietos homines***. Meth. ſect. 11. in medio.

Quamvis enim in hoc varias difficultates agnoſcerem, remedia tamen illæ ſua habebant & nullo modo erant comparandæ cum iis quæ in reformatione publicæ alicujus rei occurrunt. Magna corpora ſi ſemel proſtrata ſunt [le cors de ſciences dixerat paulo ante] vix magno molimine rurſus eriguntur, & concuſſa vix retinentur, atque omnis illorum lapſus eſt gravis. Deinde inter publicas res, ſi quæ forte imperfecta ſunt, ut vel ſola varietas quæ in iis apud varias gentes reperitur, non omnia perfecta eſſe ſatis oſtendit, longo illa uſu tolerabilia ſenſim redduntur &

multa ſæpe vel emendantur vel vitantur, quibus non tam facile eſſet humana prudentia ſubvenire; & denique illa fere ſemper ab aſſuetis populis commodius ferri poſſunt quam illorum mutatio. Eodem modo quo videmus regias vias quæ inter anfractus montium deflexæ & contortæ ſunt, diuturno tranſeuntium attritu tam planas & commodas reddi ſolere, ut longe melius ſit eas ſequi quam juga montium tranſeundo & per præcipitia ruendo rectius iter tentare. Et idcirco leves illos & inquietos homines maxime odi, qui cum nec à genere nec à fortuna vocati ſunt ad publicarum rerum adminiſtrationem, ſemper tamen in iis Novi aliquid reformare meditantur, [faire en idée quelque nouvelle reformation.] Et ſi vel minimum quid in hoc ſcripto eſſe putarem, unde quis me tali genere ſtultitiæ laborare poſſet ſuſpicari, nullo modo pati vellem ut vulgaretur.

XX. Seposita publica ſcientiarum inſtauratione propter difficultatem inſuperabilem, iterum monet ſe totum in eo fuiſſe ut proprias tantum opiniones emendaret; verum id quod ſuſcepit, arduum & difficile eſſe. Idcirco nulli author eſt ut ſimile quid aggrediatur; confirmatque hanc adeo neceſſariam cautelam [ne inanis hic videatur metus fuiſſe] duo genera ingeniorum diſtinguendo, quorum neutri poteſt convenire ea quam ipſe tentavit ſuæ propriæ ſcientiæ inſtauratio facta à primis fundamentis. Meth. Sect. II. §. 2. verſus finem. Notatu vero valde dignum putamus, eam ipſam ingeniorum diſtinctionem, quam hoc loco urget & latius deducit, mox in principio Diſſert. de Meth. haud obſcure indicatam fuiſſe paucis verbis quæ Theſi II. allegantur ex §. 1. *Ingenio pollere* &c. Et tum quoque cautelam, quæ in illa diſtinctione fundamentum habet, acceſſiſſe pluribus, quæ Theſi VIII. citavimus ex §. 5. *Ne quis igitur putet me hic traditurum aliquam Methodum quam unuſquiſque ſequi debeat* &c. Sic ab initio ſollicitus fuit de perverſa interpretatione inſtituti ſui, deque abuſu Methodi, quam ipſemet fuit ſequutus, poſtquam meditando cœpit in ſe ipſo ſtudere.

Nun-

Nunquam ulterius mea cogitatio provecta eſt quam ut proprias opiniones emendare conarer atque in fundo qui totus meus eſt ædificarem. Et quamvis, quia meum opus mihi ipſi ſatis placet, ejus exemplar hic vobis proponam, non ideo cuiquam author eſſe velim, ut ſimile quid aggrediatur. Poterunt fortaſſe alii, quibus Deus præſtantiora ingenia largitus eſt, majora perficere; ſed vereor ne id ipſum quod ſuſcepi tam arduum & difficile ſit, ut valde paucis expediat imitari. Nam vel hoc unum, ut opiniones omnes quibus olim fuimus imbuti deponamus [hæc pars prima eſt regulæ generalis ſcientiam in ſe ipſo à primis fundamentis inſtaurandi] *non unicuique eſt tentandum. Et maxima pars hominum ſub duobus generibus continetur, quorum neutri poteſt convenire. Nempe permulti ſunt* [ita excelſiores animas deſcribit de quibus Theſi 11. diximus] *qui cum plus æquo proprii ingeniis confidant, nimis celeriter ſolent judicare, nunquamque ſatis temporis ſibi ſumunt ad rationes omnes circumſpiciendas, & idcirco ſi ſemel auſint opiniones omnes vulgo receptas in dubium revocare & velut à trita via recedere, non facile illi ſemitæ quæ rectius ducit ſemper inſiſtent, ſed vagi potius & incerti* [ut Sceptici] *in reliquam vitam aberrabunt. Alii vero fere omnes cum ſatis judicii vel modeſtiæ habeant ad exiſtimandum, nonnullos eſſe in mundo qui ipſos ſapientia antecedant & à quibus poſſint doceri, debent potius ab illis opiniones quas ſequuturi ſunt accipere* [ſtudio literarum atque etiam ſtudio in vaſto mundi volumine] *quam alias proprio ingenio inveſtigare* ſicut Auctor fecit, ſaltem in ſe ipſo ſtudendo.

XXI. Ingenium ſuum accenſet modeſtis atque moderatis ingeniis, eorum quos dixerat ab aliis potius debere accipere opiniones quas ſequuturi ſunt, quam proprio eas ingenio inveſtigare. Verum ſtatim annectit rationes diverſas quibus permotus fuit, ut nihilominus perſiſteret in propoſito, eâ qua cœperat viâ, ſcientiam in ſe ipſo quærendi, Meth. Sect. 11. §. 3. relicto ſtudio literarum, atque intereà ſepoſito ſtudio in vaſto mundi volumine, quibus ſcientiam quæſiverat extra ſe.

Quod ad me, procul dubio in horum numero fuiſſem ſi unum tantum præceptorem habuiſſem & nunquam diverſas illas opiniones cognoviſſem,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

quæ ab omni memoria doctiſſimos quoſque colliſerunt. Sed dudum in ſcholis audiveram, nihil tam abſurde dici poſſe, quod non dicatur ab aliquo Philoſophorum. [ſcilicet in hac ſua opinionum emendatione à primis fundamentis ante omnia philoſophiam reſpicit.] *Notaveramque inter peregrinandum, non omnes eos qui opinionibus à noſtro ſenſu valde remotis ſunt imbuti, barbaros idcirco & ſtolidos eſſe putandos ſed pleroſque ex iis vel æque benè vel etiam melius quam nos ratione uti. Conſideraveram præterea quantum idem homo cum eadem ſua mente, ſi à primis annis inter Gallos aut Germanos viveret, diverſus evadat ab eo qui foret, ſi ſemper inter Sinas aut Americanos educaretur; & quantum etiam in multis rebus non magni momenti, ut circa veſtium quibus induimur formam, illud idem quod nobis maxime placuit — nunc ineptum atque ridiculum videatur: adeo ut exemplo potius & conſuetudine quam ullâ certâ cognitione ducamur. Ac denique advertebam circa ea quorum veritas non valde facile inveſtigatur, nulli rei eſſe minus credendum quam multitudini ſuffragiorum; longe enim veriſimilius eſt, unum aliquem illa invenire potuiſſe quam multos. Et quia neminem inter cæteros eligere poteram, cujus opiniones dignæ viderentur, quas potiſſimum amplecterer aliiſque omnibus anteferrem, fui quodammodo coactus proprio tantum conſilio uti ad vitam meam inſtituendam; de me conduire Gallicè.*

Perſiſtens in propoſito, 1, lento ſtatuit & ſuſpenſo gradu incedere. 2. Non ſe ſtatim iis opinionibus liberare, quas olim nulla ſuadente ratione admiſerat. Verum 3 prius cogitandum putavit, qua ratione aliquid poſſet certi invenire, & ſatis multum temporis impendit in quærenda vera methodo perveniendi ad cognitionem eorum omnium quorum capax eſſet ingenium ſuum. Meth. Sect. 11. §. 4.

Sed ad exemplum eorum qui noctu & in tenebris [ita dum quærit ſcientiam, deſcribit ignorantiam ſuam] *iter faciunt, tam lento & ſuſpenſo gradu incedere decrevi, ac tam diligenter ad omnia circumſpicere, ut ſi non multum promoverem ſaltem me à lapſu tutum ſervarem. Nec ſtatim conari volui me iis opinionibus, quas olim nulla ſuadente ratione admiſeram, liberare* [quod quam arduum & difficile ſit. §. 2. dixe-

xerat] *ſed ut veterem domum inhabitantes non eam ante diruunt quam novæ in ejus locum exſtruendæ exemplar fuerint præmeditati; ſic prius qua ratione certi aliquid poſſem invenire cogitavi: & ſatis multum temporis impendi in quærendâ verâ methodo quæ me duceret ad cognitionem* [certam & evidentem, quam non invenerat hactenus] *eorum omnium quorum ingenium meum eſſet capax.*

XXIII. Methodum, quam quærit, non invenit inter ea quibus aliquam in ſcholis operam dederat, quantumvis non nihil ad ſuum inſtitutum facere poſſe videbantur: Non in Logicâ, quatenus non tam ſciendi quam diſſerendi inſtrumentum, &, ſi proprie loquamur, Dialectica quædam eſt [ſicut de duplici hac Logica diſtinctius explicat mentem ſuam in Præfatione Principiorum Philoſophiæ.] Non in Veterum Analyſi vel Algebra recentiorum, quatenus hæ ſaltem Mathematicæ diſciplinæ ſunt, atque alia incommoda habent. Meth. Sect. II. §. 5. Et parte II. Epiſt. XXXIII.

Studueram anteà in ſcholis inter Philoſophiæ partes, Logicæ, & inter Mathematicas diſciplinas, Analyſi Geometricæ atque Algebræ; tribus artibus ſive ſcientiis, quæ non nihil ad meum inſtitutum facere poſſe videbantur. Sed illas diligentius examinando, animadverti, quantum ad Logicam, Syllogiſmorum formas aliaque fere omnia ejus præcepta, non tam prodeſſe ad ea quæ ignoramus inveſtiganda, quam ad ea quæ jam ſcimus aliis exponenda. — Quantum autem ad Veterum Analyſin & Algebram recentiorum, illas tantum ad ſpeculationes quasdam, quæ nullius uſus eſſe videbantur, ſe extendere: Ac præterea Analyſin circa figurarum conſiderationem tam aſſiduè verſari, ut dum ingenium [l'entendement intellectum Gall.] acuit & exercet, imaginandi facultatem defatiget & lædat: Algebram vero, ut ſolet doceri, certis regulis & numerandi formulis ita eſſe contentam, ut videatur potius ars quædam confuſa, cujus uſu ingenium (l'eſprit) turbatur & obſcuratur, quam ſcientia [ita recte ſcientiam ab arte diſtinguit] *qua excolatur & perſpicacius reddatur, — Admodum difficile eſt, ut ſcribis, Analyſtarum veſtrorum opiniones de exiſtentia Dei deque honore illi exhibendo, corrigere, non quod deſint ſatis validæ rationes*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

quibus convincantur , ſed quia ejuſmodi homines , cum putent ſe pollere ingenio , ſæpe ſunt minus quam alii rationi obſequentes [moins capables de raiſon que les autres Gall.] ea enim ingenii pars, imaginatio nempe , quæ ad Matheſin maxime juvat, plus nocet quam prodeſt ad Metaphyſicas ſpeculationes.

XXIV. Methodum rectè utendi ratione & veritatem inveſtigandi in ſcientiis, quatuor præceptis ſive regulis comprehendit , quæ neque in Logica Philoſophorum, neque in Analytica vel Algebra Mathematicorum invenerat. Atque hæc tam pauca præcepta ſibi putabat ſufficere, ſi modo cavere poſſit, ne unquam ab iis deflectat, quod ita caveri non poteſt, ubi præcepta valde multa ſunt. Et prudenter obſervat, eo ferè modo Logicam hactenus immenſa præceptorum multitudine laboraſſe, quo Reſpublica multitudine poteſt legum laborare : quatenus ut multitudo Legum ſæpe vitiis excuſandis accommodatior eſt, quam iis prohibendis, ita præceptorum ſive regularum copia, in recto uſu rationis, non tam prohibendis, quam tegendis erroribus accommodata deprehenditur. Meth. Sect. 11. §. 5. verſus finem.

Quapropter exiſtimavi mihi quærendam eſſe quandam aliam Methodum, in qua, quicquid boni eſt in iſtis tribus, ita reperiretur, ut omnibus interim earum incommodis careret. Atque ut legum multitudo ſæpe vitiis excuſandis accommodatior eſt, quam iisdem prohibendis; adeo ut illorum populorum ſtatus ſit optimè conſtitutus, qui tantum paucas habent, ſed quæ accuratiſſime obſervantur: Sic pro immenſa illa multitudine præceptorum quibus Logica referta eſt, ſequentia quatuor mihi ſuffectura eſſe arbitratus ſum, modo firmiter & conſtanter ſtatuerem, ne ſemel quidem ab illis toto vitæ meæ tempore deflectere. Has vero quatuor regulas, quia plus ſatis notæ ſunt, omittimus.

MANTISSA,

Primùm comprehendens duo Corollaria repetita ex Diſ-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

Diſputatione de Forma Subſtantiali & Anima Hominis, quæ fuit Elenchtica Tertia, habita IX Decemb. 1665. Lugd. Bat. ſub noſtro Præſidio, Reſpondente Stephano Pataki Ungaro. Accedunt ex ejuſdem diſputationis Theſi XXXV. excerpta quæ jam loco Corollarii tertii defendimus. Theſin totam non deſcribimus, quia inter alia addenda, anguſtia eam chartæ non caperet. Neque tamen omittenda in hâc diſputatione cenſuimus Excerpta cum Corollariis iſtis; quia adeo accommodata noſtris temporibus ſunt atque fontem erroris detegunt in opinione eorum qui nimium tribuunt Philoſophiæ, nimiumque confidunt claris & diſtinctis perceptionibus ſive abſtractis ideis, ad quas attendere ſaltem prima nos philoſophia docet. Ac ſi ad harum præciſe idearum atque perceptionum normam, tam cujuſcunque hominis quam philoſophi debeat judicium componi, atque non ſolum philoſophiæ, verum etiam aliarum artium & diſciplinarum doctrina iis accommodata eſſe, ſepoſito communi ſenſu, quem ſequimur, quanquam ad normam idearum eo modo quo id philoſophia docet, compoſitus non ſit, neque poſſit componi.

1. *Omnes ſcientiæ aliquomodo corruptæ ſunt per Scholarum Philoſophiam de qua Theſi* XXXV. *diximus, ſed minime omnium Matheſis & Juriſprudentia, paulo magis Theologia, & multum quoque Medicina.*

2. *Remedium erroris eſt, ſi repurgatis & ſepoſitis omnibus, quæ mala philoſophia* [corrupta Ariſtotelica ſcilicet, quæ ſcholaſtica vocatur] *his Diſciplinis admiſcet, eas omnes cum toto genere diverſæ ſint â philoſophia, ſinamus ſuo talo ſtare: Quod præceptum atque inventum novæ & melioris philoſophiæ eſt* (puræ, quæ ab autore Carteſiana vocatur.) Sequuntur Excerpta ex Theſi XXXV. allegatæ diſputationis.

3. *Qua*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

3. *Qua ratione Medicina, Juriſprudentia & Theologia* [ut jam de artibus mechanicis non dicam] *tres diſciplinæ ſunt, quæ tantum ad uſum vitæ ſpectant, tum naturalis qua ſani, tum civilis qua juſti & æqui, tum ſpiritualis, quâ æternum felices & beati ſimus. Quæ ſingula utcunque aſſequi poſſumus in hoc triplici vitæ genere, ſi modo ſenſum communem ſequamur* [non ſublimiorem intellectum qui philoſophiæ proprius eſt] *& ſingula, ut oportet, conſideremus, non attendendo ad abſolutam & intrinſecam veritatatem. —— Eſt enim revera in ſenſibus noſtris cum recte utimur iis, & modis conſiderandi, quando in particularibus ad propriam cujuſque rei naturam eos accommodamus, ut fit in Theologia, Juriſprudentia, Medicina* [ut jam de aliis artibus non dicam] *multum veritatis quæ utilis ad vitam eſt. Sed idcirco in iis ea veritas non eſt, quæ* [veræ] *Philoſophiæ propria, utilis quidem (nam ut pietas ſic veritas ad omnia utilis eſt) non tamen, ut fit in aliis diſciplinis, ob ſolam utilitatem ſectanda eſt. Nam veritas quam Philoſophia quærit multum ab ea differt, quam in communi vita & aliis diſciplinis ſpectamus. Hæc enim ut eſt, ſic quoque debet eſſe relata ad nos ut unumquodque habet ſe quod ad ſenſus & conſiderandi modos, in quibus multiplex diverſitas & ſæpe etiam contrarietas eſt, quod non nocet ſed utile eſt ad vitam. Illa ex adverſo abſoluta & intrinſeca eſt & talis quoque debet eſſe; ideoque ſolo intellectu cognoſcitur, qui ſemper idem & ſibi ſimilis eſt quod ad ſimplices & primitivas ideas quas etiam vidimus valde paucas eſſe.* Et quæ plura ad hæc noſtra tempora valde accommodata, ſequuntur in dictâ Theſi. xxxv. quæ tota legi poteſt in Clavi Philoſophiæ Sec. Editionis, capite de Forma Subſtantiali & Anima Hominis, Sect. 11. §. xxxv.

4. Quæri poteſt & diſputari, an ea quam defendimus, diſcipli-

ſciplinarum diſtinctio, atque ante omnia Medicinæ, Juriſprudentiæ, Theologiæ & artium quoque mechanicarum à Philoſophia ſeparatio, tam debeat de vera philoſophia intelligi, quæ quantum poteſt ad purum intellectum, quam de non-vera, quæ magis ad communem ſe ſenſum accommodat? *Reſp.* Nos tum temporis affirmaſſe, diſciplinas iſtas toto genere diverſas à philoſophia eſſe, atque eo quo tot ſeculis factum fuit modo, ut diverſas debere tractari atque exerceri. Quandoquidem diverſitas ex ipſa ſequitur, tam Philoſophiæ quam aliarum artium & diſciplinarum natura, quam alterare, atque eam quæ hinc ſequitur difficultatem infinitamque confuſionem ſuperare, putamus in poteſtate hominis non eſſe.

5. Hinc vero ſequitur, quod forte paradoxum videbitur, Theologiæ, Juriſprudentiæ, Medicinæ, aliarumque artium, tanto minorem cum philoſophia cognationem, ſive connexionem eſſe, quanto ſublimior & magis vera philoſophia eſt, quartum ſive ſupremum gradum ſapientiæ comprehendens, quæ ſecundum Platonem, Ariſtotelem, Carteſium [in Præf. Princ. Philoſ.] *nihil aliud eſt quam cognitio veritatis per primas cauſas, in quo qui operam collocarunt, Philoſophi ſpeciatim vocati ſunt.* Hanc cognitionem per primas cauſas, ſi forte in aliquibus attingere Philoſophus poſſit, pariter Medicus, Juriſconſultus, Theologus, Agricola, Sutor, Faber, non attinget quiſque in arte ſive facultate ſua. *Multum inter ſe diſtant iſtæ facultates longeque ſunt diverſæ atque ſejunctæ. — Neque enim eſt interdictum aut â rerum natura, aut à lege aliqua atque more, ut ſingulis hominibus ne amplius quam ſingulas arteis noſſe liceat. Quare non, etſi eloquentiſſimus Athenis Pericles, idemque in ea civitate plurimos annos princeps conſilii publici fuit, idcirco ejuſdem hominis atque artis utraque fa-*

cultas exiſtimanda eſt: nec ſi P. Craſſus idem fuit eloquens & juris peritus, ob eam cauſam ineſt in facultate dicendi juris civilis ſcientia. Nam ſi quiſque ut in aliqua arte & facultate excellens (puta philoſophus) *aliam quoque artem ſibi aſſumpſerit, is perficiet ut quod præterea ſciet, id ejus in quo excellet pars quædam eſſe videatur: — Dicantur etiam, quos* φυσικὰς *Græci nominant, iidem poëtæ, quoniam Empedocles Phyſicus egregium poëma fecerit. At hoc ne Philoſophi quidem ipſi, qui omnia, ſicut propria ſua eſſe atque à ſe poſſideri volunt, dicere audent Geometriam aut Muſicam Philoſophi eſſe &c.* Cic. Libro I. de Oratore.

6. Præcipuus Philoſophiæ fructus eſt ac debet eſſe, quod nos doceat, hæc duo potiſſumum: Unum, Extra philoſophiam philoſophandum non eſſe; Alterum, quod hinc ſequitur, Medicinam arteſque mechanicas, neque fuiſſe hactenus, neque unquam poſſe eſſe, philoſophiæ huc uſque promotæ partem.

Ioannis de Raei Philoſophi, ad Chriſtophorum Wittichium Theologum, Epiſtola familiaris; Wittichio abſente, tradenda Gualtero Boudaen hoſpiti: Abſens ab urbe 1680. 12. Auguſti, raptim ſcripſi hanc Epiſtolam belgice, quæ ſic Latine ſonat.

POſtquam præterito die ſaturni cum Te ſolo loquutus fueram pluribus quam die veneris antecedente loqui protueram præſente D. Boudaen; contuli me ex tuo conſilio ad D. Tobiam Andreæ, atque cum ipſo etiam pluribus egi, rationibus uſus ex

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

ex parte iisdem, quas ex me audiviſti. Si modo à meridie vacare potuiſſem, uti inſtante itinere quod propoſueram, non potui vacare, altera vice Te adiiſſem paucis, Petiiſſemque à Te duo : unum ut data occaſione inquireres, quem mea iſta admonitio effectum habuerit apud D. Tobiam Andreæ; alterum vero, ut moneres D. Boudaen, ne putet iſta mea cogitata de diſtinctione Philoſophiæ à Medicinâ (1) aliiſque artibus & diſciplinis, conſiſtere in mera opinione, atque in hac ipſa particulari tantum & ſeparata quæſtione, ſicut longo tempore particularis quæſtio fuit et ſeparata opinio, non tam ſerio, ut jam ſit, quam exercendi ingenii cauſa, diſputata, de artium & diſciplinarum diſtinctione; verbi cauſa, An Medicina ſit ars, an ſcientia, an Phyſicæ pars? Eo modo quo quæſtiones iſtæ olim agitatæ fuerunt in ſcholis, cum qualicunque opinionum diverſitate, vix quicquam habent commune cum meis cogitatis, quæ magis generalia at que ex ſuis propriis altioribuſque deducta ſunt principiis, non minus quam ea quæ cogitaſſe dicitur D. Coccejus de Teſtamento, Fœdere, totaque œconomia ſalutis, per ſuas omnes quas ſupponit & probare conatur periodos. Quæ ego ſentio & doceo de artium ac diſciplinarum diſtinctione, non minus quam ea quæ D. Coccejus ſentit ac docet, ab una parte nova dici poſſunt, ab altera parte antiqua, diverſâ conſideratione. Ut vero diſtinctius intelligeretur id quod his paucis dicere volui in hiſce adeo feſtinatis literis, tantum in ſcribendo operæ requireretur, quantum ab aliquot annis adhibendum fuit in cogigitatis Coccei explicandis. Ex ipſâ antiquitate deberem ob oculos ponere, Primum qua ratione antiqui Philoſophi

 per

(1) Quam à Philoſophia exiſtimabat non debere diſtingui Tobias Andreæ, errore ſeculi abreptus, præter Wittichii & meam opinionem.

per nebulam viderint veritatem quam doceo de Naturâ cognitionis humanæ, ſpeciatim illius quam facio Philoſophiæ propriam, et qua ratione Hippocrates Medicinam, ab aliquibus (quanquam diſtincta ars exiſteret) cum Philoſophiâ (2) conjunctam, iterum ab ea ſeparaverit. Deinde oſtendere deberem, qua ratione Ariſtoteles, per ſuam (qua omnes ſuperavit) Philoſophiam iſtius veritatis cognitionem non nihil obſcuraverit, dederitque anſam ſectatoribus, duplex illud genus cognitionis miſcendi et confundendi, adverſus Platonem, qui Plato, quantum ego novi ultimus et forte etiam primus fuit, qui de natura Philoſophiæ, quatenus ab aliis diſciplinis diverſa eſt, pariter diſtinctam & veram cogitationem habuit. Tertio deberem latius deducere, quæ tempora ſequuta fuerint, poſtquam Ariſtoteles nonnihil obſcuraverat cognitionem iſtam: qua ratione, hac ſaltem in parte, per annos circiter bis mille, in denſiſſimis tenebris, ignorantia & confuſione, hæſerit orbis eruditus, cognitionem Philoſophicam, eo quo oportet modo, non diſtinguens ab omni alia cognitione, quamvis communi fere conſenſione tacite ſupponeretur diſtincta. His ita præmiſſis, dicendum de Carteſio fuiſſet, demonſtrandumque, quod in hujus demum Philoſophia fundamenta poſita ſint, quibus bene intellectis tanta difficultas ſuperari poſſit. (3) Quandoquidem ille ipſe ſatis aperte docet, atque in univerſo opere ſuo tacite ſupponit, in uno homine duplicem inveniri intellectum, unum qui à natura primum ineſt omni homini, atque ad hunc intellectum omnes alias diſciplinas, ipſamque in plurimis Ariſtotelicam Philoſophiam

(2) Hippocrates Cous primus ex omnibus memoria dignis ab ſtudio ſapientiæ diſciplinam hanc ſeparavit, vir & arte & facundia inſignis. Celſus in præfatione.

(3) atque Remedium erroris inveniri in Philoſophia, quæ ipſa ſuo hoc inſigni abuſu, prima videtur erroris cauſa fuiſſe.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

phiam (4) pertinere; alterum vero profunda meditatione atque abſtractione acquiſitum, & ad hunc quaſi novum inſtauratumque ſtudio & labore intellectum, Philoſophiam Carteſii pertinere. Porro denique deberem ſpeciatim & prolixe ſatis enarrare, quæ mea olim ſtudia, quæ iſta ſpeciatim cogitata fuerint, quibus de ea quam defendo veritate omnino perſuaſus fui. Hanc inſtituere narrationem ſummè neceſſarium foret, quia quæ meditatus fui hac de re & concepi apud animum meum, ea amplitudine & diſtinctione qua ſunt à me concepta, in nullis extant libris. Oſtendere deberem ſcilicet, I. Qua ratione in ipſo ſtudii academici curriculo in eam inciderim cogitationem, quod in Phyſica vulgari univerſaque ſcholarum Philoſophia Ariſtotelica, magnam partem, multum inveniatur veritatis, qua potiſſimum tot ſeculis ſe ipſam tueri ac ſubſiſtere potuit; atque hanc veritatem veramque cognitionem cogitavi omnium hominum communem atque in communi intellectu fundatam eſſe, non propriam huius intellectus qui Philoſophum facit. Ex hac una cogitatione, iſta ætate juvenili, incredibilem in ſtudiis facilitatem ac lucem percepi. Huic potiſſumum (quando poſtea animum ad docendum appuli) ſuperſtruxi ipſam Orationem inauguralem de differentia cognitionis vulgaris & Philoſophicæ, ipſaſque primas Prælectiones publicas (ut iam de ſcholis privatis non dicam) atque Diſputationes iis accommodatas, quando Ariſtotelis in Academia Lugd. Batava cœpi Problemata interpretari, Anno 1651. menſe Martio. II. Poſtea, dum fungor munere Profeſſoris publici, plurima occurrebant, quibus partim confirmatus fui in iſtis primis cogitatis, partim, ut ea latius deducerem

(4) Quæ Philoſophia, ſicut in recto uſu iſtius intellectus communis vera eſt, ita in ejuſdem non recto uſu falſa dici poteſt Philoſophia fuiſſe, verbi cauſa, Scholaſtica.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

magiſque excolerem, excitatus. Florem adoleſcentiæ contriveram in ſtudio logico, nec pœnitet vel pœnituit unquam ad hæc tempora uſque; didiceram in ſcholis Dialecticam Petri Rami, quod in hunc diem uſque ſingulari ſoleo deputare felicitati. In ipſo ſtudio Academico plures Logicos alios examinaveram, atque plurium cum Ramo inſtitueram comparationem. Hærens tandem dubitare cœpi, an ea ars cujus nomen duplex, Logica & Dialectica eſt, eo modo quo hactenus putaveram, utilis & neceſſaria ſit. Quandoquidem obſervabam, ab una parte quidem, plurimos, qui hanc artem magni faciunt, ea ſapientiores non reddi, quin etiam non raro minus ſapientes videri cæteris; & tamen ab altera parte, neque me neque alios ſentiebam ſine Logicæ cognitione, commode poſſe docendi munere fungi. Hoc meum dubium propoſui D. Claubergio, meum de ſua Logica, per epiſtolam, judicium petenti, ut ſolebat in pluribus etiam graviſſimis quæſtionibus. Sciebam tum temporis, primum quidem Epicurum (5) inter Ethnicos artem Logicam rejeciſſe, & tum quoque inter Chriſtianos Auguſtinum alicubi ſcripſiſſe, artem diſſerendi atque ratione utendi non doctrina & præceptis, verum uſu diſcendam, ut fabricando fimus fabri. Paulo poſt & fere eo ipſo, quo ſic dubitabam, tempore, editur in lucem Logica Claubergii. Hanc tracto & prælego in ſcholis privatis, at ſine eo, quem deſiderabam, ſucceſſu. Inquiro cauſam, atque deprehendo, qua in re iterum me felicem fuiſſe judico & multum profeciſſe; deprehendo inquam & intelligo, omnem in his errorem omnemque de arte Logica, an neceſſaria ſit, dubitationem, confuſionemque in eruditorum cogitatis, quæ tot malorum in ſtudiis

(5) Epicurus, arte Logica ſive Dialectica rejecta, ſuam ſubſtituebat Canonicam, quæ veri & falſi criteria comprehendit.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

ſtudiis cauſa fuit, ex hoc uno procedere, quod non intellexerint duplicem poſſe ac debere (6) Logicam eſſe, ſicut oſtendimus, quod in uno homine poſſit duplex intellectus eſſe, & vere ſit, quando vera qualiscunque inventa eſt Philoſophia, cujus iſte alter intellectus proprius eſt. Clare intelligebam quoque, quod (7) permiſtio hujus duplicis in una Logica intellectus, & confuſio inde orta, in modis loquendi, notionibus & conceptibus cujuſque propriis, poſt ſe trahere debuerit, ſimilem aliam in aliis diſciplinis confuſionem; Proinde Logicam unam ab altera debere ſeparari, quatenus una magis nota, Petri Rami Dialecticâ, altera (quam ſuo loco oſtendimus Platoni notam fuiſſe) comprehenditur Methodo recte utendi ratione Renati Descartes, cujus ille ſpecimen, Philoſophiam quod attinet, in Meditationibus de prima philoſophia, primaque principiorum Philophiæ parte, nobis dedit. III. Ita hactenus de Philoſophia potiſſimum fueram ſolicitus. Sequuta fuit non una occaſio hæc mea cogitata latius deducendi, atque ad plura alia extendendi. Franciſcus Sylvius vocatur ad Medicinam docendam in Academia Leidenſi, atque conatur Phyſicam ſcientiam miſcere & confundere cum Medica arte, confidenter docens, tam in Phyſica quam in Medicina id omne quod vere ſcitur, ſola experientia ſciri. Quo ſolo propria Phyſici-philoſophi cognitio ſecundum ſublimiorem intellectum rejicitur, revocanturque omnia ad intellectum communem, qualis à natura junctus cum ſenſu in omni homine invenitur, etiam abſque philoſophiæ ſtudio. Hæc inquam Sylvii opinio, hic error

(omni-

(6 De duplici Logica vide in Appendice pag. 535. & 596.

(7) Ab hac permiſtione etiam immunis non fuit Logica Claubergii, conſcripta, ſine hac noſtra animadverſione; quam in ſcholis meis privatis, quas ſolas frequentavit Claubergius anno circiter 1648. & 1649. ita non inculcabam, ut inculcavi poſtea & in publicis & in privatis Scholis.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

(omnino deflectens in oppoſitam partem) me excitavit ad cogitandum porro de Medicina aliiſque diſciplinis & Facultatibus, ut vocant. Ita longius progreſſus, imprimis perſpicue intellexi, atque non uno loco & tempore claris verbis dixi & ſcripſi olim, Medicinam, Juriſprudentiam, Theologiam, in communi omnium hominum intellectu habere fundamentum & ſubjectum ſuum, verum hoc pariter dici non debere de Philoſophia, cujus pars Phyſica eſt, quam à Medicina diſtinguimus. IV. Tandem denique his acceſſit occaſio ſive nova excitatio ultima, quando, circiter una cum Sylvio, Spinoza & cum ipſo quoque Philoſophia Scripturæ interpres cœpit inclareſcere, ut jam de pluribus aliis non dicam. Ab illo ipſo tempore, aliquanto magis quam hactenus, cœpi ſolicitus eſſe magiſque ad animum revocare magnum diſcrimen inter duplicem de quo dixi intellectum, ortumque ex eo humanum ſermonem duplicem. Ac ulterius dum conor progredi continuo & contra torrentem niti erroris: Tandem vidi ſubſiſtendum eſſe in ſermone, quatenus duplicem de quo loquor intellectum eo interpretari, quando volumus, poſſumus diſtincte in Philoſophia, omnemque, in artibus & diſciplinis cæteris, humanam cognitionem, etiam ſuo modo diſtincte, ſermone poſſumus communi comprehendere. In hiſce, ab initio cogitatis ultra annos circiter decem vel duodecim ſubſiſtebam in Academia Lugd. Batava. V. Et ſic denique ab anno 1669. in Illuſtri Athenæo Amſtelædamenſi, eâ ipſa qua plus quam annos viginti, & privatim & publice, cœperam viâ, dum progredi conor continuò, iſta quoque ultima in quibus ſubſiſtendum dixi Cogitata magis elaborata, de Interpretatione & Natura humani ſermonis in mentem venerunt. In his, tanquam ſpeculo clariſſimo intueri licet veritatem eorum, quæ in hac epiſtola familiari

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

miliari ſcripta à me fuerunt currente calamo: Quod nempe in homine uno poſſit eſſe, atque in eo qui vel mediocriter Philoſophiam intelligit, vere ſit, duplex intellectus & ſermo duplex, unus ac natura, ut videtur, prior, omnium hominum omniumque aliarum artium & diſciplinarum communis, alter natura poſterior, proprius Philoſophiæ. Ac proinde intellectum & ſermonem iſtum duplicem, quantum fieri poteſt, debere diſtingui, atque propter hanc potiſſimum diſtinctionem, Philoſophiam ab omni alia arte & diſciplina, cenſeri debere natura ſua diverſam eſſe. Etiam notatu dignum putamus, quod poſt tempora Platonis ad Carteſii & noſtra tempora uſque, vix alius quam unus & communis in uno homine intellectus notus fuerit, quodque hac potiſſimum ſuppoſitione inconſiderata nitatur opinio, Quod Medicina & Phyſica, ut aliqui loquuntur, non differant realiter, quod Medicina ſit ſcientia, pars Phyſicæ &c. Chartæ anguſtia me cogit ſiſtere calamum. Hæ literæ, ut mihi reddantur, rogo.

Epiſtola ad virum Celeberrimum, Theologum, qui latere voluit, in ſua de litibus Franequeranis, Diſſertatione.

UT videas quam aperte & ingenue tecum agam, mitto Diſſertationem quam abs te dono accepi mihi gratiſſimo, jucundiſſimoque. Domum reverſus diligenter à capite ad calcem totam perlegi, atque tumultuarie hinc inde notis illuſtravi ad proprios uſus, & ut ſoleo memoriæ cauſa. Dicam verbo, perplacet, rem acu tetigiſti. Epiſtola antecedens gravis & valde appoſita mihi viſa fuit. Pro-

bo diſtinctam quatuor capitum conſiderationem. Theologicum quod attinet in hac tota quæſtione, mihi per omnia ſatisfecit, & fateor ante hunc diem adeo diſtincte me non intellexiſſe [& fortè plurimi Theologi non intellexerunt] genuinam Reformatorum ſententiam, cui ego toto corde ſubſcribo. Quin addo, me in hoc dogmate Theologico nihil inveniſſe contrarium ſanæ & ſobriæ Philoſophiæ, quæ me docet, omnino à ratione alienum eſſe, ex intuitu idearum quas ſibi format Philoſophus in Metaphyſica [nam hæc demum *recta ratiocinatio* eſt, in diſputatione Philoſophica inaugurali] velle divinitatem atque authoritatem S. S. adſtruere, *non aliunde*, atque revelata in S. S. ad ejuſdem rationis ſive intuitivæ in ſe ipſa ratiocinationis examen revocare, eo quo cœptum eſt modo. Quin addo, hanc ratiocinationem idealem, cujus inſignis poteſt uſus eſſe [quod nos poſt Platonem Carteſius docuit] in Mathematicis, Metaphyſicis, abſtractiſque ad Phyſicam ſpectantibus ſpeculationibus: nequidem in Medicina & Juriſprudentia poſſe admitti, ut de Ethica, Politica ipſaque in particularibus Phyſica non dicam. Hoc argumentum à minori ad majus in præſenti quæſtione Theologica, meo quidem judicio ita ſtringit, ut ab omni parte os obſtruere deberet adverſariis, ſi modo naturam intelligerent humanæ cognitionis, quæ non ſic extra Philoſophiam & quidem in ea poteſt alligata eſſe philoſophorum ideis. Non autem ſuadeo, ut hanc meam propriam ratiocinationem atque eam omnem quam urgeo artium & diſciplinarum diſtinctionem, quæ unice ad mentem Carteſii accommodatata eſt, facile miſceas tuis ratiociniis, quæ [ut communiter fit ac debet fieri] ſaltem *ad vulgarem popularemque ſenſum accommodata ſunt*. Hoc Cic. in Orat. ad perſuadendum dicit neceſſarium eſſe, atque non pauca le-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

ctu valde digna nos docet, tam contra ſui quam contra noſtri temporis errorem Philoſophorum, *qui omnia propria ſua eſſe atque à ſe poſſideri volunt*. Ac ſi ſenſus Philoſophorum proprius debeat ſenſus communis omnium hominum eſſe, atque in omni arte & diſciplina, quæ ab ideali Carteſiana Philiſophia diverſa eſt, atque tot jam ſæculis fuit diverſa, ſequendus non ſit *communis ſenſus*, qui communi inter homines ſermone exprimitur. In hac quæſtione, ſi mavis, vocetur *ſenſus communis Theologicus*, uti certe eſt atque obtinet inter homines ſenſus communis Medicus, Politicus, Juridicus, conſenſione confirmatus, ut de Logico & Phyſico communi ſenſu non dicam in Scholarum Philoſophia, qui λόγος λογικὸς, λόγος φυσικὸς dicitur Ariſtoteli, quem ſic diſtinguentem modos conſiderandi diverſos in ſcientiis rident Carteſiani, quia non intelligunt. Si liceat libere profiteri id de quo omnino perſuaſus ſum & fui ab ipſa juventute [quod ſingulari deputare felicitati ſoleo] hic præcipuus error fuit eorum omnium qui Philoſophiam Carteſianam oppugnaverunt, ipſiuſque Celeberrimi Voetii: quod non intellexerint Carteſium ſua omnia ad propriam Philoſophiæ cognitionem referre, quæ toto cœlo ab omni alia aliarumque artium & diſciplinarum cognitione diverſa eſt. Quos tamen ego adverſarios impugnatoreſque excuſandos & tolerandos puto, quia non ſub diſtincta, quam nos cum Carteſio ſupponimus, verum ſub confuſa notione, quæ communiter ſolet ſupponi, tam ab una parte defenſa, quam à parte altera impugnata eſt, contra mentem Carteſii, Philoſophia, quæ ut oportet cum diſtinctione ſpectata, innocentiſſima ſanctiſſimaque eſt, ſine diſtinctione, quando, ut fit, omnem eâ conamur humanam cognitionem comprehendere, ad omnia applicare Methodum ejus, adeo pernitioſa atque peſtifera, ut non

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

videam, quæ major peſtis vel pernities excogitari poſſit, ſaltem ſub ſpecie boni, ut hic ſit. Ad pag. 5. in Epiſt. ad Hub. prolixior hac de re extat annotatio, quæ currente calamo ſcripta eſt, cum primum me ad ſcibendum hanc Epiſtolam accingerem. De eo quod in hac quæſtione Philoſophicum eſt diſputant ſine diſtincto intellectu, quotquot non cogitant de ingenti illo diſcrimine, quo tam Plato & Ariſt. quam Carteſius ſublimiorem ſcientiam quæ propriè Philoſophum facit, ab omni alia humana cognitione naturali ſeparavit. Non enim hic loquimur de cognitione revelata, quam concedimus adhuc ſublimiorem eſſe, quatenus ſupernaturalis & divinæ originis eſt. In hiſce paucis univerſæ hujus quæſtionis, quatenus Philoſophiam attingit, præcipuum arcanum latet, quod neque adverſarii neque ſectatores Carteſii advertunt, quotquot primum quidem Theologiam & tum quoque omnes alias diſciplinas, eo quo oportet modo, à ſua Philoſophia non diſtinguunt. His ita confuſe & raptim animadverſis, facile intelliges, non leves poſſe ſcrupulos moveri adverſus ea quæ capite II. male philoſophantibus opponis. Illi enim male philoſophantes, quia non intelligunt vel contemnunt diſtinctionem de qua diximus, forte urgebunt, unam tantum veritatem eſſe ſive veram cognitionem, unam Methodum eam percipiendi [Roel. diſp. de princ. veritatis cognoſcendæ §. XII.] ſique adeo verum ſit Solem in medio ſtare [non quidem univerſi quod nobis ignotum eſt, verum] Planetarum, tam hoc verum in Theologia quam Philoſophia eſſe, debereque adeo ſecundum hanc in Philoſophia veritatem dicta S. S. atque Theologorum intelligi de Sole, Terra, Planetis. Ego vero reſpondeo debere hæc (ut notavi in diſſertatione ad §. III.) ut diverſa, non ut ſecundum idem oppoſita ſpectari: eo quod diverſa quidem, non tamen

men oppoſita veritas ſit; nec puto unquam in talibus debere Philoſophiam cum Theologia, vel Theologiam ex adverſo cum Philoſophia committi. Prudentia opus eſt in his & non omnino contemnenda admonitio Lud. W. quæ Cap. II. §. IX. allegatur his verbis, *Si quid S. S. de uſu Syderum, Terræ conſtitutione* &c. Non tam in his verbis puto errorem latere quam in ſequentibus, ubi *Ratio ut dux & miniſtra dicitur omnia in S. S. ad examen revocare.* Ratio, ut nos putamus, nihil in S. S. ad examen revocat eo ſenſu quo vellent Philoſophi, primum dubitando, deinde ad ideas nobis à natura inditas attendendo, quæ duæ Philoſophici, de quo loquimur, examinis partes ſunt. Et ſi liceat id quod ſentimus libere eloqui, periculoſum errant errorem, qui Philoſophicas conſiderationes de Terra, Sole, Planetis, aliiſque rebus naturalibus miſcent cum conſiderationibus Theologicis, ac ſi una conſideratio per alteram corrigi debeat; Theologica ſimplex per Philoſophicam ſubtiliorem; ſenſualis quam S. S. ſequitur, per intellectualem, quæ propria Philoſophiæ eſt. Neque in Fidei myſteriis, neque in iis quæ myſteria non ſunt, quando eorum mentio in Sacris fit, toleranda ea de qua loquimur confuſio atque permiſtio eſt. Theologia ſimpliciter tractanda ex Scripturis, ſive illæ de Deo, ſive de Dei operibus loquantur. Hæc mea, hæc Carteſii mens eſt, quem deſerunt communiter Carteſiani, ſapere volentes ſupra magiſtrum. Verum omnia quæ huc ſpectant hic à me explicari non poſſunt. Nunquam me miſcui ſtudiis Theologicis, eſtque genius meus omnino alienus ab eriſticis. Mihi & conſcientiæ meæ ante omnia ſatisfacere conatus fui, & Dei gratia ſatisfeci à prima ut ſupra monui juventute. Per viginti circiter annos Lugd. Bat. hanc ſanam & ſobriam Philoſophiam docui, annos fere viginti Amſtelædami, poſtquam error de

quo dixi, primum clam, deinde aperte, omnium cœpit animos occupare, quin linguas & calamos. Quia me huic adeo pernicioſo errori atque confuſioni oppono, & oppoſui longo ſatis tempore, dixique publice & privatim Voetium olim non ſine gravi cauſa oppugnaſſe Carteſianam Philoſophiam (ſub confuſâ, ut vidimus, notione, quam nobis ipſi Carteſiani formant) vocor Voetianus: nec me pudet hujus appellationis, quatenus in bonam poteſt ac debet partem accipi. Celeb. Voetius habuit ſuos errores. Homo fuit ut nos ſumus, habuit vero etiam inſignes, quas ſemper agnovi, virtutes, quibus, mea quidem opinione [quam nunquam mutavi] & de Rep. & de Eccleſia bene meritus eſt. Dixi & inculcavi ab initio muneris Academici, etiam in ſcholis primum privatis, ab anno 1647. 1648. jam tum præſagiens hoc malum [quod bene memini & forte meminerint illorum temporum ſi qui ſuperſint diſcipuli] *facilius cum Voetio quam cum Regio redibimus in gratiam.* Quam verus in eo vates fuerim, experientia cœpit longo tempore docere. Regius in corrumpenda Philoſophia anteceſſor fuit, Spinozæ &c. à quorum ille erroribus infandis alienus non erat. Voetius præivit pio & laudabili Zelo iis quorum animus præſagiens ſenili prudentia, hanc adeo corruptam Carteſii Philoſophiam ſive potius *Carteſiomaniam* impugnabat, qualem eam reverâ extare tot annorum experientia docuit. Poſtquam ego ſtationem mutavi, & latere cœpi in urbe ampliſſima, conſilia juvenum prævaluerunt monitis meis ſenilibus; quin accuſabant paucos poſt annos, accuſant his temporibus aperte, nimium provectam in me ætatem, contra Hobbeſii ſui in politicis, & noſtri Ariſtotelis in Ethicis monita. Hic fervor juvenilis accedens ad neglectum diſtinctionis, de qua dixi, prima hujus confuſionis cauſa fuit, & ut ego prævideo, evertet

eam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

eam ipſam quam videntur tueri velle Philoſophiam; quia non tam virtutes tuentur, quam vitia, quorum acceſſio facta ingens eſt. Hæc vitia peſſundabunt virtutes, ut communiter fit in rerum optimarum abuſu, niſi Deus avertat malum, atque lux ſequatur ex tenebris hiſce. Ego in hoc toto negotio, quod non ſine cauſa vehementer me afficit, eventum divinæ providentiæ committo, cujus ſapientia regitur Mundus. Miror ſolum hominum ſtultitiam, Carteſiomaniam præcipue, non ſine gravi cauſa hoc nomine appellatam ante 30 circiter annos in ſcriptis publicis, ipſiſque eorum titulis. Miror, quod plus quam per viginti annos ita flocci fecerint meas admonitiones obteſtationeſque apertas, audeantque nonnulli negare factum ſive hypotheſin in ea quæ mihi cum ipſis controverſia eſt. Scilicet non errores extantes, verum mea propria figmenta impugno, *een mannetje aan de muur*, ut loquuntur. Tuam jam auſim diſſertationem allegare qua certe abunde probas Factum, non quidem ipſius Carteſii ſive Philoſophiæ quam ab authore Carteſianam vocant, verum eorum qui abutuntur in diſciplinis aliis Methodo Carteſii, quæ intra Philoſophiæ debet limites coerceri. Sed quid opus eſt verbis, ubi rerum teſtimonia adſunt, quæ ſe ipſa ingerunt in oculos & aures noſtras. Miror denique, quod qui agnoſcunt *facta*, etiam viri Boni (uti ea ingenue Celeberrimus Wittichius agnovit, ne de aliis dicam] non velint pariter in iis momentum agnoſcere: ac ſi hæ *res nihili* ſint, *kleinigheden* vocant, de quibus ego Philoſophus unus inter multos, & Theologi quam plurimi nimium, ut putant, ſolliciti ſint: ut jam de aliarum artium atque diſciplinarum doctoribus non dicam. Sed manum de tabula. Reliquum eſt, ut pariter tibi gratias agam quam poſſum maximas pro diſputatione quam mihi tradidit N. N. Doleo valde & dolui per multos

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

multos annos, quod in hac urbe ampliſſima tam paucos inveniam, quibus cum plena fiducia liceat communicare cogitationes meas & per quos in aliquibus proficere poſſim. Quod mones annexo VIII. de Celeb. Voetio data occaſione urge. Annexo decimo generoſe notam facis tuam Proteſtationem, cui ego meam hoc tempore jungo, uti facta eſt ante multos annos antequam Leida diſcederem, coram uno & altero ex Nob. Curatoribus, quibus libere aperui mentem meam de inſigni abuſu Philoſophiæ quam Carteſianam vocant, in aliis diſciplinis. Rogo & obſecro ne abutaris hac mea in ſcribendo libertate atque ingenuitate. Volo & debeo manere extra partes, eriſtica quod attinet, tum quia genius adeo abhorret ab eriſticis, tum quia hac ratione bono publico magis inſervire poſſum. Plus ſatis me Philoſophaſtris, qui nobis has turbas dant, oppoſui, in Scholis privatis, Lectionibus, Diſputationibusque publicis, Colloquiis, Epiſtolis, atque multiplici privato congreſſu. Hactenus loco ſuarum rationum, quaſi meæ rationes nullæ ſint, irriſiones, contemptum atque ſuam incredibilem in his ignorantiam repoſuerunt, in ſinu gaudentes, quod Philoſophia aliarum omnium artium facta domina ſit, tanto applauſu, hactenus ſaltem, non ſoliciti de futuris. Scilicet, debuit in his verum eſſe Horatianum illud, Invitum qui ſervat, idem facit occidenti.

Dabam Amſtelædami, 25. Octobris 1687.

F I N I S.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
447 F 19